



V
B J
C
58938
III



Effigies Beatissimæ
Matris Dolorosæ
Jaroslaviæ
miraculis clara.

Strahowsky sc: Wratislaviæ.



# DISPUTATIO
*De*
*Admirabili & pretiosissima*
# DEI Matre
# VIRGINE
# MARIA
Theologicè
*Propugnata*
A
R. P. ADRIANO MIASKOWSKI
SOCIETATIS JESU
THEOLOGO POLONO.






PRAGÆ, Typis Universitatis Carolo-Ferdinandeæ in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem, per Norbertum Joannem Fitzky p. t. Factorem, Annô 1728.



# MARI GRATIARUM
Sanctissimæ, DEI Hominis, Parenti
*In Principe Iaroslaviensi Campo*
Dolentissimæ Virgini
Dominæ ac Poloniarum REGINÆ.



*Ampo dolentis MARIÆ, id est, immenso exultantium Cæli gratiarum theatro, Virgineo honore plena Theologica infero folia, ubi opus hoc, quod perfectissima DEI Maternitas fecit incipere, innumeræ exornarũt gratiæ, summa perfecit gloria, Tibi Virginum dolentissima, consecro; quia sinus Tuus, qui post consummatum salutis nostræ negotium, mortuum excepit Christum, etiam pallentes, & veluti emortuas recipere debuit paginas, ut simul Filius DEI, & Virginei honoris volumen, nullo, inter hæc discrimine, portaretur; quamvis Auctori operis, Maternis admissum esse plantis, summum est. Ita cultui Tuo, haud alibi tutius, & augustius prospectum esse judico, quàm eo loci, librum deponere pro Tuo Nomine decernentem, quo VERBVM Divinum in assumpta carne, postquam totum generis humani opus, Verbo conclusit in Cruce,*

*ſuſpicimus depoſitum: Sic etenim & DEVS in corpore, ex adverſis hoſtium inſultibus, ipsáq; triumphat morte, ac involutum libro Nomen Tuum, Ægidis ære ſecurius, tacens loquetur de adverſantibus honori Tuo, victorias. Clypeus hic, Tuam Virgo potentiſſima, defendens innocentiã, ad dolorum pertinet gladiũ. Nunquam magis reſplenduit ordinata Caſtrorum acies, MARIA, quàm inter gladiorum fulgorem: tela ex utroq; certamine, Virgineæ gloriæ ſpolium ſint; vincenti ſatis ſtipendii, victo, ornamentis ſatis eſt, Marianũ dici ac eſſe mancipium. In campo doloris tui, Theologicum inſtruo certamen; aderis Fortitudo pro Te certantium, & unicum, maximumq; præmium triumphantium. Prima etiam hujus campi, ipſis conſiti miraculîs, origo nos erudiit, omnẽ Arboris Scientiarũ apparatum, Tibi jure merito conſecrari, ut Maternæ Dignitati, in trophæum cedat immortale, doctis mentibus in laureas æternitate Sapientiæ coronandas. Fæcundo honorum Dodonæ Nemori Vniverſi gloriam, nihil debere cenſeo, præter fabulam, præluſit tamen fabuloſum ingenium, Matris doloroſæ arenæ, in qua, non magis ora, quàm vulnera facunda, Divino purpurã pingente ſanguine, Mariani arborem doloris, in Sceptra,*

*& The-*

*& Theologicas revirescere coronas, persvadent disertissime. Igitur princeps gloria est, sub hastis Tuis, sacrum exanimantibus pectus, militare Theologum, nec aliter de Tuo Nomine decidere, nisi gladiô, unde & hosti terror, & Tuis Cultoribus, sanum cordi infligatur vulnus: sic nempe, omne triumphantium decus vincit cicatrix hæc gloriosa. Non me quidem latet, possè quempiam in contrarium abire sensum, & occinere: tam lætam argumentorum segetem, non in campo Virginis, inter vulnera bene reponi? Sed quis facile non referret, Dolentissimæ lachrymas Matris, eruditæ aureum esse imbrem arenæ? non illum certe, quem ad nascentis ex Iovis vulnere Palladis cunas, mentitæ fabulæ, sed qualem ad Mariani delicias Campi, demisisse Cælos, fas credere, tunc potissimum, quando Mater dolorum, Scientiarum Conditorem DEVM Hominem, in morte toties dolens peperit, quoties materne ingemuit, nulli, ad nascentis Filii exordia, dolori obnoxia. Inaudito sane Matrum prodigiô, tunc vitam inter luctus dedit quando DEI Filius vivere desiit, ut vere Mater, non vitæ solùm, sed & vivæ mortis, non primæ tantùm lucis, sed & illustrium tenebrarum, id est, fati mortalis, DEI, mæstissima apparuerit Mater. Legat posteritas: Virginis*

*gineis MARIÆ lachrymis honorem inſcribimus, nunquam ſatis deploratum (quem orcus etiam ſopire impar eſt) æſtuantem, in Marianam Innocentiam, Hetherodoxum furorem, pleno lachrymarum fonte extincturi, ut tali è naufragio, orientem MARIÆ gloriam, quotidie orbis ſalutet. Novi, quantum addant pondus lachrymæ, cordi æſtimatorũ Parentis pretioſiſſimæ, at novi etiam plorantem Virginem, plus lachrymîs pro ſua egiſſe innocentia, quàm Marcellus Reipublicæ gladius, egerit pro Patria. Dicam dolentis MARIÆ vulnera, Virgineæ hoſtium, mortem, Cæleſtis gloriæ triumphalem portam, qua Diviniorum Charitũ ordo terras adit ſecurus; Matris intima nulli non intrare licet, quinimo, ipſe Materni pectoris cuſtos gladius invitat adeuntes, nec ad terrorem ſed ad fortitudinem eſt, invictô animô, Honorem MARIÆ propugnantium. Applaudo prodigioſæ orbis Lechici, felicitati, quod alibi Tua, Mater gratiarum, gaudia gementem ſublevent populum hìc ipſa ſanant vulnera, & Maternus in morte Filii DEI, dolor, mera nonniſi parit ſolatia. Hinc lætiore ſtudio, dolenti quantumvis Matri, laborem meum dedico; citra omnem enim auxeſim, Theologicè concludo: lachrymantis guttam MARIÆ,*

*ocea-*

*oceanū esse gaudiorum, ex quo, Poloniæ, plura Superum emergunt dona, quàm gemmas numeret Piscaria. Theologicæ Conclusionis argumentum, prodigiosæ Matris DEI, gratiæ demonstrant quotidie, totus confugientium undiq; ad dolentem Virginem, populorum concursus probat evidenter: instantias, pro hac inconcussa veritate, sæculorum labori relinquo inducendas; mihi, quantum ad Theologici dignitatem attinet operis, satis est, sententias Honori Tuo militantes, in dolorum reposuisse cicatricibus. Vulnera hæc, Ecclesiæ Doctorum bibliotheca; hìc Polonia experimentali didicit scientia, plures esse gratias, quàm fabulæ fingere, mens humana possit concipere. Crucem morientis Christi, docentis cathedram esse Magistri, non negaverim, discant tamen sæcula quod é Crucis cathedra, Magistri DEI Corpus, in MARIÆ depositum sinu, apertîs vulneribûs ultimam dicit salutis nostræ conclusionem, in ultima vitæ Christi periodo, ex manibus dolentis Matris prodiisse; quasi humanum vitæ æternæ studium consummatum esse haud potuerit, donec in dolentis MARIÆ sinu concluderetur. Hinc mihi plenum vulneribûs DEVM Hominem, in Tuis manibus Parens Divinissima intuenti, sæpius occurrit dubio,*

 *plusne*

*plusne lactanti ad ubera Filium, an mortuum effuso sangvine, portanti DEVM Hominem Matri, Orbis debeat? A Te lactante, DEI Filium, Virgineam Numinis Maternitatem didicimus, & adoravimus: à portante mortuum non solùm Virginis Matris exemplar, sed totius etiam humanæ reparationis Summam docemur, & Vniversi eandem admiramur. O! Magistra Virtutum, in reparando hominum lapsu, ultimum Divinæ Sapientiæ punctum! Tibi Doctorum laureæ, Tibi Academiarum Togæ, Tibi annuli, Tibi Theologorũ Vniversitas, omnem Divinioris scientiæ debet apparatum. Regina dolorum, & Theologorum Princeps es, in utrũq; jus gladii, intimo fixũ pectori gestas; eodem igitur jure, quo Tibi, scientiarum simul ac dolorum Matri, Divinior submittitur Sapientia, etiam laborem meũ Tuis subjicio pedibus, unicum Aræ Tuæ supplex appendens votum, quòd æquè inter Virgineæ protectionis ubera, ac inter materna vulnera, æternùm vivere exoptem.*

Tuum Mancipium

Adrianus Miaſkowſki S. J.

# DISPUTATIO

## *De admirabili & pretiosissima DEI Matre Virgine MARIA.*

DE Christo Domino, & de his, quæ ab eo gesta sunt, Joan. 21. hæc leguntur: *Sunt & alia multa, quæ fecit JESUS, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Beatissima quoque Virgo, ejus dignitas, privilegia, virtutes, merita, &c. sunt tam ampla scribendi materia, ut libris, & tomis, quantumvis multiplicatis, sufficienter, & pro exigentia tam præcellentis objecti, totum id, quod dici deberet, aut posset, exprimi & explicari nequeat. Dum proinde hanc de Beatissima Dispositionem instituo, immensum pelagus angustis scriptionis limitibus cócludere velle videor. Cæterùm profiteor, aliqua non nisi me delibare velle; ultra ea, quæ tractaturus sum, superesse innumera, quæ circa tam præcellens objectum dici, & tractari possunt. Porrò ea, quæ tractaturus sum, ad tres quæstiones revocabo, quarum prima erit de Maternitate DEI. Secunda, de immunitate Beatissimæ à peccato, ipsiúsque impeccabilitate. Tertia, de gratia & sanctitate Beatissimæ, ejus scientia, merito, & gloria.

## QUÆSTIO I.

### De Maternitate DEI convenientе Beatissimæ.

Quæstionem hanc duplici punctô absolvemus. Primò inquiremus: an Beatissima fuerit verè & propriè Mater DEI, ratione, & ex vi cujus influxûs? An fuerit Mater, Virgo, talisque semper manserit? & an votum castitatis, ac Virginitatis emiserit? an inter ipsam, & Divinissimum Josephum intervenerit verum Matrimonium. Secundô punctô inquiremus: an dignitas Maternitatis sit infinita simpliciter, & an eandem Maternitas sit forma sanctificans?

## PUNCTUM I.

### An Beatissima fuerit verè & propriè Mater DEI, & ratione cujus influxûs in Christum? an itèm fuerit Mater, & Virgo &c.?

## §. I.

### An Beatissima fuerit verè, & propriè Mater DEI; & quis ejus influxus fuerit in Filium, respectu cujus fuit Mater DEI?

1. Præmitto. Errorem fuisse Nestorii Patriarchæ Constantinopolitani blaspheme docentis Beatissimam Virginē MARIAM non fuisse verè & propriè Matrem DEI, sed fuisse Matrem Christi, Matrem hominis; non fuit, ùt loquebatur, *Theotocos, sed fuit Christotocos.* Error hic condemnatus est à S. Cælestino Papa, à S. Cyrillo, & generali Concilio Ephesino, definitúmque est, *Beatam MARIAM Virginem fuisse verè, & propriè DEI Matrem, DEIparam, DEI Genitricem seu Theotocos.* Quia verò ad esse Matris alicujus filii requiritur influxus physicus in filium, inquiritur à Theologis, qualem influxum Virgo Divinissima præstiterit in DEUM hominem, ex vi cujus esse posset, & esset DEI Mater? Negant aliqui omnem influxum activum, & censent ad esse Matris DEI Hominis satìs fuisse, quòd Beatissima concurrerit merè passivè ad esse DEI hominis, submini-

ministrando sanguinem suum purissimum in ordine ad hoc, ut ex eodem sanguine Corpus Christi in suo utero formaretur, operâ supervenientis Spiritûs Sancti. Alii magis communiter docent, Virginem Beatissimam non solùm passivè, sed etiam activè concurrisse ad formationem fœtûs medio sanguine à se ministrato, & Spiritibus vitalibus completo; imò concurrisse activè ad productionem unionis essentialis inter corpus tenerum Christi, & inter animam ejusdem, in prima dictæ animæ creatione. Et talem præcisè concursum, pleriqùe ipsorum censent sufficere ad esse Matris DEI, aliúmque omnem influxum negant. Alii præter explicatum concursum passivum, & activum requirunt, & admittunt influxum activum instrumentalem Virginis Sanctissimæ in unionem hypostaticam, & ratione talis influxûs Beatissimam fuisse verè & propriè Matrem DEI.

2. Dicendum est. Beatissimam Virginem fuisse verè, & propriè Matrem DEI. Fuit verò talis Mater per influxum non solùm passivum, sed etiam activum concurrendo efficienter entitativè tum ad productionem fætûs, & productionem unionis essentialis animæ cum corpore, tùm etiam concurrẽdo instrumentaliter activè ad productionem unionis hypostaticæ inter humanitatem, & Personam VERBI.

Prima pars est de fide, & probatur; Tum Scripturis. Lucæ 1. dicitur: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius DEI.* Et iterum Elisabeth ad Virginem dicit: *Unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me? Benedicta Tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris Tui.* Et ad Galat. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit DEUS Filium suum factum ex muliere.* Ex quibus testimoniis sic arguo. Si ex Virgine MARIA natus est Filius DEI, si Filius, quem Pater misit factus est ex muliere, si Virgo MARIA est Mater Domini, si est benedicta inter Mulieres, si Fructus ventris ejus est benedictus, hæc ipsa Virgo est Mater DEI. Sed ità est, quòd natus ex Virgine sit Filius DEI, quem misit Pater, factus ex muliere, MARIA eit Mater Domini, est benedicta inter mulieres, fructus ventris ejus est benedictus, ùt adductæ testantur Scripturæ. Ergo Beatissima Virgo est Mater DEI. Tum Authoritate S. Cyrilli in Anathematismo 1 sic habentis: *Si quis non confitetur DEUM esse veraciter Emmanuel, & propterea DEI Genitricem S. Virginem (peperit enim secundùm carnem, carnem factum DEI VERBUM,) anathema sit.* Tum quia verè & propriè Mater DEI est, quæ verè & propriè genuit Filium, qui DEUS est, qui Filius DEI est, qui VERBUM Patris æterni est. Sed Beatissima Virgo verè, & propriè genuit Filium, qui DEUS est, qui Filius DEI est, qui VERBUM Patris æterni est; verè enim genuit Christum, genuit Redemptorem, & Salvatorem generis humani, genuit eum, qui pro nostra salute passus, mortuus, & sepultus est. Sed Christus, Redemptor, Salvator, is, qui pro salute nostra passus, sepultus, mortuus est, est DEUS verus, est Filius DEI, est VERBUM Patris; de hoc enim omnes illæ prædicationes verificantur. Ergo. Tum quia Beatissima Virgo taliter genuit suum Filium, ut nihil ipsi deesset ad esse Matris DEI. Cùm enim Virginis Matris Filius esset simul Filius DEI, & verus DEUS, Virgini Matri nihil defuit, ut existendò Mater talis Filii esset Mater DEI. Quid enim ex his, quæ requiruntur ad esse Matris DEI, defuit Sanctissimæ Virgini MARIÆ? Ergo.

3. Secunda pars probatur. Nimirum, quòd Beatissima taliter fuerit Mater DEI, ut influxum præstiterit in humanitatem Christi non solùm passivum, sed etiam activum. Illum influxum Beatissima Virgo præstitit in suum Filium, quem præstant aliæ Matres in suos Filios, & quem nisi præstent, non sunt verè & propriè Matres. Sed aliæ Matres præstant in suam prolem influxum tam passivum, quàm activum. Præstant influxum passivum subministrando sanguinem ad efformandum ex ipso fœtum, præstant etiam influxum activum in suo, & ex suo sanguine elaborando organa, ac membra corporis humani; & nisi utrumque hunc influxum præstent, non sunt verè & propriè Matres. Influxus enim merè passivus non sufficit ad veram generationem viventium; hæc enim debet

bet esse origo viventis à vivente, tanquam à principio activo. Et hinc quia Adam non concurrebat activè ad productionem Evæ, sed habuit se merè passivè ad productionem Evæ, suppeditando materiam, ex qua ædificata & formata est, ideò talis influxus Adæ non fuit vera & propria generatio Evæ, nec Adam fuit Pater propriè ipsius Evæ. Ergo & beata Virgo præstitit utrumque influxum & activum, & passivum in Filium à se genitum.

Quia verò generatio hominis debet esse substantialis, qualis certè non est, si non habeat terminum formalem substantialem, generatio hominis debet esse influxus prxductivus termini substantialis constituentis essentiam, & substantiam hominis. Sed non potest esse influxus productivus materiæ hominis; hæc enim creatur, & cùm sit primum subjectum, non potest habere aliud se prius subjectum, dependenter à quo per generationem producatur. Non potest etiam generatio hominis esse influxus productivus animæ rationalis; nam & hæc creatur, & cùm sit spiritualis, non potest produci per influxum generativum materialem. Ergo generatio hominis debet esse influxus productivus unionis substantialis inter corpus hominis & animam constituentis esse substantiale hominis, adeoq; & generatio Christi, quâ purissima Virgo genuit nobis Salvatorem, debuit esse influxus productivus unionis substantialis inter corpus & animam Christi constituentis esse substantiale humanitatis Christi.

4. Tertia pars Conclusionis, nimirùm, quòd Beatissima Virgo concurrerit instrumentaliter activè ad productionem unionis hypostaticæ inter humanitatem Christi & Personâ VERBI, & quòd ratione talis influxûs fuerit verè & propriè Mater DEI, hæc, inquam, pars est sufficienter probata Disp. 2. Num. 135. In præsenti Probationem illam datam sic propono. Ille influxus in totum hypostaticum, quod est Christus, Beatissimæ est concedendus, qui ei tribuitur à Patribus, & qui auget gloriam & excellentiam Beatissimæ, ipsamque ejus Maternitatem DEI reddit excellentiorem, nec repugnat definitionibus Ponticfium, & Conciliorum, ac etiam rationibus Theologicis contrarium evincentibus. Cùm enim de Beatissima quàm gloriosissimè sentiendum sit juxta illud Psal. 86. de Beatissima intellectum: *Gloriosa dicta sunt de Te Civitas DEI*; concedendum est in Beatissima fuisse, quô ejus dignitas, gloria, excellentia elevatur; præsertim quod pertinet ad excellentiam Maternitatis DEI, quæ est fundamentum totius dignitatis & excellentiæ Sanctissimæ hujus Virginis, maximè si id ipsum Patres illi tribuant, nec sint in contrarium Definitiones Pontificum, & Conciliorum, nec habeantur rationes efficaces pro opposito. Sed talis Beatissimæ influxus in totum hypostaticum, quod est Christus, conceditur à Patribus, qui sit influxus activus instrumentalis in unionem hypostaticam, prout patere potest ex adductis Patribus, dictô Num. 135. Idem influxus auget gloriam & excellentiam ipsius Beatissimæ, ejusque Maternitatis DEI, cùm gloriosius sit Beatissimam fuisse per se Matrem DEI, & non præcisè per accidens fuisse illam Matrem DEI, ex tali influxu physico, quô positô non potuit non esse Mater DEI, quàm ex illo influxu, quô positô posset adhuc non esse Mater DEI; fuisse itèm Matrem DEI ex determinatione per actionem, & operationem à se provenientem, & non ex determinatione aliundè, & non à se habita. Nec talis influxus repugnat ullis Pontificum aut Conciliorum definitionibus, cùm nullæ afferri possint. Tandem non repugnat ulli rationi efficaci pro opposito, ut constat ex solutione Objectorum, à Num. 139. Disp. 2. ad Num. 141. inclusivè, ampliusque constabit ex solutione objectionis, quæ hic proponetur. Ergo.

## Proponuntur Objectiones.

5. Objicitur primò, aut objici potest à Nestorianis, & probari potest, Beatissimam Virginem non fuisse, nec fuisse verè & propriè Matrem DEI. Tum quia repugnat Virginem in tempore existentem esse Matrem Filii, ab æterno & ante sæcula existentis, & cui repugnat in tempore incipere. Sed si Beatissima Virgo esset verè & propriè Mater DEI, non repugnaret Virginem in tempore existentem, & in tempore parientem, esse

esse Matrem Filii, ab æterno, & ante sæcula existentis, nec potentis in tempore existere. Beatissima enim esset illa Virgo in tempore existens, & pariens; DEUS autem, qui ante sæcula, & ab æterno existit, nec potest incipere in tempore, esset ejus Filius, quia DEI Mater esse non potest, nisi habeat DEUM Filium. Ergo. Confirmatur. Repugnat causam agere, dum non est, & priusquam existat. Sed si Beatissima esset Mater DEI, esset talis causa, quæ ageret antequam esset, DEUM enim existentem ab æterno generaret, quia generaret illum, quando existeret, ipsa tamen non existeret ab æterno. Ergo. Tum quia, ut Virgo Beata esset Mater DEI, deberet DEUM generare, deberetque per generationem dare esse DEO; sicut enim, ut Filius physicè generetur, requiritur, ut per generationem accipiat esse à generante, ità ut Mater censeatur physicè & verè generare DEUM, deberet DEO per generationem dare esse. Atqui Virgo Beatissima per generationem non potuit dare esse DEO, neque enim dare esse potuit per generationem æternam, quia hæc non potest procedere à Beatissima; non etiam per generationem temporalem, quia hæc est improportionata termino æterno, & increato, qualis terminus debet esse DEUS. Ergo. Tum quia de ratione Matris verè & propriè talis est, ut Filius sit sibi consubstantialis, habeatque Mater eam substantiam ac Naturam, quam habet Filius, seu terminus à se genitus. Sed DEUS non est consubstantialis Virgini Beatissimæ, neque enim hæc illam substantiam & naturam genuit, quam habet DEUS. Ergo. Tum quia, si Beatissima Virgo esset Mater DEI, esset Mater vel solius Filii DEI, vel esset Mater Sanctissimæ Trinitatis, seu omnium & singularum Personarum Divinarum, vel esset Mater DEI quoad Naturam, & prædicata absoluta spectati. Sed non est Mater DEI, ullô ex his modo accepti. Non est Mater solius Filii DEI, quia non bene diceretur Mater DEI, non bene enim adhibetur terminus communis pluribus ad significandam unam non nisi Personam. Non est etiam Mater Sanctissimæ Trinitatis, & omnium ac singularum Personarum, quia non est Mater Patris æterni, nec est Mater Spiritûs S. cùm hæ Personæ non sint Incarnatæ. Non est deinde Mater DEI quoad naturam, & prædicata absoluta sumpti, quia hôc ipsô deberet esse Mater Patris, Spiritûs S. totiúsq; Trinitatis. Ergo.

6. Objicitur secundò, & probatur, quòd Beatissima Virgo non influxerit activè instrumentaliter in unionem hypostaticam. Tum quia influxus ille instrumentalis deberet esse supernaturalis. Sed non est supernaturalis, quia neque est supernaturalis entitativè & intrinsecè, quia per admissionem talis influxûs multiplicarētur entia supernaturalia sinè necessitate, neque etiam est supernaturalis quoad modum, aliàs deberet esse naturalis intrinsecè. Atqui non potest hic influxus esse naturalis intrinsecè, cùm terminus ipsius, nimirum unio hypostatica, non sit naturalis intrinsecè. Ergo. Tum quia, si daretur influxus activus instrumentalis Beatissimæ in unionem hypostaticam, deberet dari principium elevativum Beatissimæ ad talem influxum; cùm causa instrumentalis agere non possit sinè agente principali, ipsam elevante ad productionem effectûs supernaturalis. Sed non datur tale principium elevativum Beatissimæ tanquam causæ instrumentalis; hoc enim neque est Increatum, neque creatum. Non increatum, quia ad increatum frustrà recurritur, & non Theologicè, si possit dari principium creatum. Non creatum, quia talis principii nullum est fundamentum. Præterea principiū creatum elevativum Beatissimæ deberet esse vel permanens, vel transiens. Neutrum dicitur. Quia neutrū à Patribus agnoscitur, & difficilè explicatur, quod asseritur.

## Respondetur ad Objectiones.

7. Primæ Objectionis Assumptum, utpote hæreticum, & ab Ecclesia damnatum, non solùm nego, sed etiam damno, & execror. Primæ Probationis Majorem Distinguo. Repugnat Virginem in tempore existentem, in tempore parientem, esse Matrem Filii DEI ab æterno existentis quoad omne esse, quod tali Filio convenit. Concedo Majorem. Repugnat Virginem in tempore existentem &c. esse Matrem Filii, ità quo-

ad aliquod eſſe ab æterno exiſtentis, ut quoad aliud ſuum eſſe in tempore exiſtat, & in tempore incipiat. Nego Majorem, & Diſtinguo Minorem. Sed ſi Beatiſſima Virgo eſſet verè & propriè Mater DEI, non repugnaret Virginem in tempore exiſtentem & parientem, eſſe Matrem Filii quoad omne ſuum eſſe exiſtentis ab æterno, & quoad nullum ſuum eſſe potentis incipere in tempore. Nego Minorem. Non repugnaret Virginem in tempore exiſtentem & parientem, eſſe Matrem Filii quoad aliquod ſuum eſſe exiſtentis ab æterno, ſimulque quoad aliud eſſe exiſtentis in tempore, & in tempore incipientis. Concedo Minorem, & Nego Conſequentiam, ac Dico: cùm in Chriſto Domino duplex ſit Natura, una Divina, altera humana; cùm item in eodem Chriſto Natura humana terminetur ſubſiſtentiâ Divinâ VERBI ſibi hypoſtaticè unita, in Chriſto Domino duplex eſt eſſe, unum Divinum Naturæ Divinæ & Perſonæ VERBI, alterum creatum humanitatis, ſeu Naturæ humanæ, prius illud eſſe Naturæ Divinæ & Perſonæ VERBI, eſt æternum, ab æterno exiſtens, nec potens ſecundùm ſe incipere in tempore; alterum eſſe, quod eſt eſſe Naturæ humanæ, eſt eſſe in tempore exiſtens, in tempore incipiens, quia eſt eſſe creatum. Beatiſſima igitur Virgo generando Chriſtum, genuit Filium, qui cùm duplex eſſe habeat, ſecundùm unum eſſe, nempè Divinum exiſtit ſemper & ab æterno, ſecundùm aliud eſſe, nempè ſecundùm eſſe humanitatis, exiſtit in tempore, cæpit in tempore, & talem generando Filium, eſt Mater DEI. Doctrina hæc conformis eſt Scripturis, in Chriſto Domino duplicem formam aſſerentibus, unam formam DEI juxta illud ad Philip. 2. *Qui, cùm in forma DEI eſſet*, alteram formam ſervi, juxta illud: *formam ſervi accipiens, in ſimilitudinẽ hominũ factus.* Secundùm diverſas has formas, diverſa prædicata Chriſto conveniunt. Ratione formæ DEI, eſt æqualis DEO, imò ipſe DEUS, adeoque eſt æternus ab æterno exiſtens, nec incipiens in tempore. Ratione formæ ſervi, eſt in ſimilitudinem hominum factus, adeoque in tempore exiſtens, in tempore incipiens.

Neque valet, ſi Dicas: Beatiſſima Virgo genuit Chriſtum, non ſecundùm formam DEI, nec ſecundùm eſſe Divinum, quia nec Naturam Divinam, nec Perſonam VERBI genuit, ſed ſolùm genuit Chriſtum ſecundùm formam ſervi, hoc eſt, ſecundùm Naturam humanam, quæ Natura non eſt DEUS. Ergo Beatiſſima Virgo generando Chriſtum non eſt Mater DEI, ſed eſt Mater Hominis, non eſt Theotocos, ſed Chriſtotocos, ut dicebat Neſtorius.

Non valet, inquam. Etiamſi enim Beatiſſima Virgo non genuerit Chriſtum ſecundùm eſſe Divinum, ità ut phyſicè produxerit ſecundùm ſe Naturam Divinam, aut Perſonam VERBI, quia tamẽ genuit Chriſtum ſecundùm Naturam humanam, prout unitam Perſonæ VERBI, quæ Natura humana non eſt quidem DEUS, per realem adæquatam immediatam identitatem cum DEO, habet tamen hoc, ut ratione unionis hypoſtaticæ cum Perſona VERBI, per communicationem idiomatum prædicata pleraque propria DEI poſſint dici de toto hypoſtatico, & viciſſim prædicata totius hypoſtatici dicantur de DEO. Filius MARIÆ, eſt Filius DEI Unigenitus, Chriſtus eſt DEUS, adeoque habet ulteriùs id Beatiſſima, ut generando Naturam humanam Chriſti unitam hypoſtaticè Perſonæ VERBI, propter communicationem idiomatum bene, verè, & propriè dicatur Mater DEI.

Confirmationis Nego Sequelam Minoris, quæ talis fuit: Sed ſi Beatiſſima Virgo eſſet Mater DEI, eô ipsô eſſet cauſa, quæ ageret, antequam exiſteret. Nego item, quòd DEUM ab æterno exiſtentem, generaret ab æterno. Licèt enim DEUM exiſtentem in ſe ab æterno generaret, non generaret tamen ab æterno, ſed in tempore, idque generaret non per productionem eſſe Divini æterni, ſed per productionem humanitatis hypoſtaticè unitæ DEO, & ſubſiſtentiâ Divinâ VERBI; quæ productio cùm ſit temporanea, per illam generatur in tempore DEUS, qui eſt ab æterno, & ante ſæcula, generatur inquam per hoc, quòd producatur humanitas per unionem hypoſtaticam determinata ad eſſe DEI hominis; & quia generatur totum hypoſtaticum, cui per communicationem idiomatum convenit eſſe DEUM.

Secundæ Probationis Distinguo Majorem. Ut Beatissima Virgo esset Mater DEI, deberet DEUM generare, & deberet per generationem dare esse DEO per identitatem realem ipsi proprium. Nego Majorem. Deberet per generationem dare esse DEO, deberet inquam, dare esse assumptum ad unionem à DEO, vel certè deberet humanitati à se productæ per generationem dare esse DEI, seu esse Divinum. Concedo Majorem, & Distinguo Minorem. Atqui Beatissima non potuit per generationem dare esse DEO ipsi per identitatem realem proprium. Concedo Minorem. Atqui Beatissima per generationem non potuit esse dare DEO ab ipso assumptum, eique per assumptionem proprium, non potuit per eandem generationem humanitati dare esse DEI, seu esse Divinum, illud physicè uniendo humanitati. Nego Minorem, & Consequentiam, ac Dico: ad esse Matris DEI non requiri, ut Mater det DEO illud esse, quod ipsi per realem immediatam identitatem est proprium, cùm sit impossibile, ut Mater det DEO tale esse. Verùm ad esse Matris DEI sufficit, quòd per generationem DEO det esse assumptum ab ipso, producendo physicè humanitatem, quam VERBUM assumpsit; seu sufficit, quòd DEO det esse non quidem per identitatem, sed per assumptionem proprium; sufficit itèm ad esse Matris DEI, quòd per generationem humanitati à se productæ det esse DEI, & esse Divinum, tale esse illi uniendo per influxum instrumentalem in unionem hypostaticam, & hac ratione efficiendo, ut suus Filius sit Homo DEUS, habeatque per communicationem idiomatum, & verificet prædicata DEI. Porrò Beatissima Virgo dedit DEO esse ab eo ipso assumptum, & quod per assumptionem DEUS fecit sibi proprium, & productæ à se humanitati, dedit eidem esse DEI, seu esse Divinum per influxum activum instrumentalem in unionem hypostaticam, conjungendo & uniendo dictæ humanitati Personam Divinam VERBI. Ad Minoris Probationem Dico: Beatissimam Virginem DEO dedisse esse assumptum, & quod DEUS per assumptionem fecit sibi proprium, dedisse itèm humanitati à se productæ esse DEI, seu esse Divinum, dedisse inquam per generationem temporalem; cùm enim assumptio humanitatis à VERBO sit facta in tempore, DEUSque in tempore per assumptionem fecerit humanitatem sibi propriam, & cùm humanitati data sit in tempore subsistentia & Persona VERBI per unionem hypostaticam in tempore factam, etiam generatio Virginis, dependenter à qua hæc facta sunt, debuit esse in tempore; cùm enim terminus generationis exstiterit non nisi in tempore, etiam generatio ipsius solùm in tempore esse, & existere debuit. Licèt verò generatio temporanea sit improportionata termino increato & æterno, secundùm se spectato, quia tamen est proportionata termino increato, & æterno secundùm esse assumptũ, & secundùm esse per assumptionem factum proprium ipsius DEI, ideo generatio, ratione cujus Beatissima est Mater DEI, etiamsi temporanea sit, est proportionata, & maximè proportionata termino per hanc generationem genito.

Tertiam Probationem Distinguo. De ratione Matris verè & propriè talis est, ut Filius sit consubstantialis Matri secundùm omnem substantiam, & omnem naturam, quam habet Filius. Nego Majorem. De ratione Matris propriè talis est, ut Filius sit consubstantialis Matri secundùm unam substantiam, quam communicatam habet à Matre. Concedo Majorem, & Distinguo Minorem. Sed DEUS, quem dicitur genuisse Beatissima, non est consubstantialis secundùm omnem substantiam, quam habet, suæ Matri. Concedo Minorem. Non est consubstantialis suæ Matri secundùm ullam substantiam, maximè secundùm illam, quam sibi communicatam accepit per generationem Virginis. Nego Minorē, & Consequentiam, ac Dico: cùm DEUS in assumpta carne spectatus habeat substantiam non solùm Divinam, sed etiam humanam carnis assumptæ. Ex quibus duabus substantiis humana per generationem Virginis est communicata Personæ Divinæ VERBI. Ut Beatissima Virgo sit verè & propriè Mater DEI, non requiritur, ut DEUS Homo secundùm utramque, quam dicit, substantiam sit consubstantialis Virgini, sed sufficit, quòd sit con-

consubstantialis eidem secundùm unam substantiam, quam sibi communicavit Virgo Mater, nimirum secundùm substantiam humanam. Porrò Beatissimæ Virgini, DEUS assumens carnem, & humanitatem nostram, est consubstantialis secundùm substantiam humanam, siquidem ùt loquitur Ven. Beda lib. 4. cap. 49. in Lucæ cap. 11. *Filius DEI conceptus in utero virginali carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne, alioquin nec verè Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex carne.* Ergo. Adverto, per consubstantialitatē Filii cum Matre non intelligi identitatem realem immediatam substantiæ humanæ Christi cum substantia Virginis Matris, sed intelligi partem aliquam substantiæ Matris, per generationem à Matre avulsam in subministrato purissimo Virginis sanguine ad efformandum corpus Christi communicatum Filio, itâ ut quæ erat substantia Virginis, per generationem fieret substantia humana DEI Hominis.

Quartæ Probationis omissâ Majore, quæ cùm disjunctiva sit, non secundùm leges propositionum di: junctivarum formata est. Nego Minorem. Et Dico, Beatissimam Virginem Mariam per hoc fuisse Matrem DEI, quòd fuerit Mater Filii DEI; non fuisse verò Matrem Sanctissimæ Trinitatis, nec Matrem Patris æterni, nec Matrem Spiritûs Sancti. Cujus ratio est. Quia Beatissima Virgo illius Personæ Divinæ fuit Mater, quæ Persona est Incarnata. Atqui Persona VERBI est incarnata, Persona Patris, Persona Spiritûs S. non sunt incarnatæ; adeoque non omnes Personæ Sanctissimæ Trinitatis sunt Incarnatæ, ùt Fides docet. Ergo Beatissima Virgo fuit Mater VERBI Divini, seu Filii æterni, non fuit verò Mater Patris æterni, nec Spiritûs Sancti, nec Sanctissimæ Trinitatis. Eadem Virgo Sanctissima per hoc ipsum, quòd esset Mater Filii DEI, fuit verè & propriè Mater DEI. Tum quia Filius DEI est verè, & propriè DEUS; dicitur enim in symbolo Nicæno Fidei: *Filius DEI, DEUS Verus de DEO Vero.* Ergo Mater Filii DEI est verè, & propriè Mater DEI. Tum quia secundùm fidem per hoc, quòd VERBUM sit incarnatum, DEUS est incarnatus. Ergo sicut Beatissima est Mater VERBI Divini, & Filii DEI, itâ est verè & propriè Mater DEI. Tum quia, si quid obesset, nè Mater Filii DEI, esset Mater DEI, hoc obesset, quòd esse Matrem DEI esset quid diversum ab esse Matris Filii DEI, sed non est quid diversum ab esse Matris Filii DEI. Ad esse enim Matris DEI non requiritur, ut sit Mater omnium & singularum Personarum Divinarum, totiúsque extensivè DEItatis; siquidem etiam nomine DEI non necessariò veniunt omnes & singulæ Personæ, totáque extensivè Deitas, sed sufficit ad esse Matris DEI, quòd sit Mater unius Personæ Divinæ, ejúsque incarnatæ, quæ est intensivè adæquatè DEUS. Non bene tamen hæc ipsa Virgo per hoc, quòd sit Mater Filii DEI, ac etiam Mater DEI, non bene, inquam, diceretur Mater Naturæ Divinæ. Si enim Beatissima esset Mater Naturæ Divinæ, Natura Divina deberet esse Filius Virginis Beatissimæ. Sed Natura Divina non est, nec potest esse Filius Mariæ, quia esse Filium est prædicatum personale, hoc est tale prædicatum, quod non potest convenire, nisi Personæ. Sed Natura Divina secundùm se, & prout abstracta, vel virtualiter distincta à Personis non est Persona. Ergo Naturæ Divinæ non convenit, nec potest convenire esse Filium Mariæ, adeoque nec Mariæ Virgini potest convenire esse Matrem Naturæ Divinæ. Dices. Natura Divina dicitur esse Incarnata. Ergo Virgo Beata est Mater Naturæ Divinæ. Respondeo, negando Consequentiam. Sicut enim ad hoc, ut Natura Divina sit Filius Virginis Mariæ, non sufficit esse incarnatam, sed oporteret illam esse Personam; itâ ut Virgo Beatissima esset Mater Naturæ Divinæ, non sufficit illam esse incarnatam, sed requiritur, ut hæc ratione sui esset Persona. Ad ulteriorem impugnationem hujus veritatis, quòd Beatissima Virgo rectè dicatur Mater DEI, Respondeo cum Distinctione. Non bene adhibetur terminus, pluribus collectivè non nisi sumptis communis, ad significandam unam Personam. Concedo Majorem; & sic non bene terminus Trinitas, qui itâ est communis pluribus Personis, ut illas collectivè sumptas significet, adhiberetur ad significandam unam

C

unam Personam. Terminus pluribus distributivè sumptis communis non bene adhibetur ad significandam unam Personam. Nego Majorem, & Distinguo Minorem. Sed DEUS est terminus pluribus Personis collectivè nō nisi sumptis aliquatenus communis. Nego Minorem. Sed DEUS est terminus pluribus Personis etiam distributivè sumptis aliquatenus communis. Concedo Minorem, & Nego Consequentiam. Et Dico, sicut terminus homo, qui est communis pluribus distributivè sumptis, bene adhibetur ad significandum unum hominem, ùt cùm demonstratur unus; ecce homo; ità terminus DEUS pluribus Personis etiam distributivè sumptis communis benè adhibetur ad unam Personam significandam.

8. Objectionis Secundæ Nego assumptum. Primæ Probationis Nego Minorem. Ad ulteriorem Probationem Dico: influxum activum instrumentalem Beatissimæ in unionem hypostaticā esse, & debere esse supernaturalem entitativè, intrinsecè, & quoad substantiam; siquidem etiam terminus hujus influxûs, qui est unio hypostatica, est intrinsecè, & entitativè, seu quoad substantiam supernaturalis. Neque per admissionem talis influxûs multiplicantur entia supernaturalia sinè necessitate, & fundamento, est enim necessitas, & fundamentum admittendi talis influxûs. Tum quia talem influxum agnoscunt Patres citati Disp. 2. Num. 136. Tum quia admisso tali influxu facilè ostenditur Beatissimam fuisse per se Matrem DEI, & non per accidens; ità Beatissimam fuisse Matrem DEI, ut posito hoc ejus influxu non potuerit non esse Mater DEI. Tum quia gloriosius est Matri DEI eam per talem influxum sibi aliàs possibilem influxisse in unionem hypostaticam, & genuisse DEUM Hominem.

Secundæ Probationis concessâ Sequelâ Nego Minorem. Ad ejus Probationem Dico: principium elevativum Beatissimæ Virginis ad ponendum influxum instrumentalem in unionem hypostaticam fuisse partim increatum, partim creatum. Fuit principium increatum, quia tale principium effectivum unionis hypostaticæ fuit Sanctissima Trinitas, ac ipse DEUS; hic enim omnium effectuum supernaturalium, etiam ordinis hypostatici est Author, & principalis causa, & principium, etiamsi præter principium increatum dentur principia creata, immediata, elevativa potentiarum naturalium ad operandum. Præterea principium elevativum Beatissimæ ad præstandum influxum instrumentalem fuit etiam principium supernaturale creatum: quia sicut per ordinem ad alios actus intrinsecè supernaturales dantur qualitates, & principia supernaturalia creata, elevativa potentiarum naturalium ad operandum salutariter, ita conveniens fuit, ut etiam in Beatissima Virgine daretur aliqua qualitas, sive principium supernaturale creatum, elevativum potentiæ naturalis generativæ, conveniens ipsi Beatissimæ ad ponendam unionem hypostaticam, & ad generandum DEUM Hominem. Certè conveniens fuit, ut Beatissima Virgo Maria modo sibi connaturaliore generaret DEUM Filium. Sed modus ille generandi, dum Beatissima intrinsecè completa per principium creatum supernatarale generat Filium, est modus connaturalior generandi DEI Filium, sicut connaturalius est potentiis naturalibus intentionalibus, eas intrinsecè compleri per principia creata supernaturalia, per ordinem ad eliciendos actus salutares. Et hoc est fundamentum admittendi in Beatissima principii supernaturalis creati, elevativi ejus potentiæ naturalis generativæ ad producendam instrumentaliter unionem hypostaticam humanitatis Christi cum VERBO Divino. Tum ex paritate à potentiis naturalibus intrinsecè completis per principia creata, elevativa ad producendos actus salutares. Tum quia convenientius fuit Beatissimam dependenter à tali principio generâsse DEI Filium. Tum quia gloriosius est Matri Beatissimæ; quòd fuerit intrinsecè completa ad generandum DEI Filium. Quòd si velis fundamentum hujus ipsius ex Scripturis & Patribus, hujusmodi fundamentum sit ex illo Luc. 1. *Spiritus S. superveniet in Te, & virtus Altissimi obumbrabit Tibi.* Ex quo Scripturæ textu tale eruo argumentum. Eô modô Beatissima fuit elevata ad producendam unionem hypostaticam, qui significatur per superventionem Spiritûs

Sancti

Sancti in Mariam; & factam illi obumbrationem per virtutem Altissimi; sed per superventionem Spiritûs Sancti in Mariam significatur ejus elevatio per principium creatum supernaturale intrinsecum, quia significatur facta à Spiritu S. specialis sanctificatio Virginis in ordine ad generandum DEI Filium. Hæc verò ipsa sanctificatio facta fuit per productionem alicujus qualitatis, & principii supernaturalis elevativi Beatissimæ, quemadmodum aliæ sanctificationes à Spiritu S. fiunt per qualitates & principia elevativa potentiarum naturalium ad actus supernaturales. Per obumbrationem etiam Virgini, virtutis Altissimi, intelligitur productio in Beatissima Virtutis supernaturalis, quæ futura erat quædam participatio creata virtutis generativæ Filii convenientis Patri æterno, quâ virtute obumbrante, & elevante potentiam naturalem generativam Beatissima Virgo Maria lumen æternum carne humana velatum & obumbratum mundo effudit. Fundamentum ex SS. Patribus habetur Disp. 2. num. 135. ubi adducuntur Patres huic sententiæ faventes.

Circa hoc principium elevativum Beatissimæ ad producendam unionem hypostaticam, an fuerit transiens, an fuerit permanens? non conveniunt Theologi. Christophorus Vega censet principium elevativum Virginis ad producendam unionem hypostaticam fuisse transiens, consistens in assensu Virginis, expresso verbis ad Archangelum dictis: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum Tuum.* Cui assensui, & verbis putat vim & virtutem inesse, seu infuisse ad producendam instrumentaliter unionem hypostaticam humanitatis cum VERBO. Sicut verbis illis Christi: *Hoc est Corpus meum* per sacerdotem prolatis supra materiam panis aptam, inest vis, & virtus ad ponendam Christi præsentiam sub speciebus, & ad uniendam eandem dictis speciebus. Eximius Doctor Pater Franciscus Suarez, Savedra, Viva, & alii cum ipsis censent principium illud, per quod in Beatissima potentia naturalis generativa elevabatur ad producendam unionem hypostaticam humanitatis cum VERBO, fuisse permanens, & ad instar habitûs, quibus Theologis etiam ego assentior. Hujus principii permanentis & habitualis munus fuit speciali modo sanctificare Beatissimam Virginem adinstar participationis virtutis generativæ Filii, quâ Pater æternus generat Filium suum Unigenitum. Elevare potentiam naturalem generativam Beatissimæ ad producendam instrumentaliter unionem hypostaticam, esse radicem exigitivam donorum habitualium excellentiorum, quàm essent dona quæcunque puris creaturis collata aliquando, & conferibilia, & quarumdam prærogativarum, & privilegiorum. Fundamentum verò, quòd tale principium permanens collatum fuerit, & existerit in Beatissima, hoc esse potest. Quia ex una parte possibile est principium supernaturale permanens, elevativum potentiæ naturalis generativæ in Beatissima ad producendam unionem hypostaticam. Si enim possibile est lumen gloriæ supernaturale permanens, elevativum potentiæ intellectivæ creatæ naturalis ad videndum DEUM; si sunt possibiles habitus infusi virtutum, elevativi potentiarum naturalium intentionalium ad eliciendos actus salutares; si est possibilis character sacramentalis, qualis per sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis imprimitur animæ; si est possibilis gratia habitualis, quæ est participatio moralis Naturæ Divinæ, & Filiatio DEI adoptiva, possibile quoque est principium permanens elevativum Beatissimæ ad producendam unionem hypostaticam, & ad generandum DEI Filium, quod sit quædam participatio virtutis convenientis Patri æterno generativæ Filii. Cùm præsertim ex admisso tali principio nulla contradictio sequatur, nullaque in eo sit repugnantia. Cùm item Beatissima Virgo habeat potentiam obedientialem, ad esse Matris DEI modò sibi maximè glorioso. Ex altera parte, quòd Beatissima Virgo defacto habuerit principium permanens elevativum sui ad producendam unionem hypostaticam, suadent Authoritates & Scripturæ, & Patrum; suadent & Rationes. Tum quia denominatio permanens desumi debet à forma permanente, idque in Divinis & supernaturalibus; hujusmodi denominationes desumuntur à formis physicè permanentibus. Sed denominatio Matris DEI est denominatio permanens, non

ſecus denominatio Filii DEI adoptivi, eſt denominatio permanens. Ergo denominatio Matris DEI deſumi debet à forma permanente. Sed talis forma eſt Maternitas DEI. Ergo hæc debet eſſe permanens, qualis eſſe non poteſt, ſi principium elevativum ad generandum DEUM, in quo conſiſtit Maternitas DEI, non ſit principium permanens. Tum quia Beatiſſima Virgo eô modô eſt elevata ad generandum Filium DEI, quomodo ipſam elevari fuit, & eſt Eidem connaturalius, & glorioſius. Sed Beatiſſimam ad generandum DEUM, elevari per principium intrinſecum, ſupernaturale, permanens, eſt ipſi connaturalius. Quia univerſaliter potentias naturales viventium creatorum elevari ad actus ſupernaturales, per principia intrinſeca, ſupernaturalia, permanentia, eſt ipſis connaturalius, ùt inductione tot habituum infuſorum, & donorum ſupernaturalium permanentium facilè probari poteſt. Eſt etiam glorioſius eam elevari per principium permanens intrinſecum, ùt fatetur P. Uloa nobis in hac ſententia contrarius. Diſp. 1. Num. 194. Tum quia privilegium Maternitatis DEI eſt gratia ſpecialis, & beneficium præſtantiſſimum à DEO ſupremo omnium rerum Conditore, Moderatore, & Increato Principe Beatiſſimæ Virgini præſtitum. Atqui hujuſmodi beneficium convenit eſſe permanens. Quia beneficium Principis decet eſſe perpetuum. Ergo privilegium Maternitatis DEI convenit eſſe permanens. Tum quia etiam in humanis & moralibus laboratur, ut Dignitas Regia, Senatoria, & præcipua Reipublicæ munera, cùm in ſeipſis, vel formis, à quibus deſumuntur, nô poſſint eſſe phyſicè permanentia & perpetua, permaneant in quibuſdam inſtrumentis juridicis, diplomatibus, privilegiis, conſcriptis, tabulis ritè confectis, &c. Ergo pariter conveniens eſt, & fuit, ut Dignitas Matris DEI, per quam Beatiſſima Virgo facta eſt Regina mundi, Domina univerſorum, modô, quô poteſt, eſſet permanens, & perpetua. Atqui poteſt eſſe permanens & perpetua quoad principium ſupernaturale, permanens, phyſicè elevativum Beatiſſimæ ad generandum DEI Filium. Ergo hôc modô eſt permanens. Tum quia principia, quæ dantur ad plures diverſos actus, eóſque ſibi ſuccedentes, debent eſſe permanentia. Quia debent exiſtere, dum ponuntur actus, ad quos ponendos elevant. Atqui principium elevativum Beatiſſimæ ad producendam unionem hypoſtaticam, eſt principium elevativum ad plures diverſos actus, eóſque ſibi ſuccedentes, quia fuit elevativum ad omnes actus ſupernaturales circa DEUM hominem exercitos, & Matri DEI proprios, eóſque ſibi ſuccedentes, quales actus fuerunt: in utero portare Filinm DEI, ubere de Cœlo pleno alere, diligere talem Filium, commoda omnia, & bona procurare illi Sanctiſſimæ proli &c. qui actus ſucceſſivè exercebantur. Ergo. Tandem radix exigitiva proprietatum permanentium debet etiam ipſa eſſe permanens, quia debet proportionari ſuis proprietaribus. Atqui Maternitas DEI conveniens Beatiſſimæ eſt radix exigitiva proprietatum permanentium. Quia eſt radix plenitudinis illius gratiæ, & donorum habitualium, à qua gratia Beatiſſima ab Angelo fuit ſalutata gratiâ plena; eſt radix habitualis pietatis in Filium, quæ in Matre DEI diverſa fuit à pietate aliarum Matrum in Filios ſuos; eſt radix prærogativarum & privilegiorum, quæ illi permanenter conveniebant, quòd eſſet Regina mundi, Domina univerſorum, Advocata noſtra, Reparatrix generis humani.

Neque valet, ſi dicas ad generationem inſtantaneam, quæ ſcilicet uno inſtanti tranſigitur, non eſt opus principiô permanente, cùm ſufficiat principium tranſiens. Sed generatio, quâ Beatiſſima genuit Filium DEI, fuit inſtantanea, in uno enim eodémque inſtanti Perſona VERBI fuit unita corpori & animæ Chriſti, ſeu humanitati toti. Ergo ad hanc generationem non fuit opus principio permanente. Non valet, inquam. Nego enim imprimis Majorem. Si enim dantur principia permanentia elevativa Potentiarum naturalium, ad actus ſalutares inſtantaneos, ùt in primis noſtris Parentibus dabatur principium permanens, nimirum habitûs obedientiæ ad obediendum præcepto de non comedendo pomo vetito, quæ obeditio fieri potuit in inſtanti. Etiam ad generationem inſtantaneam poteſt dari principium permanens. Diſtinguo

stinguo deinde Majorem. Ad generationem instantaneam non est opus principio permanente, si tale principium datur unicè propter illam generationem. Omitto Majorem. Ad generationem instantaneam non est opus principio permanente, si illud principium detur etiam propter alios effectus, & non præcisè propter generationem. Nego Majorem, & omissa Minore, Distinguo similiter Consequens, ac Dico: quidquid sit de hoc, an opus sit principio permanente ad instantaneam actionem, dum principium illud datur unicè propter talem actionem; certum nihilominùs videtur, opus esse principio permanente, quod ità datur propter generationem instantaneam, ut etiam debeat præstare alios effectus, tam in genere causæ formalis, quàm in genere causæ efficientis, qui aut instantanei non sint, aut non ponantur simul, sed debeant unus alteri succedere. Cùm ergo principium elevativum ad producendam unionem hypostaticam non detur unicè propter generationem instantaneam, seu productionem dictæ unionis, sed debeat præstare effectus plures diversos, tam in genere causæ formalis, quàm in genere causæ efficientis, eósque vel permanentes, vel sibi succedentes, aut succedere exigentes, dictum principium elevativum ad producendam unionẽ hypostaticam debet esse permanens. Porro hoc ipsum principium debet præstare effectus in genere causæ formalis, effectum formalem Matris & Genitricis DEI, debet Beatissimam Virginem modo specialiore sanctificare formaliter sanctificatione requisita ad generandum DEI Filium, debet Beatissimam reddere participem virtutis generativæ Filii DEI convenientis Patri æterno, &c. In genere causæ efficientis debet præstare hos effectus: gestare in utero prolem illam sanctissimam, fovere, alere, nutrire, providere illi bona & commoda, diligere ùt DEI & suum filium; qui omnes effectus, aut instantanei non sunt, sed postulant esse permanentes, ùt dictum est de effectibus causæ formalis, aut sibi invicem, & generationi debent succedere, ùt patet in gestatione in utero, & in nutritione, qui actus debent succedere generationi, nec sunt instantanei: cùm in uno instanti exerceri, & absolvi non debeant. Idem Argumentum, ejúsque Major potest sic distingui. Ad generationem instantaneam non est opus principio permanente, nec tale principium dari, aut ad generationem dictam concurrere potest. Nego Majorem. Ad generationem instantaneam non est opus principio permanente, quamvis dari possit tale principium, & ad dictam generationem concurrere. Omitto hanc partem distinctæ Majoris, & omissa Minore distinguendum similiter est Consequens & dicendum: etiamsi ad actum instantaneum non sit omnino opus principio permanente, potest tamen per ordinem ad talem actũ dari, & concurrere principium permanens. Et sic ad actus salutares, qui in instanti fiere possunt, etiamsi non sit omnino opus principio permanente; hi enim possunt produci ex vi auxilii transeuntis, & defacto producuntur à peccatoribus, tamen possunt etiam produci tales actus ex vi auxilii habitualis, seu permanentis, & dependenter à tali auxilio producuntur à justis. Tertiò sic potest distingui Major. Ad generationem instantaneam non est opus determinatè principio permanente. Omitto Majorem. Non est opus indifferenter principio vel permanente, vel transeunte. Nego Majorem. Quartò tandem hôc modô Distinguo. Ad generationem instantaneam, ut hæc detur simpliciter, non est opus principio permanente. Omitto Majorem. Ad generationem instantaneam, ut hæc detur connaturaliùs, & gloriosiùs generanti, non est opus principio permanente, Nego Majorem. Circa Minorẽ, quæ omittitur, Adverto, & Noto diligenter. In generatione DEI hominis, plures intervenisse actiones. Primò intervenisse præparationem, & elaborationem purissimi sanguinis ipsius Beatissimæ, ut hic esset idoneus formando Christi corpusculo. Secundò intervenisse subministrationem dicti sanguinis pro materia corporis Christi, ipsiúsque congregationem in uterum Virginis. Tertiò intervenisse configurationem corporis, ejúsque deorganizationem. Quartò creationem, & infusionem animæ corpori. Quintò productionem unionis essentialis inter corpus & animam.

Sextò tandem productionem unionis hypostaticæ inter naturam humanam & Personam VERBI, & hac productione absoluta & terminata est generatio DEI hominis. Omnes hæ actiones, præsertim proximè spectantes ad generationem Christi, licèt brevissimo tempore peractæ fuerint, ùt docent SS. Patres Fulgentius, & Basilius, & cum ipsis communiter Theologi, dum censent proximè post discessum Archangeli Gabrielis, VERBUM Divinum incarnatũ fuisse, & assumpsisse humanitatẽ, adeoq; proximè post consensum Virginis in Incarnationẽ, in utero Virginis Corpus Christi formatum esse, & perfectè deorganizatum; statim itèm secutam animationem corporis Christi, & non post quadraginta dies, ùt in nobis animatio contingit, ac etiam corpori animato unitam fuisse hypostaticè Personam VERBI, licèt inquam, totum brevissimo tempore peractum sit, tamen non omnes hæ actiones fuerunt instantaneæ, & uno instanti peractæ sunt, nec poterant omnes in uno instanti fieri; aliquæ enim vel dicunt, vel requirunt motum localem, qui instantaneus esse non potest. Productio unionis hypostaticæ, quam principaliter dicit generatio DEI hominis, dicitur communiter fuisse instantanea. Ergo conformiter ad ea, quæ docui in Philosophia, censeo productionem hanc unionis hypostaticæ non fuisse instantaneam per metaphysicam ejus indivisibilitatem, & exclusionem partium talis productionis sibi succedentium; sed per hoc illam fuisse instantaneam, quòd per eam, singulásque ipsius partes poneretur totus simul ejus terminus, nimirum, quòd poneretur tota simul unio hypostatica uniens Personam Divinam cum tota simul humanitate; non verò ità, ut partes unionis, unientes diversas humanitatis partes, sibi succederent.

Objectiones aliæ contra influxum instrumentalem Beatissimæ Matris DEI in unionem hypostaticam, habentur, ad eásque repondetur Disp. 2. à Num. 136. ad Num. 141. inclusivè.

## §. II.

### An Beatissima MARIA fuerit simul Virgo, & Mater, an semper Virgo manserit, & an votum Virginitatis, & castitatis emiserit?

9. Potuisse in alia Providentia DEUM nasci ex Matre non Virgine, videtur facilè inferri ex dictis, Disp. 3. num. 60 & 61. Si enim (ùt à pluribus Theologis docetur) Persona VERBI potuit assumere naturam in ante peccatricem, potuit quoq; assumere naturam humanã, acceptam à Matre non Virgine, adeoque potuit absolutè DEUS nasci ex Matte non Virgine; cùm minus indecentiæ appareat in Nativitate DEI ex Matre non Virgine, quàm in assumptione humanitatis, quæ in ante peccavit, nec sit in ullo horum implicantia. Defactò tamen secundùm præsentem providentiam DEUM natum esse ex Virgine Matre, docet sancta Fides. Eadem contra blasphemias hæreticorum docet, non solùm ante partum, & in partu, sed etiam post partum Divinissimam MARIAM DEI Genitricem fuisse, & semper mansisse intemeratam, intactam, purissimam & perpetuam Virginem. Docent præterea aliqui Patres, & plures Theologi, purissimam Virginem emisisse votum Virginitatis, & Castitatis.

10. Dicendum est, Sanctissimam MARIAM fuisse simul DEI Matrem & Virginem, semperque mansisse Virginem, Votum etiam Virginitatis & Castitatis nuncupâsse.

Prima pars est articulus, & dogma fidei, Symbolô Apostolorum definitum, illis verbis: *qui conceptus est de Spiritu S. natus ex MARIA Virgine.* Symbolô itèm Nicæno. *Et Incarnatus est de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine*, à tota semper Ecclesia assertum, in omnibus ferè Conciliis, sed vel maximè in Concilio Chalcedonensi, ùt habetur in Epist. S. Cyrilli ad Nestorium illis verbis: *si, qui ante sæcula omnia natus est ex Patre, etiã ex muliere dicitur carnaliter procreatus, nõ quia Divina ipsius Natura de sacra Virgine sumpsit exordium &c. est enim ineptum; & stultum docere, quòd is, qui ante omnia sæcula est consubstantialis Patri, secundæ regenerationis eguerit, ut esse inciperet, sed quia propter nos, & propter nostram salutem,* natu-

*naturam sibi copulavit humanam, & processit ex muliere, idcirco natus esse dicitur carnaliter.* Hoc ipsum dogma fundatur in promissionibus Prophetarum, Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Testimoniis Scripturarum. Matth. 1. dicitur, *Angelus Domini apparuit Joseph in somnis dicens: Joseph Filii David noli timere accipere MARIAM conjugem Tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est, pariet autem Filium. Hoc autem factum est, ut adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium.* Lucæ etiam 1mo id ipsum asseritur &c. Idem dogma à sanctis Ecclesiæ Doctoribus multis celebratur. S. Augustinus expendens illud Joan. 1. *VERBUM caro factum est* dicit: *ubi hoc factum est nisi in utero virginali, ubi fuit initium hominis Christi?* S. Ambrosius lib. 2. in Cap. 1. Lucæ. *Non Te moveat, quòd frequenter MARIAM Scriptura vocat conjugem, non enim Virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio, & nuptiarum celebratio declaratur* S. Hieronym. in Matth. Cap. 1 dicit: *Quòd Joseph potiùs custos, quàm maritus fuerit MARIÆ.* S. Bernard. Hom. 1. super missus est: *A sæculo non est auditum, ut aliqua simul Mater, & Virgo sit, quod si & cujus Mater attendas, quò te tua super ejus mirabili celsitudine ducet admiratio?* Et Cap. 4. de passione Domini: *protulit fructum saluberrimum mulier pulcherrima, flore Virginali non perdito.* Et Serm. 4. in assump. B. V. M. *Unum est, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia Matris habens cum Virginitatis honore. Optimam partem elegit MARIA, prorsus optima est fæcunditas virginea, seu fæcunda Virginitas. MARIÆ privilegium est, non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea.* Et iterum. *Quæ poterit lingua etiam Angelica dignis extollere laudibus Virginem Matrem, Matrem autem non cujuscunque, sed DEI. Duplex novitas, duplex prærogativa, duplex miraculum, sed dignè prorsus amplissimèque conveniens; neque enim Filius alius Virginem, neque DEUM decuit partus alter.*

Hæc ipsa pars Theologicè sic probatur: Beatissimam MARIAM fuisse Matrem Filii DEI, simúlque Virginem, docet fides sancta, Concilia, & Patres unanimiter asserunt, & insuper decuit & conveniens fuit tum ipsi DEO, tum etiam Virgini Matri, ac utrique gloriosum; nimirum & DEO, ut non ex alia Matre nasceretur, nisi ex Virgine, & Matri, ut non alia pareret DEUM nisi Virgo. Insuper nulla in contra ratio est, ex vi cujus repugnaret Matrem DEI Virginem esse. Ergo Beatissima MARIA fuit simul & Mater DEI, & Virgo. Consequentia patet. Id enim sentiendum est de sanctissima DEI Parente, quod fides docet, Concilia, & SS. Patres unanimiter asserunt, estque conveniens ac gloriosum tum ipsi DEO nascenti, tum Matri DEUM parienti. Nec id rationi repugnat. Antecedens quoad illam partem, quòd fides doceat, & Patres unanimiter asserant Beatissimam fuisse simul & Matrem DEI, & Virginem, ostensum est adductis Conciliorum Definitionibûs, & Patrum Authoritatibûs. Secunda etiam pars, quòd conveniens fuerit & DEO in carne humana nascenti, ut ex Virgine nasceretur, & Matri DEUM parienti, ut Virgo pareret, constat tum ex D. Bernardi adducto illo textu: *duplex novitas, duplex prærogativa, duplex miraculum, sed dignè prorsus amplissimèque conveniens; neque enim Filius alius Virginem, neque DEUM decuit partus alter.* Tum quia & DEO, utpote summæ puritati conveniens fuit, ut ex purissima Virgine carnem sumeret, & Matri DEI conveniens, ut purissima Virgo esset, quæ DEUM summam puritatem gigneret. Tertia quoque pars Antecedentis, quòd nimirum gloriosius fuerit & Matri, quòd DEUM Virgo genuerit, & DEO, quòd ex Virgine Matre natus sit, probatur. Est gloriosum id Matri. Quia gloriosum huic est, quòd in suum Filium majorem præstiterit influxũ, quàm aliæ Matres præstent in suos Filios. Matres enim aliæ talem influxũ præstant, ut sanguis ipsarum sit non nisi pars corporis, quod Filii ab ipsis accipiunt; altera siquidem ejusdem compars est, quæ ex Patre sumitur, ab eóque per generationem cōmunicatur. Mater verò DEI per hoc, quòd Virgo genuerit, totum corpus DEO suo Filio dedit, hic enim non nisi ex purissimo ejus sanguine carnem suam sumpsit. Gloriosum etiam est DEO Incarnato, Matrem habuisse Virginem. Quia sicut inglorium est Filio, dedecus & ignominia Parentum, ita

ità è contrà gloria est Filii, honor & gloria Matris, quódque huic est gloriosum, est gloriosum & Filio. Ultima tandem pars Antecedentis, quòd nulli rationi repugnet DEI Matrem esse Virginem, probatur. Nil est repugnantiæ, quòd aliqua sit Virgo, & Mater. Certè potentiam Divinam metiri non debemus hîs, quæ ex ordinario rerum cursu novimus, siquidem Angelo attestante, *non est impossibile apud DEUM omne Verbum.*

11. Secunda pars Conclusionis probatur. Tum sensu communi Ecclesiæ, quæ Beatissimam MARIAM confitetur, & credit, vúltque ab omnibus credi fuisse semper intemeratam Virginem, ante partum, in partu, & post partum; imò cùm asserit ipsam Virginitatem fuisse, dum sic precatur. *Sancta, & immaculata Virginitas, quibus Te laudibus efferam, nescio, quia quem cæli capere non poterant, Tuô gremiô contulisti.* Tum quia Sanctissima Virgo in sacris Scripturis dicitur *hortus conclusus, fons signatus*, *dicitur porta illa sanctuarii, de qua Ezech. 44. Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus DEUS Israel ingressus est per eam* (intellige in Incarnatione VERBI, ejúsque nativitate) Tum quia SS. Patres perpetuam DEIparæ agnoscunt, & prædicant puritatem, & Virginitatem. S. Hieronymus, lib. 1. in cap. 1. Matth. dicit: *quod autem dicitur, antequàm convenirent, non sequitur, ut posteà convenerint, Scriptura, quòd factum non sit, ostendit.* Et iterum adversùs Jovinianum. *Christus Virgo, Mater Virginis nostri Virgo perpetua, Mater & Virgo.* S. Ildephonsus in lib. de Virginitate B. MARIÆ. *De prole, ab Angelo nunciata es, & post fœtum integra, & pudica manes - Ecce Beata Tu inter Mulieres, integra inter puerperas.* S. Joan. Damascenus Orat. 2. de Dormitione B. MARIÆ: *hodie Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata est affectibus, sed cælestibus educata cogitationibus, non in terram reversa est, sed cùm esset animatum cælum, in cælestibus tabernaculis collocatur.* Et iterum: *cui placuit ex MARIA Virgine carnem sumere, quiq; post partum incorruptam servavit ejus Virginitatem, eidem etiam placuit & ipsius, postquam migravit. immaculatum corpus incorruptum servatum, translatione honorare ante communem & universalem resurrectionē.* S. Bernardus in sua ad gloriosam Virginem deprecatione: *Spiritus S. tuum uterum ineffabili modo fæcundavit, fecitque, ut DEUM & hominem clausa conciperes, clausa pareres, post partum Virgo permaneres.* Tum ratione Theologica. Virtus, & perfectio possibilis secundùm se Deiparæ, eidem, ac Filio ejus conveniens, ac gloriosa, Scripturæ, fidei, ac Patribus, ac rationi non repugnans non est neganda Matri DEI sanctissimæ, de qua quàm honorificentissimè sentiendum est. Sed Virginitas perpetua est virtus, & perfectio Matri DEI secundùm se possibilis, eidem & DEO ejus Filio conveniens; est præterea ipsis gloriosa, nec fidei, Scripturis, Patribus, ac rationi repugnans. Ergo talis Virginitas non est neganda DEI Genitrici MARIÆ. Minor probatur per partes. Imprimis Virginitas perpetua fuit secundùm se possibilis. Etiamsi enim sint nō leves difficultates in ea servanda, nec fuerint exempla hujus servatæ diuturniori tempore in lege naturæ, & in lege scripta, simpliciter tamen & absolutè cum auxilio specialis gratiæ Divinæ servari potest & potuit, si præsertim adsint Virginitatis illæ custodes virtutes, quas recensent S. Bernardus, & Ambrosius, dicúntque tales custodes esse humilitatem, modestiam, linguæ, & sensuum custodiā, misericordiam, abstinentiam, orationis studium, & alias similes. Talisque servatæ Virginitatis habentur multa exempla in lege gratiæ, ùt testatur idem Bernardus Serm. 4. de Assumptione: *Si laudavero Virginitatem* (intellige Virginis MARIÆ) *mihi multæ Virgines videntur post eam offerri.* Ergo Virginitas, & Virginalis castitas secundùm se est possibilis. Secundò probatur, quòd Virginitas perpetua MARIÆ fuerit conveniens tum ejus & DEI Filio, tum ipsi Matri DEI. Sanctissima DEI Mater, ùt vocat S. Chrysologus Serm. 140. *Fuit Domus DEI ad habitandum, thalamus ad quiescendum, thronus ad judicandum, tabernaculum ad pugnandum, cathedra ad docendum.* Atqui conveniens est tum sanctissimæ DEI Genitrici, tum Filio ejus DEO homini non profanari unquam hanc domum, quam summa decet sanctitudo; non profanari DEI hominis thronum, tabernaculum, cathedrā,

&c.

&c. quæ certè profanata fuisset, læsa & profanata Virginitate. Ergo conveniens fuit tum DEO homini, tum Matri DEI hominis, ut Virgo semper permaneret, ut meritò cum Judith dicere possit: *vivit ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, & non permisit Dominus ancillam suam coinquinari.* Tertiò probatur, quòd & Christo & Deiparæ fuerit gloriosum ipsam mansisse semper Virginem; si enim, ùt habetur Judith 15. eidem Judith gloriosum fuit, quòd castitatem amaverit, quòd post virum suum alterum nescierit, & si hæc ideò dicitur benedicta in æternum, tantò magis gloriosum est Matri DEI, quòd Castitatem ità amaverit, ut virum non cognosceret, ut Virgo perpetua manserit, & interim DEUM hominem, fructû castissimi sui uteri, mundo protulerit, éstque indè benedicta in æternum. Quartò tandem, quòd Virginitas perpetua MARIÆ Fidei, Scripturæ, & Patribus non repugnet, cõstat ex adductis Authoritatibus, imò his quàm maximè conformis est. Non repugnat etiam rationi, cui si repugnaret, deberet tollere omnipotentiam Divinam, vel illam circumscribere; deberet circumscribere munificentiam DEI Filii in Matrem suam, adeoque deberet tollere DEUM; quod cùm implicatorium sit, nulla potest ratio esse, cui repugnet tanta puritas, & perpetua DEIparæ Virginitas.

12. Tertia pars Conclusionis, quâ dicitur, quòd Beatissima nuncupaverit votum Virginitatis, & Castitatis, probatur tum Authoritate D. Bernardi Serm. 4. de Assumpt. dicentis: *Si rerum pretia de raritate pensamus, quæ prima in terris Angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? immobile propositum Virginitatis, quod nec Angelo Filium promittente aliquatenus titubavit:* Ruperti lib. 1. in Cantica: *Hæc prima vovit DEO votum virginitatis.* Hoc ipsum asserit Magnus è Societate nostra Asceta. P. Ludovicus de Ponte Parte 5. Med. 33. dicens: *Beatissima Virgo excelluit in custodia Castitatis, nam votô se obstrinxit, & reipsa perpetuò servavit puritate majore, quàm Angelica.* Tum quia decuit, ut Beatissima votô se obstringeret ad servandam virginitatẽ, & castitatem, quæ datura erat exempla vivendi, & in qua tanquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeamus, nobis ostenderet. Decuit etiam, ut Beatissimæ Matri DEI non deessent virtutes & perfectiones, quæ in aliis SS. Virginibus inveniuntur. Cùm ergo aliquæ SS. Virgines votô castitatis, & virginitatis se obstrinxerint, decuit, ut simile votum Sanctissima DEI Mater emisisset. Hoc votum dicitur Beata Virgo emisisse in sui præsentatione in templo Hierosolymitano; imò existimant aliqui, quòd tunc nuncupaverit vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, & per hanc nuncupationem statum Religiosum fundaverit, & instituerit.

## Proponitur Objectio.

13. Objiciunt & blasphemant hæretici, impugnantes Virginitatem DEIparæ. Primò in pluribus sacræ Scripturæ locis MARIA Mater Christi dicitur Mulier, nec Christus eam vocat unquam Virginem, sed semper dicit Mulierem; etiamsi hæc ergo ante annuntiationem Incarnationis, & ante conceptionem Christi fuerit Virgo, tamen non semper mansit Virgo. Mulier enim significat eam, quæ non est Virgo. Secundò, Christus habuit Fratres. Matth. enim 12. dixit quidam: *Ecce Mater Tua, & Fratres Tui quærentes Te.* Ergo Mater Christi habuit plures Filios, Fratres ejusdem Christi, adeóque non mansit semper Virgo. Tertiò Luc. 2. Nativitas Christi sic describitur: *Factum est, impleti sunt dies* (intellige MARIÆ) *ut pareret, & peperit Filium suum primogenitum* Ergo Christus fuit Filius MARIÆ primogenitus. Sed Filius primogenitus supponit, vel connotat, & infert etiam alios Filios secundò & tertiò genitos. Ergo & tales Filios habuit Beata MARIA Mater Christi, eósque habendo non erat ampliùs Virgo.

## Respondetur ad Objectionem.

14. Horrent aures ad tales, tantásque blasphemias; ut tamen Catholica veritas pateat, Retorqueo, quod primò objicitur, in adversarios. Gen. 2. Heva, dum

dum primò ex costa Adæ ædificata est, vocatur Mulier. Dicitur enim: *ædificavit Dominus DEUS costam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Ergo Heva in sui formatione non fuit Virgo, Antequàm adduceretur ad Adam, adeoque nunquam fuit Virgo. Et Gen. 3. *Dixit Adam: mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit de ligno, & comedi,* & tamen Heva adhuc tunc virgo fuit, siquidem Adam post expulsionem sui, uxorisque ex paradiso, ùt dicitur Gen. 4. *Cognovit uxorem suam Hevam, quæ concepit, & peperit Filium.* Ergo nomine Mulieris venit. & venire potest illa, quæ Virgo est. Directè Nego Consequentiam, & Dico. Nomine Mulieris, significari indifferenter sive eam, quæ Virgo est, sive eam, quæ non est Virgo; hoc enim nomen assumptum est ad significandum sexum, non verò ad significandam amissam Virginitatem, seu eam, quæ Virginalem integritatem amisit. Potest etiam dici per Mulieres intelligi eas, quæ desponsatæ, ac matrimonio junctæ sunt viris, licèt Virgines sint. Quare autem Christus Matrem suam semper Mulierem appellaverit, nunquam dixerit Virginem; videtur id fecisse ex eo, quòd censeret Judæis propter cæcitatem, duritiam cordis, & ipsorum incredulitatem, non debuisse tunc clarè & expresè revelari Virginitatem Matris suæ. Sed sicut ipse Christus suscepit circumcisionem, notam & stigma peccatoris, cùm peccatum non haberet; sicut Mater ejus, etiamsi conceperit, & pepererit Filiũ non suscepto viri semine, tamen Mulieris hôc modô parientis legem servavit, cùm purificationem præscriptam fecerit, ità licèt MARIA Christi Mater esset Virgo, talémque eam esse sciret suus Filius Christus, tamen Christo placuit eam mulierem appellare.

Ad secundum Argumentum Respondeo. Etiamsi ex adducto textu bene inferatur habuisse Christus Fratres in gradu remotiore, seu Fratres non germanos, nec uterinos; non infertur tamen, quòd illi Fratres, qui hoc textu memorantur, fuerint Fratres Christi uterini, adeoque proprii per generationẽ naturalem Filii MARIÆ.

Ad Tertium Scripturæ testimonium Dico. Sanctissimam MARIAM, cùm venit tempus, peperisse Filium suum primogenitum, qui talis erat per exclusionem Filiorum aliorum ante se genitorum, & qui secundùm legem Moysi pro primogenito habebatur; non peperisse autem Filium primogenitum, qui talis esset per ordinem ad alios Filios ex eadẽ Matre, per naturalem generationem posteriùs genitos.

## §. III.

### An inter Beatissimam Virginem, & Sanctissimum Joseph fuerit verum Matrimonium?

15. Præmitto. Matrimonium verum & propriè dictum à jure definiri per hoc, quòd sit conjunctio maritalis viri & fœminæ inter Personas jure habiles, individuam vitæ consuetudinem continens. A Theologis Matrimonium definitur, quòd sit contractus humanus, quô per consensum reciprocum Personarum habilium Maris, & fœminæ sensibili signo expressum, mutuò traditur & acceptatur jus in corpora contrahentium in ordine ad perpetuam vitæ Societatem, & prolis susceptionem. Matrimonium propriè tale differt à sponsalibus per hoc, quòd sponsalia sint promissio mutua deliberata signo sensibili expressa de contrahendo à Personis habilibus matrimonio; seu est promissio &c. de celebrando contractu, in quo consistit matrimonium. Matrimonium verò propriè dictum sit ille ipse contractus, quô Mas jus tradit in suum corpus fœminæ, & hæc vicissim tradit in suum itidem corpus viro, & tale jus ambo acceptant in ordine ad individuam vitæ consuetudinem, & prolis susceptionem. Unde patet matrimonii veri & proprii essentiam totam consistere in mutua traditione juris in corpora Personarum habilium Maris & fœminæ, talisque juris mutua acceptatione; adeoque Matrimonium verum, ùt dicit Eugenius Papa in suo Decreto in Concilio Florentino, perficitur mutuo consensu Personarum habiliũ &c. Matrimonium verum, & propriè tale dividitur in matrimonium ratum, & matrimonium consumatum. Matrimonium ratum

ratũ est cõtractus traditionis juris&c. expressus signo sensibili absque eo, quòd sit secuta copula conjugalis. Matrimonium consumatum ultra contractũ matrimonialem dicit insuper copulam conjugalẽ post contractum secutam. Divisionem hanc Matrimonii supponit & acceptat Concilium Trident. Sess. 24. Can. 6. Secundò Matrimonium dividitur in Matrimonium liberum, absolutum, & non impeditum, & in Matrimonium impeditum & ligatum. Hôc modô dividitur Matrimonium juxta divisionem Dominii, & juris; sicut enim dominium, & jus aliud est ligatum, & quò ad certos usus suos impeditum, aliud est dominium liberum, & absolutum quoad omnes usus, & possibiles dispositiones; ità matrimonium, quod est species juris, & Dominii conjugibus mutuò convenientis in ipsorum corpora, aliud est absolutum, liberum, & nullatenus impeditum, aliud Matrimonium ligatum & impeditum quoad aliquos usus. Tertio dividitur in Matrimonium, quod est contractus merè civilis, & politicus, validus, & in matrimonium, prout est Sacramentum novæ legis. Matrimonium, quod est contractus validus, merè civilis, sunt Matrimonia Infidelium, Mahometanorum, Ethnicorum, Judæorum, hæc enim sunt contractus validè civiles, non habentes rationem veri Sacramenti novæ legis. Matrimonium, quod est simul Sacramentum novæ legis, sunt Matrimonia Christi Fidelium; hæc enim ità sunt contractus conjugales validi, ut simul sint verè & propriè Sacramenta novæ legis, hoc est, ut sint signa sensibilia, symbolica gratiæ sanctificantis, eandem in contrahentibus baptizatis causantia ex opere operato. Hôc præmissô

16. Dicendum est primò. Inter Beatissimam DEI Matrem & inter S. Josephum fuisse verè & propriè tale Matrimonium. Illudque ratum non nisi, non verò consummatum. Matrimonium itèm ligatum & impeditum per respectum ad usum, & consummationem Matrimonii.

Probatur prima pars. Tum Authoritate imprimis Scripturæ Matth. 1. *Angelus Domini apparuit in somnis ei* (id est Joseph) dicens; *Joseph Fili David noli timere accipere conjugem Tuam.* Unde sic arguitur. Contractus, ex vi cujus Sanctissima MARIA fuit conjux S. Josephi, & ex vi cujus S. Joseph habuit in eam dominiũ tanquam in uxorem suam, est verum, & propriè tale Matrimonium. Talis enim contractus non est præcisè contractus sponsalium, ratione enim contractûs sponsaliorum contrahentes sunt sponsi, & non conjuges, neuter habet dominium alterius, sed hoc primùm acquiritur per Matrimonium, ut fœmina dici possit conjux hujus viri, & vir dici possit hujus fœminæ conjux, & vir. Sed inter Beatissimam Virginem & S. Josephum fuit talis contractus, ex vi cujus Beatissima fuit conjux S. Josephi, & S. Joseph habuit dominium & proprietatem in Beatissimam, ut dici possit: *Noli timere accipere conjugem Tuam.* Fuit contractus; non potuit enim aliter S. Joseph habere conjugem suam, nisi dependenter à contractu aliquo: fuit etiam contractus, ex vi cujus Beatissima Virgo fuit conjux S. Josephi, & non præcisè sponsa, talem enim asserit Scriptura. Deinde probatur Authoritate Patrum. Ambrosii lib. 2. in Cap. 1. Lucæ *Non te moveat, quòd frequenter MARIAM Scriptura vocat conjugem, non enim virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio, & nuptiarum declaratio celebratur.* S. Augustini lib. de Nuptiis. *Omne nuptiarum bonum impletum est in illis Parentibus Christi: proles, fides, & Sacramentum; Prolem cognoscimus Dominum JESUM; Fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium, solus ibi nuptiarum concubitus non fuit.* Tum ratione probatur. Ubi habetur tota essentia matrimonii validi & perfecti, ibi habetur matrimonium perfectum & validum. Cùm enim matrimonii perfecti & validi tota essentia sit omnino indistincta à matrimonio valido & perfecto, implicat alicubi dari totam essentiam matrimonii validi & perfecti, & non dari ipsum matrimonium validum & perfectum, aliàs posset aliquid dari sine seipso. Sed inter Beatissimam & S. Josephum habetur, & habita fuit tota essentia matrimonii validi, & perfecti. Ergo inter ipsos fuit matrimonium verum, validum, & perfectum. Minor probatur. Inter quas personas habiles, marem

rem & fæminam datur contractus validus traditionis,& acceptationis mutuæ juris in corpora ad perpetuam vitæ Societatem, &c. inter illas Personas habetur tota & adæquata essentia matrimonii, hæc enim adæquatè consistit in tali contractu. Sed S. Joseph, & Beata Virgo fuerunt Personæ habiles ad contrahendum, Mas & fæmina, & inter has Sanctissimas Personas fuit contractus validus per mutuum consensum traditionis & acceptationis juris, & dominii in corpora in ordine ad perpetuam vitæ Societatem &c. quia fuit dominium per talem contractum acquisitum, ex vi cujus S. Joseph fuit Vir MARIÆ, juxta illud Matth. 1. *Joseph autem vir ejus*, ( *id est MARIÆ*) *cùm esset justus*. Beatissima verò Virgo fuit conjux propria S. Josephi juxta illud: *noli timere accipere conjugem Tuam.* Ergo &c. Tum quia ad rationem veri & perfecti matrimonii inter S. Josephum & Beatissimam Virginem nihil deest. Ergo inter ipsos fuit verum & perfectum matrimonium. Antecedens probatur. Si quid deesset ad rationem veri, & perfecti matrimonii, hoc deesset, quòd non esset consummatum, seu quòd non fuerit copula conjugalis. Atqui licèt hæc defuerit, tamen hæc ipsa non est de ratione verè, & propriè dicti Matrimonii, quia quod habetur perfectum, & validum ante copulam corporalem, de illius ratione non est talis copula: sed matrimonium habetur perfectum & validum ante copulam corporalem, quia ante hanc habetur consensus mutuus Personarum habilium, per quem mutuò traditur & acceptatur jus in corpora &c. qui nonnisi est de ratione matrimonii validi, & perfecti; siquidem, ùt docetur à Concilio Florentino in Decreto Eugenii, matrimonium perficitur mutuo consensu Personarum habilium. Tum quia ex una parte potuit inter Beatissimam DEI Matrem & inter S. Josephum dari verum, & propriè tale matrimonium, cùm non appareat ulla repugnantia, ratione cujus dari non posset; ex altera parte conveniens fuit, ut inter Sanctissimam Virginem & S. Josephum esset verum & propriè tale matrimonium, & ut hæ sanctæ Personæ essent veri, & propriè dicti conjuges; conveniens inquam fuit, ut Christi honori, ejúsque conceptionis, & Nativitatis æstimationi consuleretur apud rudem, & ignaram Judæorum plebem, & Beatissimæ Virginis famæ, & honestati provideretur. Si enim inter S. Josephum & Beatissimam non fuisset verum conjugium, Judæi illi carnales, & ignorantes mysteria DEI, non aliud opinati fuissent, nisi quòd Beatissima conceperit ex adulterio, vel fornicatione. Ergo.

17 Secunda pars Conclusionis patet ex adducta Authoritrte S. Augustini, aliisque Authoritatibus. Tum quia matrimonium, quod fuit inter Beatissimam & S. Josephum, non fuit, nec potuit esse aliud, nisi ratum. Supposita enim perpetua virginitate Beatissimæ DEI Matris, supposito virginitatis & castitatis votô, quô se hi sanctissimi conjuges obstrinxerunt ad virginalem perpetuam castitatem, supposita etiam talis voti accuratissima, & perfectissima ab utroque observatione, non potuit inter sanctissimos hos conjuges aliud esse matrimonium, nisi ratum ità, ut fidei repugnet dicere, quòd matrimonium illud fuerit consummatum. Ergo. Tum quia si matrimonium Beatissimæ cum S. Joseph non fuisset matrimonium ratum, non fuisset ex eo, quia tale matrimonium in his personis repugnaret, vel quia matrimonium ratum non esset verè & propriè dictum matrimonium. Atqui ex neutro hoc capite potest negari, matrimonium ratum inter Beatissimam & S. Josephum. Non ex primo; quia ex nulla ratione repugnat matrimonium ratum, sive inter alios, cùm defacto posse illud dari doceat S. Fides Catholica, dum in Concilio Trident. Sess. 24. Can. 6. Anathemate ferit eum, qui diceret matrimonium ratum, non consummatum per solennem professionem alterius conjugum non dirimi. Neque repugnat matrimonium ratum inter hos determinatè conjuges, nimirum inter Beatissimam Virginem & S. Josephum, ùt patebit ex solutione objectionum. Non etiam ex secundo capite negari debet matrimonium ratum inter Beatissimam & S. Josephum, quòd tale matrimonium non sit validum, nec verè & propriè tale matrimonium. Non minùs enim matrimoni-

monium ratum eſt validum & propriè tale, atque matrimonium conſummatum eſt matrimonium validum, & propriè tale. Cùm matrimonium conſummatum ſupra matrimonium ratum nihil ſuperaddat, niſi copulam carnalem, quæ non eſt matrimonium ipſum, ſed uſus matrimonii; ſicut verò juris & dominii uſus non eſt ipſum dominium, ſed eſt quid conſequens dominium, ab illóque diſtinctum & ſeparabile v. g. uſus dominii in equum, nimirum equitatio in equo non eſt ipſum dominium equi, ſed eſt quid diſtinctum à dominio, & ab ipſo ſeparabile; poteſt enim quis habere dominium equi, etiamſi non equitet in equo; habet itèm dominium equi ceſſante equitatione in eodem equo, ità habetur verè & propriè matrimonium, etiamſi non ſit conſummatum per copulam, ac etiam poſtquàm hæc deſiit, ipsáque copula eſt quid conſequens ad matrimonium, ídque non neceſſariò conſequens à motrimonio diſtinctum, & ſeparabile. Huc ſpectant aliæ rationes numero præcedente allatæ.

18. Tertia pars Concluſionis probatur. Matrimonium inter Beatiſſimam & S. Joſephum fuit impeditum & ligatum votô & propoſitô caſtitatis, & abſtinentiæ ab uſu, & conſummatione matrimonii. Ergo matrimonium Beatiſſimæ fuit matrimonium ratum, & validum, ac propriè tale, licèt impeditum, & ligatum. Antecedens patet. Quia Beatiſſima tale votum & propoſitum emiſit, ùt dictum eſt num. 12. Probabile etiam eſt, quòd S. Joſeph. idem votum emiſerit, illúdque ſanctè ſervaverit. Conſequentia probatur. Tum quia etiam in aliis hominibus poteſt dari matrimonium ratum, quod ſit validum & propriè tale, licèt impeditum. Tale matrimonium fuit inter S. Henricum Imperatorem, & inter S. Cunegundam Imperatricem. Tale itèm inter Boleſlaum pudicum Principem Poloniæ, & inter Conjugem ejus alteram S. Cunegundam, & inter tot alios ſanctos, qui ex mutuo conſenſu emiſsô Caſtitatis votô ſervârunt illibatam Virginitatem, abſtinendo à conſummatione, & uſu matrimonii. Tale etiam eſſet matrimonium, ſi poſt celebratum contractum matrimonialem, ante conſummationem matrimonii alteruter conjugum in gravem incideret infirmitatem; matrimonium enim talium conjugum eſſet validum & propriè dictum, licèt infirmitate impeditum & ligatum, quò minùs poſſet conſummari. Tum quia dominium in bona fortunæ poſſet eſſe validum & perfectum, ſimúlque impeditum & ligatum; tale eſt dominium pupillorum ſupra hæreditatem paternam ad ipſos devolutam, hi enim quamdiu pupilli ſunt, dominium hæreditatis paternæ habent ligatum & impeditum, quò minùs de hæreditate diſponere poſſint. Tale itèm dominium eſt uxorum in bona dotalia, quô illæ uti non poſſunt ſinè aſſenſu ſuorum virorum. Tale quoque dominium eſt Religioſorum Societatis JESU, qui poſt biennium novitiatûs vota ſimplicia emiſerunt. Hi enim etiamſi retineant dominium ſortis legitimæ ipſos concernentis, hoc tamen dominium ipſorum eſt impeditum & ligatum votô paupertatis. Ergo pariter dominium conjugum in corpora per contractum matrimonialem acquiſitum, poteſt eſſe dominium validum & perfectum, licèt impeditum & ligatum, adeoque matrimonium poteſt eſſe validum, & propriè tale, licèt impeditum & ligatum. Taléque matrimonium fuit inter Beatiſſimam Virginem, & S, Joſephum.

19. Dicendum eſt ſecundò. Matrimonium Beatiſſimæ cum S. Joſepho etiamſi fuerit matrimonium validum, & propriè tale; non fuiſſe nihilominus Sacramentum novæ legis.

Probatur. Ante inſtitutionem Sacramentorum novæ legis nulla habebantur Sacramenta novæ legis, adeoque nullus contractus matrimonialis ante inſtitutionem Sacramentorum novæ legis à Chriſto factam fuit Sacramentum novæ legis verè & propriè tale. Quia intelligi non poteſt, quòd totum etiam morale detur, ſi non intelligantur dari omnia ejus conſtitutiva ea ratione, quâ dari debent. Porrò ante inſtitutionem Sacramentorum novæ legis, non intelliguntur dari omnia conſtitutiva hujus totius moralis, Sacramentum novæ legis, eô modô, quô dari debent, quia non intelligitur inſtitutio Chriſti, quæ eſt unum ex conſtitutivis Sacramenti novæ legis, illúdque tale, quod præexiſtit

F ante

ante positionem sacramenti novæ legis, ut patet in omnibus sacramentis novæ legis. Sed contractus matrimonialis inter Beatissimam & S. Josephum fuit ante institutionem sacramentorum novæ legis, quia fuit ante conceptionem & nativitatem Christi, adeoque antè Christum, qui omnia & singula sacramenta novæ legis instituit. Ergo prædictus contractus matrimonialis inter Beatissimam & S. Josephum non fuit verum sacramentum novæ legis; solùm ergo dictus contractus novæ legis, fuit contractus merè civilis, licèt fuerit validum, & propriè tale matrimonium.

Neque valet, si dicas: S. Augustinus adductus num. 16. dicit: matrimonium inter Beatissimam & S. Josephum fuisse sacramentum. Non valet, inquam. S. enim Augustinus non asserit matrimonium illud fuisse verum sacramentum novæ legis, & quoad vim causativam gratiæ sanctificantis ex opere operato, sed dicit fuisse sacramentum minùs propriè & præcisè quoad indissolubilitatem talis sacramenti. Dicit enim S. Doctor matrimonium illud per hoc fuisse sacramentum, quia nullum fuit divortium. Porrò matrimonium illud potuit habere indissolubilitatem, etiamsi non fuerit propriè sacramentum novæ legis.

## Proponitur Objectio.

20. Et probatur, quòd inter Beatissimam & S. Josephum non fuerit verum, & propriè tale matrimonium. Imprimis probatur Authoritate Scripturarum, quæ sæpius Beatissimam dicunt fuisse sponsam S. Josephi, seu eidem desponsatam. Luc. enim 1. dicitur: *Missus est Angelus Gabriel à DEO ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Joseph, & nomen Virginis, Maria:* Et iterum Cap. 2. *Ascendit Joseph in Bethlehem, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi.* Et Matth. 1. *Cùm esset desponsata Maria Mater ejus Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu S.* Id ipsum probatur etiam Authoritate Patrum. Hieronymi super illud, *Jacob genuit Joseph Virum Mariæ* dicentis: cùm virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis Scripturarum, quòd sponsi viri, & sponsæ uxores vocentur. Idem alibi expresè ait, quòd Joseph potiùs custos, quàm maritus fuerit Mariæ. Et iterum dicit Josephum Nutritium, non maritum fuisse. Similia habent Hilarius, Cyrillus Hierosolymitanus, Chrysologus, Chrysostomus, Bernardus, & alii, qui videri possunt apud P. Uloa, Tract. de Incarn. Disp. 1. Num. 196.

Probatur deinde rationibus. Prima. De ratione matrimonii veri & propriè talis est, ut sit contractus inter Personas habiles, virum & fæminam, per quem traditur mutuo consensu, jus viro in corpus fæminæ, & jus fæminæ in corpus viri &c. Sed talis contractus inter Beatissimã & S. Joseph non potuit esse. Hi enim non erant Personæ habiles ad contrahendum taliter. Quia per votum castitatis & virginitatis, quod emiserunt, facti sunt inhabiles ad contrahendum. Ergo.

Secunda ratio est. Per matrimonium mutuo consensu confertur conjugibus jus in corpora ad susceptionem prolis, adeoque per ordinem ad copulam carnalem, dependenter à qua suscipitur proles. Sed Beatissima suo consensu nunquam hujusmodi jus contulit S. Josepho, utpote repugnans ejus voto, & proposito Virginitatis. Ergo.

Tertia ratio est. Etiamsi inter Beatissimam & inter S. Josephum potuerit dari matrimonium validum, & propriè tale, putueritque dari contractus validus traditionis & acceptationis juris, tamen talis contractus, & tale matrimonium non fuit illis licitum, nec potuit celebrari sinè peccato. Ab his enim, qui votum castitatis emiserunt, matrimonium licèt contractum valeat, licitè tamen contrahi non potest, siquidem tali voto adversatur. Ergo talis contractus non potuit esse, cùm Beatissima fuerit immunis ab omni peccato.

Quarta ratio est. Contractus non fuit, nec potuit esse licitus Beatissimæ, per quem in periculum & discrimen conjiciebatur ejus virginitas DEO per votum consecrata. Sed contractus matrimonii inter ipsam & S. Josephum talis fuit, per quem virginitas Beatissimæ per votum DEO consecrata in periculum & discrimen eonjiciebatur; si enim vir ejus S. Josephus immemor, vel pænitens sui voti, voluisset uti jure suo per matrimonium acquisito, & petiisset red-

di

di sidi bebitum conjugale, Beatissima deberet illud reddere; & sic virginitatem amittere. Ergo.

Quinta ratio est. Matrimonium illud Beatissimæ cum S. Josepho, siquidem erat ligatum, nec potuit deservire ad consequendum finem principalem matrimonii, qui est susceptio prolis, fuit prorsus otiosum & frustraneum, & inutile, cùm nulla ejus utilitas, aut necessitas assignari possit. Ergo tale matrimonium non debuit dari, cùm Beatissima abhorruerit à rebus, actionibus, & contractibus inutilibus.

## Respondetur ad Objectionem.

21. Authoritatibus, quæ objiciuntur, Authoritates pariter Scripturarum, & Patrum in probatione Conclusionis adductæ opponi debent, quæ ità movent Theologos, ut multi illorum, teste Patre Uloa, censeant de fide esse, quòd inter Beatissimam & S. Josephum fuerit verum matrimonium. Hanc veritatem inter alios acerrimè propugnat S. Augustinus præcipuus Theologorum Doctor, & Magister. Tum locis suprà adductis, tum lib. 2. de consensu Evangelistarum, cap. 1. ubi supra illa verba Matth. 1. *Jacob genuit Joseph Virum Mariæ*, de S. Joseph sic dicit: *Neque enim fas erat, ut ob hoc eum (id est Josephum) à conjugio Mariæ separandum Euangelista putaret, quòd non ex ejus concubitu, sed Virgo pepererit Christum. Hôc enim exemplô magnificè insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servatâ pari consensu continentiâ posse permanere, vocarique conjugium non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu, præsertim, quia nasci eis etiam Filius potuit sinè ullo complexu carnali, qui propter solos gignendos Filios adhibendus est.* Directè Respondeo. Authoritates Scripturarum & Patrum, quæ objiciuntur intelligi debere eo sensu, quòd inter Beatissimam & S. Josephum non fuerit matrimonium consummatum, non verò eo sensu, quod inter eos non fuerit matrimonium ratum, quamvis ligatum, & impeditum. Dicti enim Patres agebant contra hæreses impugnantes perpetuam DEI Genitricis Virginitatem, ad quam asserendam satis fuit negâsse inter Beatissimam & S. Josephum matrimonium consummatum, nec opus fuit, ut negarent etiam matrimonium ratum. Quòd verò dicti Patres matrimonium illud vocaverint desponsationem, locuti sunt accommodando se modo cõmuni loquendi, & intelligendi hominum præsertim rudiorum, qui per matrimonium intelligunt matrimonium consummatum. Per desponsationem verò quosvis contractus etiam maritales, non consummatos: id ipsum videtur intelligere per desponsationem S. Augustinus lib. de nuptiis, ubi de S. Josepho dicit: *conjux vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu nec cognoverat, nec cogniturus erat.* Addo, quòd illæ ipsæ Scripturæ, quæ Beatissimam dicunt fuisse desponsatam Joseph, eandem vocent conjugem & uxorem S. Joseph, ipsum verò S. Josephum vocant virum Mariæ. Ergo per hoc, quòd Beatissimam dicant desponsatam S. Josepho, non negant fuisse simul conjugem, nec negant verum inter eos fuisse matrimonium.

Ad Rationes per objectionem propositas, Respondeo. Primæ rationis Negando Minorem cum sua Probatione, & Dico: S. Josephum & Beatissimam fuisse personas habiles ad contrahendum matrimonium, tum ratione diversitatis sexûs, tum ratione ætatis in utroque sufficientis ad contrahendum, tum quòd Beatissima non fuerit obligata contractu matrimoniali ulli alteri viro. Per votum verò castitatis & virginitatis sancti illi Conjuges, licèt fuerint impediti & ligati, nè in casu, quô fecum contraherent matrimonium, possent illud licitè consummare, tamen non erant inhabiles ad contrahendum. Votum enim simplex castitatis extra religionem approbatam emissum, nec constituens religiosum, cùm non dirimat matrimonium tali voto adstrictum, non reddit inhabilem ad contrahendum etiam in nova lege, à fortiori non reddebat votum simplex castitatis, ad contrahendum matrimonium in veteri lege, & in synagoga judaica. Licèt verò votum solenne castitatis sacris ordinibus annexum, & per professionem religiosam emitti solitum, dirimat matrimonium, & tali voto obstrictos reddat inhabiles ad contrahendum, idque habeat ex lege positiva Ecclesiæ; quia tamen hujusmodi votum non fuit ante Christi adventum, nec

lex illa positiva adhuc esset, &c. ideò votum castitatis Beatissimæ & S. Josephi non poterat illos reddere inhabiles ad contrahendum matrimonium.

Secundam rationem Distinguo. Per matrimonium mutuo consensu confertur conjugibus jus in corpora semper absolutum, liberum, & non impeditum per ordinem ad susceptionem prolis &c. Nego Majorem. Jus vel absolutum, & non impeditum, vel quandoque impeditum, & ligatum. Concedo Majorem, & Distinguo Minorem. Sed Beatissima nunquam suo consensu contulit jus absolutum, nec impeditum S. Josepho in suum sacratissimum corpus, per ordinem ad susceptionem ex ipso prolis &c. Concedo Minorem. Nunquam suo consensu contulit jus etiam ligatum, & impeditum S. Josepho in suum corpus &c. Nego Minorem, & Consequentiam, Licèt verò collatio juris absoluti & non impediti repugnet voto & proposito Virginitatis, quod habuit Beatissima, non repugnabat tamen eidem voto collatio juris ligati & impediti; siquidem aliquod jus, quòd sit impeditum & ligatum in talibus contrahentibus, habeat hoc à voto castitatis & virginitatis, tanquam ab impedimento, & vinculo. Porrò tale jus potuisse conferri per matrimonium, constat ex dictis numerô 18.

Tertiæ rationis Nego secundam partem Antecedentis, nimirum Nego, quòd contractus matrimonialis, suppositô votô castitatis, semper sit illicitus, nec possit unquam celebrari licitè. Probationem Distinguo. Ab his, qui votum castitatis emiserunt, matrimonium non potest licitè contrahi ea ratione, ut contrahens votô obstrictus resiliat à voto, habeat voluntatem consummandi matrimonium contra obligationem voti. Concedo Probationem. Non potest licitè contrahi matrimonium ea ratione, ut, qui votum emisit, persistat in voluntate servandi illud, & nunquam consummandi matrimonium, idque efficaciter obtineat etiam ab altero contrahente. Nego Probationem, & Dico: quòd taliter contractum matrimonium non adversetur voto castitatis; quare admitti potest in Beatissima, salva ejus immunitate ab omni peccato. Adverto, hac ipsa ratione expugnari non solùm matrimonium verum Beatissimæ cum S. Josepho, sed etiam eorundem secum desponsationem, quæ tamen secundùm fidem admitti debet. Ità enim argui potest. Cui illicitum est matrimonium cum Persona altera, illicita quoque est desponsatio cum tali Persona. Quia illicita est promissio matrimonii, utpote promissio rei turpis, & illicitæ sibi. Porrò desponsatio est promissio matrimonii. Atqui ei, qui vovit perpetuam castitatem & Virginitatem, illicitum est matrimonium, ùt dicitur. Ergo eidem illicita est promissio matrimonii, seu desponsatio. Subsumitur. Sed Beatissima vovit perpetuam castitatem, & virginitatem, Ergo illi fuit sicut matrimonium illicitum, ità & promissio matrimonii fuit illicita, adeoque salva sua immunitate ab omni peccato non potuit desponsari Beato Joseph, quam tamen desponsatam eidem fuisse Scriptura clarè, & expressè asserit.

Quartæ rationis Nego Minorem, & Dico: Cùm Beatissima Virgo Maria cum magna deliberatione & ex speciali instinctu Divino, atq; DEI voluntate sufficienter cognita, matrimoniũ cum S. Josepho contraxerit, dubitari de eo non debet, quin per revelationẽ Divinã edocta fuerit, quòd DEO placeret, ut matrimonium contraheret cum S. Joseph, quòd ille pariter votum castitatis emiserit, quòd auxiliis efficacibus à DEO præveniendus & muniendus esset contra omnes tentationes tali voto adversantes, & quòd illud suum votum castitatis esset exactissimè servaturus, adeoque quòd ex contracto cum S. Joseph matrimonio, nullũ à Beatissima metui debuerit periculum amittendæ Virginitatis, nullum discrimen, idque factum esse ex meritis Beatissimæ Virginis, multùm est probabile.

Quintæ rationis Antecedens Nego, & Dico: matrimonium inter Beatissimam & S. Josephum non fuisse prorsus inutile & frustraneum; neque enim fuit inutile & frustraneum eo sensu, quòd in genere causæ formalis non præstiterit suum effectum formalem, neque etiam fuit frustraneum eo sensu, quòd in alio genere causæ nulla commoda, nullas utilitates attulerit. Non fuit imprimis matrimonium illud inutile & frustra-

neum

neum eo ſenſu, quòd in genere cauſæ formalis non præſtiterit effectum formalem, quem deberet præſtare. Præſtitit enim hunc, quòd ratione talis matrimonii eſſent veri conjuges, quòd Beatiſſima S. Joſephi eſſet Conjux & uxor, S. Joſeph eſſet vir ejus, id eſt MARIÆ, quòd ità ſecum eſſent ligati & adſtricti, ut nec Beatiſſima ſe alteri viro tradere in conjugem, nec S. Joſeph ſtante vita Beatiſſimæ alteram uxorem ducere potuerit, tandem quòd fidem ſibi mutuò ſervare tenebantur. Non fuit etiam matrimonium inutile & fruſtraneum, eo ſenſu, quòd in alio genere cauſæ nullas utilitates, nulla comoda attulerit. Ex hoc enim matrimonio multa comoda, multæ utilitates ſecutæ ſunt. Imprimis quòd Beatiſſima, & S. Joſephus reciproco affectu & amore caſtiſſimo ſe proſecuti fuerunt, quòd S. Joſephus putatitius Chriſti Pater, geſſerit ſe ùt verus & proprius, imò plusquam proprius Pater, quòd ſanctiſſimam illam prolem tenerrimo & Paterno affectu amaverit, quòd Chriſtum natum Paſtoribus & tribus magis adorandum exhibuerit, quòd eundem, monitus ab Angelo, crudelitati Herodis ſubtraxerit, & unà cum Matre aſportaverit in Ægyptum, quòd in Ægypto, & Matris & Filii curam, quam potuit maximam habuerit, quòd iterum præmonitus ab Angelo, & ſuam conjugem & ſanctiſſimam ejus prolem reduxerit in Judæam, quòd amiſſum duodennem JESUM Hieroſolymis, unà cum Beatiſſima Matre quæſierit, & invenerit, quòd conſtanter obſequia ſua, quòad vixit, impenderit tam ſuæ conjugi, quàm ejus Filio. S. Hieronymus lib. 1. in Cap. 1 Joannis hæc commoda contractûs matrimonii, ſeu deſponſationis enumerat, *primò, ut per generationem Joſeph, origo MARIÆ monſtraretur:* Secùdò. *nè lapidaretur à Judæis ùt adultera.* Tertiò *ut in Ægyptū fugiens haberet ſolatium.* Quartò ex S. Matyre Ignatio addit hanc rationem, cur Chriſtus ex deſponſata natus ſit, *ut partus ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de Virgine, ſed de uxore generatum.* Quæ tamen poſtrema ratio à plerisque non acceptatur, ùt ab Abulenſi, & Scoto.

# PUNCTUM II.

## An Maternitas DEI ſit infinita ſimpliciter, quòad ſuam dignitatem & æſtimabilitatem, & an ſit forma ſanctificans formaliter?

## §. I.

### An Dignitas Matris DEI ſit infinita ſimpliciter?

22. Præmitto, infinitum illud eſſe, quod ſua perfectione excedit alia, ut ipſum non excedatur ab alio. Infinitum, ùt aliàs dictum eſt, aliud eſt infinitum ſimpliciter, aliud infinitum ſecundū quid. Infinitum ſimpliciter, eſt infinitum entitativè, intrinſecè, & intenſivè tale, quod ſua intrinſeca perfectione ità excedit, & ſuperat alia, ut ipſum in hujusmodi perfectione non excedatur à quoquam, nec excedi poſſit. Infinitum ſecundùm quid, quod etiam infinitum extenſivè, terminativè, & extrinſecè dicitur, eſt illud, quod licèt habeat perfectionem limitatam, finitam, & terminatam, propter relationem tamen, qua ſpeciali modo reſpicit objectum, ſive terminum ſimpliciter infinitum, quomodo infinitus eſt DEUS, evehitur ad eum perfectionis gradum, ut ſuperet alia plura, eaque ſaltèm ſyncategorematicè infinita. Ex data infiniti ſimpliciter definitione infertur: ut aliquid ſit infinitum ſimpliciter, debere eſſe vel ipſum DEUM, eſſeque Divinum. DEUS enim cùm ſit in ſe perfectiſſimus in omni genere, ità ſua perfectione intrinſeca ſuperat & excedit quæcunque alia entia extra ſe, ut à nullo excedatur, nec excedi poſſit. Vel certè infinitum ſimpliciter debet eſſe aliquod conſtitutum ipſo eſſe Divino, tanquam forma refundente infinitudinem ſimpliciter in eſſe creatum, tanquam in ſubjectum denominationis. Quod enim conſtituitur eſſe Divino, tanquam forma refunden-

te infinitudinem, ab hac forma habet id, quòd in ea ratione, in qua est infinitum, excedat quæcunque alia, nec à quoquam excedatur, aut excedi possit, adeoque excludat omnem terminum. Hôc Præmissô

23. Dicendum est. Dignitatem Maternitatis DEI, etiamsi sit infinita secundùm quid, non esse tamen infinitam simpliciter.

Prima pars Conclusionis probatur. Primò Authoritate S. Augistini, lib. de excellentia Virginis, Cap. 2. dicentis: *Hoc solùm de Beata Virgine prædicare, quòd DEI Mater est, excedit omnem altitudinem, quæ post DEUM dici, & prædicari potest.* Et lib. de Assumptione: *hujus dignitatis effectum nec cor concipere, nec lingua valet exprimere.* S. Anselmi de Concept. Virginis Cap. 19. *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua major sub D E O nequit intelligi.* S. Thomæ 1. part. Quæstione 25. Art. 6. ad quartum, ubi sic habet: *Beata Virgo ex hoc, quòd est Mater DEI, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est DEUS, & ex hac parte non potest aliquid fieri melius, sicut non potest aliquid melius DEO.* S. Bonaventuræ in speculo Cap. 81. *Majorem mundum potest facere DEUS, majorem Matrem, quàm Matrem DEI facere non potest.* Ex quibus Authoritatibus sic arguitur. Dignitas excedens omnem altitudinem, quæ post DEUM dici & prædicari potest; cujus effectum nec cor concipere, nec lingua valet exprimere; puritas itèm, qua major sub DEO intelligi non potest; dignitas itèm, qua DEUS majorem facere non potest, est infinita aliqua infinitate secundùm quid, quia creaturæ repugnat infinitas simpliciter. Quia est infinitas extensiva desumibilis per specificationem à Filio, cujus est Mater. Sed Dignitas Maternitatis D E I excedit omnem altitudinem, quæ post DEUM dici, & prædicari potest; est etiam talis, ut ejus effectū nec cor concipere, nec lingua valeat exprimere, ut ait S. Augustinus. Ejusdem est tanta puritas, qua major sub D E O intelligi non potest, ùt dicit S. Anselmus. *Maternitatis DEI est dignitas infinita ex bono infinito, quod est DEUS*, ùt habet S. Thomas. Tandem Matrem DEI esse, est esse Matrem, qua majorem DEUS facere non, potest, ùt sentit S. Bonaventura. Ergo dignitas Maternitatis DEI est dignitas infinita secundùm quid.

Eadem Conclusionis pars probatur secundò ratione. Dignitas, quæ est infinita non nisi extensivè & terminativè, hoc est, infinita per specificationem à termino infinito simpliciter, ad quem extenditur, & quem respicit, ac cum ipso connectitur, est dignitas infinita secundùm quid, talis enim dignitas non est infinita simpliciter; hæc enim debet esse infinita intrinsecè, entitativè, & intēsivè. Sed dignitas Maternitatis DEI est infinita non nisi terminativè & extensivè; non aliunde enim est infinita, nisi ex hoc, quòd terminetur ad DEUM, quòd sit Maternitas non alicujus alterius Filii, sed ejus Filii, qui DEUS est, quòd cum tali Filio connectatur, ab eóque extrinsecè specificetur.

Tertiò probatur à paritatibus. Unio hypostatica, visio DEI intuitiva, & amor DEI super omnia, sunt infinita extensivè & terminativè, quatenus unio hypostatica terminatur ad personā VERBI, quam unit hypostaticè humanitati; visio quatenus repræsentat intuitivè DEUM, eúmque intentionaliter respicit; Amor DEI, quatenus prosequitur summum & infinitum bonum. Et quia unio hypostatica, visio & amor DEI sunt non nisi infinita terminativè, extensivè, & extrinsecè, sunt non nisi infinita secundùm quid. Ergo & Maternitas D E I est infinita extensivè, & terminativè quatenus hæc terminatur ad terminum infinitum simpliciter; est enim Mater non alterius Filii, nisi Mater ipsius DEI, & taliter infinita, est infinita secundùm quid.

Quartò probatur. Quod est in ordine superiori, quàm sint alia multa, eóque inadæquabili per alia entia diversi ordinis, est infinitum secundùm quid, ùt de offensa Theologica dicitur, quæ licèt non sit infinita simpliciter, est tamen infinita aliqua infinitate, nimirum infinita secundùm quid, idque est taliter infinita per hoc, quòd sit in ordine superiori supra alias quascunque offensas Personarum creatarum, ac etiam supra satisfactiones quascunque à pura creatura positas vel ponibiles, & quòd sit in ordine inadæquabili per ul-

las

las satisfactiones puræ creaturæ. Sed Maternitas DEI est in ordine superiori, quàm sint aliæ quæcunquæ Maternitates, id est: in ordine inadæquabili per ulla alia entia diversi ordinis, nimirum est in ordine hypostatico, & ad hunc ordinem revocatur, qui ordo est inadæquabilis per alia dona naturæ & gratiæ. Ergo Maternitas DEI est infinita secundùm quid, hoc est, infinita comparativè respectu infinitorum, quæ superat, & excedit.

24. Secunda pars Conclusionis probatur, nimirum hæc, quòd Dignitas Maternitatis DEI non sit infinita simpliciter. Maternitas DEI, neque specificativè, neque reduplicativè sumpta, est infinita simpliciter. Ergo. Antecedens quò ad primam partem probatur. Maternitas DEI specificativè est sumpta Maternitas quòad rationem Maternitatis, seu sumpta quòad rationem actionis generativæ hujus hominis, qui Christus est. Sed taliter sumpta Maternitas non est infinita simpliciter, quia non est infinita entitativè, & intensivè, quia potest ab alia possibili perfectiore Maternitate DEI excedi; cùm enim intrà speciem Maternitatis DEI possit dari alia, & alia sinè fine perfectior entitativè, & intensivè Maternitas, ideò hæc, quæ defacto datur, potest excedi, terminari, habere finem. Confirmatur. Nullum ens purè creatum potest esse infinitum simpliciter. Esse enim infinitum simpliciter est prædicatum soli DEO proprium, nullique puræ creaturæ potest convenire. Solus enim DEUS, cùm sit perfectissimus, ità ut DEO nil perfectius dari, & cogitari possit, solus DEUS in perfectione à nullo ente excedi potest, adeoque nec terminum & finem habet. Sed Maternitas DEI specificativè sumpta, seu sumpta prout est actio generativa hominis, qui simul DEUS & homo est, est ens purè creatum, quia est actio generativa contingens, temporanea, in tempore incipiens, & desinens, habens esse ab alio, à Beatissima Virgine MARIA cum concursu DEI ponente talem actionem. Ergo Maternitas DEI specificativè sumpta non est, nec potest esse infinita simpliciter.

Idem Antecedens quòad alteram partem probatur. Quòd nimirum Maternitas DEI sumpta reduplicativè, hoc est: Maternitas DEI quà DEI, seu VERBI Incarnati, non sit infinita simpliciter, Probatur, inquam, sequentibus rationibus. Prima, Maternitas DEI reduplicativè sumpta præter actionem naturalem generativam, per quam Beatissima Virgo purissimum suum sanguinem ministravit, & ex eo efformavit corpus humanitatis Christi, dicit insuper influxum supernaturalem instrumentalem in unionem hypostaticam. Quia his præcisè duobùs habitis, & intellectis, habetur, & intelligitur Maternitas DEI quà DEI, quia habetur Maternitas, cui repugnat non esse Maternitatem DEI; quia itèm habetur Maternitas, ex vi cujus Beatissima est determinata ad esse Matris DEI, seu ad esse Matris non alterius Filii, nisi qui sit DEUS homo, qui ità sit Filius Virginis, ut sit simul Filius DEI. Atqui utrumque ex his, nimirum & actio generativa consistens in ministratione sanguinis, & efformatione corporis Christi, & influxus instrumentalis supernaturalis Beatissimæ in unionem hypostaticam, est quid finitum simpliciter, quia utrumque est quid creatum, utrumque est tale, quo perfectius, & perfectius entitativè aliud dari potest, utrumque excedi potest ab alio se perfectiore. Ergo Maternitas DEI reduplicativè sumpta, est finita simpliciter, adeoque non est infinita simpliciter. Neque valet, si Dicas: rationem hanc non subsistere ex eo, quòd Maternitas DEI reduplicativè sumpta non constituatur per influxum Beatissimæ Virginis instrumentalem in unionem hypostaticam, siquidem hunc influxum plures Theologi negant. Non valet, inquam. Nam imprimis talem influxum admitti debere, eodémque Maternitatem DEI constitui, docui num. 4. hujus Disputat. & num. 135. Disp. 2. tum etiam hic proximè superiùs. Sed datô, non concessô, quòd hic influxus non detur, adeoque non constituat Maternitatem DEI in esse talis, adhuc dicta ratio subsistit, si taliter restauretur. Negato influxu instrumentali Beatissimæ in unionem hypostaticam Maternitas DEI quà talis hæc duo præcisà dicit, & his duobùs constituitur: actione naturali generativa humanitatis, consistente in subministratione

ne puriſſimi ſanguinis pro materia corporis Chriſti, & efformatione ejuſdem corporis ex tali materia, & in ipſa unione hypoſtatica; per hanc enim etiam ipſis Adverſariis aſſentientibûs generatio naturalis humanitatis determinatur ad eſſe Maternitatis DEI hominis, & non alicujus puri hominis. Atqui utrumque ex his, nimirum & actio generativa naturalis humanitatis ſecundùm ſe, & unio hypoſtatica eſt finitum ſimpliciter. Ergo & Maternitas DEI quà talis his duobûs conſtituta, eſt finita ſimpliciter.

Secunda ratio eſt. Si Maternitas DEI reduplicativè ſumpta eſſet infinita ſimpliciter, deberet dicere conſtitutivè id, quod eſſet infinitum ſimpliciter. Sed non dicit conſtitutivè quidquam tale, quod ſit infinitum ſimpliciter. Si enim diceret conſtitutivè aliquid tale, diceret ipſum DEUM, qui ſolus eſt infinitus ſimpliciter. Sed non dicit conſtitutivè DEUM; hunc enim ſolùm dicit connexivè, quatenus dicit conſtitutivè vel unionem hypoſtaticam connexam cum Perſona VERBI, tanquam cum termino, quem humanitati unit, ùt quidam volunt, vel quatenus dicit conſtitutivè influxum phyſicum inſtrumentalem Beatiſſimæ in unionem hypoſtaticam, qui influxus per hoc, quòd connectatur cum unione hypoſtatica, tanquam cum termino ſuo immediato, ratione ipſius unionis connectitur cum Perſona Divina VERBI, tanquam cum termino ulteriore & mediato. Atqui dicere alterutrum ex his conſtitutivè, eſt DEUM dicere non niſi connexivè; nec eſt ulla neceſſitas, ut DEUM dicat etiam conſtitutivè. Ergo.

Tertia Ratio eſt. Ut Maternitas DEI ſit infinita ſimpliciter, non ſufficit, quòd dicat conſtititutivè quomodocunque DEUM permodum termini Relationis prædicamentalis, ſed requiritur, ut dicat DEUM conſtitutivè permodum formæ tribuentis Maternitati ſecundùm ſe tanquam ſubjecto capaci denominationem infinitæ ſimpliciter. Quæ enim dicunt conſtitutivè DEUM non niſi tanquam terminum Relationis prædicamentalis, non per hoc ſunt infinita ſimpliciter. Et ſic cognitio, quam creatura habet de exiſtentia DEI, licèt conſtituatur in ratione veræ, ipſo DEO tanquam termino Relationis prædicamentalis, non eſt infinita ſimpliciter. Judas prout diſſimilis Chriſto, conſtituitur Chriſtô, qui ſecundùm Perſonam Divinam VERBI eſt infinitus ſimpliciter, & tamen Judas diſſimilis Chriſto, non eſt infinitus ſimpliciter, idque ex eo, quia hanc denominationem: Judas diſſimilis Chriſto, conſtituit Chriſtus ex ratione termini relationis prædicamentalis diſſimilitudinis, & ſic de cæteris. E contra, quia merita Chriſti quà talia dicunt conſtitutivè Perſonam VERBI, tanquam formam potentem tribuere meritis ſecundùm ſe ſumptis denominationem infinitorum ſimpliciter, quòad ſuum valorem & æſtimabilitatem, ideo dicta merita ſunt infinita ſimpliciter in ratione valoris. Quia etiam humanitas Chriſti ſubſiſtens ſubſiſtentiâ VERBI, dicit conſtitutivè Perſonam VERBI, tanquam formam potentem humanitati tribuere denominationem infinitè ſanctæ, ideo humanitas Chriſti hac ſubſiſtentia conſtituta eſt infinitè ſancta &c. Atqui Maternitas DEI, etiamſi diceret conſtitutivè DEUM (quod tamen ipſum negatur) tamen non diceret DEUM tanquam formam refundentem infinitudinem ſimpliciter in Maternitatem DEI, ſed diceret DEUM tanquam terminum relationis prædicamentalis. quam dicit Maternitas DEI ad DEUM, tanquam ſuum terminum, ùt cenſet P. Morawski. Ergo etiamſi Maternitas DEI diceret conſtitutivè DEUM, non deberet eſſe infinita ſimpliciter.

## Proponitur Objectio.

25. Et probatur, quòd Maternitas DEI ſit ſimpliciter infinita. Tum Authoritatibus Patrum num. 23. adductis, quæ Authoritates videntur evincere, quòd Maternitas DEI ſit infinita ſimpliciter, non verò infinita ſecundùm quid. Tum quia glorioſius eſt Matri DEI, ſi dignitas ejus dicatur infinita ſimpliciter, quàm ſi dicatur ſolùm eſſe infinita ſecundùm quid; cùm ergo de Beatiſſima Virgine ſit quàm glorioſiſſimè ſentiendum, tenendum eſt, quòd dignitas Maternitatis DEI ſit infinita ſimpliciter. Tum quia conſtitutum, quod con-

constituitur esse infinitô simpliciter, etiam ipsum est infinitum simpliciter, aliàs totum non esset majus sua parte. Sed Maternitas DEI est constitutum, quod constituitur esse infinitô simpliciter, quia constituitur ipso DEO; Maternitas enim est relatio prædicamentalis, cujus relationis terminus est Filius, qui respectu Maternitatis est ipse DEUS. Atqui relatio prædicamētalis constituitur suô terminô; per hoc enim differt relatio transcendentalis à prædicamentali, quòd transcendentalis adæquatè identificetur ipsi fundamento, prædicamentalis verò identificetur tam fundamento, quàm termino, consequenter quòd hæc relatio constituatur etiam terminô. Ergo Maternitas DEI constituitur ipso DEO, DEUS enim est terminus relationis prædicamentalis Maternitatis DEI, adeoque constituitur eô, quod est infinitum simpliciter. Tum quia esse Matrem DEI, non est relatio transcendentalis, sed prædicamentalis. Ergo esse Matrem DEI non dicit DEUM merè connexivè, sed dicit DEUM constitutivè; licèt enim relatio transcendentalis dicat suum terminum connexivè, & non constitutivè, tamen relatio prædicamentalis debet dicere terminum suum constitutivè, & non connexivè. Tum quia ratio formalis, ex vi cujus Maternitas DEI ùt talis est constitutiva Maternitatis DEI reduplicativè sumptæ, idque est constitutiva ipsius permodum formæ refundentis denominationem, quam tribuere potest v. g. si potest tribuere denominationem infinitæ simpliciter, est constitutiva permodum formæ refundentis infinitudinem simpliciter. Sed DEUS secundùm se est ratio formalis, ex vi cujus Maternitas DEI habet formaliter, quòd sit Maternitas DEI ùt talis; sicut Christus, seu Persona VERBI unita humanitati est ratio formalis, ex vi cujus merita Christi habent formaliter, quòd sint merita Christi ùt talia. Et ratio ulterior est, quia non habetur ulla alia ratio formalis, ex vi cujus Maternitas DEI sit formaliter talis; nec haberi potest præter DEUM, quæ enim est illa ratio? Ergo.

## Respondetur ad Objectionem

26. Negando Objectionis assumptum. Ad primam Probationem ab Authoritatibus Dico: Nego aliquam ex adductis Authoritatibus evincere, quòd Maternitas DEI ùt talis sit infinita simpliciter. S. Augustinus dum dicit, quòd esse Matrem DEI excedat omnem altitudinem, non alium agnoscit excessum, nisi qui sit ratione terminationis, & extensionis ad DEUM, non verò eum, qui sit ratione perfectionis entitativæ & intensivæ, ex vi cujus non possit dari Maternitas DEI, intrinsecè perfectior. Cùm enim esse Matrem DEI sit denominatio creata proveniens à forma creata & limitata, esse Matrem DEI est denominatio perfectionis limitatæ, adeoque talis, quâ perfectior & perfectior ad eundem terminum terminata, & extensa dari potest. Ex eo etiam, quòd secundùm S. Augustinum dignitatis Matris DEI effectum, nec cor concipere, nec lingua exprimere valeat, nō infertur, quòd Maternitas DEI sit infinita simpliciter; sicut ex eo, quòd de præmiis Beatorum dictum sit ab Apostolo: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ DEUS præparavit diligentibus se*, non bene infertur præmium Beatorum, & eorum beatitudinem formalem, adeoque visionem DEI intuitivam, & amorem fruitivum esse infinita simpliciter. S. Anselmi Authoritas si quid probaret, probaret puritatem & sanctitatem Beatissimæ Virginis, adeoque gratiam ipsius habitualem fuisse infinitam simpliciter, quod tamen passim negatur. Intelligenda igitur S. Anselmi Authoritas est eo sensu, quòd puritate Virginis Matris DEI non possit nec debeat intelligi puritas major, quæ defacto inveniatur in ulla alia pura creatura, non verò eo sensu, quòd absolutè dari, & intelligi non possit puritas major ea puritate, quam defactò secundùm præsentem DEI ordinationem habet Beata Virgo; seu sic intelligenda est dicta Authoritas, quòd puritas Virginis Matris DEI comparatè ad alias puritates, puris creaturis ad ordinem hypostaticum nullatenus pertinentibus concessas, sit major, nec possit ab ulla adæquari; non verò eo sensu, quòd hæc puritas sit tanta etiam comparatè ad alias puritates in Matre DEI reperibiles, ut etiam in ipsa Matre DEI non po-

tuerit major & perfectior inveniri. S. Thomæ Authoritas tam clarè est pro nobis, ut non appareat, qua ratione contra nostram assertionem opponi possit. Quod ipsum ità deducitur. S. Doctor dicit : *Beatam Virginem habere quandam dignitatem infinitam.* Ergo non infinitam simpliciter, sed infinitam secundùm quid, qualem significare videtur appositum nomen : *quandam.* Dicit deinde, *quòd Beata Virgo habeat dignitatem quandam infinitam ex bono infinito, quod est DEUS.* Ergo habet dignitatem infinitam extensivè & terminativè. Dicit postremò : *Et ex hac parte non potest fieri melius aliquid, quia non potest terminari* quidquam ad aliud melius, licèt ex alia parte possit fieri quid melius, quatenus secundùm perfectionem intensivam potest dari Maternitas melior & perfectior hac Maternitate, quæ defactò datur. Eodem sensu debet intelligi & S. Bonaventura, hic enim conformis est subtili Doctori Scoto ; qui sicut asserit valorem meritorum Christi esse infinitum non nisi secundùm quid, ità asserere censendus est Maternitatem DEI esse infinitam secundùm quid.

Secundæ Probationis Nego Antecedens. Nimirum Nego, quòd gloriosius sit Matri DEI, si dignitas maternitatis ejus dicatur infinita simpliciter. Etiamsi enim sit gloriosius Matri DEI illa prædicata attribuere maternitati ejus, quæ illi convenire possunt, & conveniendo evehunt dignitatem ejus, tamen non est gloriosius Matri DEI, attribuere maternitati ejus illa prædicata, quæ vel essentiæ ejus vel Doctrinæ Patrum repugnant, & quæ prædicata non tam attollunt, & elevant, quàm potiùs deprimunt dignitatem maternitatis DEI. Sed prædicatum infiniti simpliciter est tale, quod non potest convenire maternitati DEI, verùm potiùs repugnat tum essentiæ & prædicatis essentialibus maternitatis DEI, atque etiam repugnat doctrinæ Patrum ; nec per hoc prædicatum elevatur dignitas Maternitatis DEI, sed potiùs per illud deprimitur. Ergo non est gloriosius Matri DEI attribui prædicatum infiniti simpliciter maternitati ejus. Minor probatur per partes. Et imprimìs, quòd prædicatum infiniti simpliciter repugnet maternitati DEI, quia dictum prædicatum repugnat creaturæ ; cùm ergo Maternitas DEI sit creatura, repugnat ei esse infinitam simpliciter. Et iterum. Quia maternitati DEI repugnat esse creaturam perfectissimam, etiam in uno aliquo certo genere ; sed maternitatem DEI esse infinitam simpliciter, est illam esse creaturam perfectissimam saltèm in uno certo genere, quia est illam talem esse, ut neque secundùm perfectionem extensivam, neque secundùm perfectionē intensivam eâ major, & perfectior maternitas dari possit. Ergo repugnat maternitatem DEI esse infinitam simpliciter. Et rursus. Quia repugnat, ut aliquid sit infinitum simpliciter, quod neque secundùm se, seu secundùm id, quod dicit in recto, & pro subjecto, neque secundùm sui ullum constitutivum, potissimùm verò secundùm formam, quæ possit in subjectum refundere denominationem infiniti simpliciter, est infinitum simpliciter. Sed maternitas DEI neque secundùm se, seu secundùm id, quod dicit principaliter & in recto, est infinita simpliciter, neque est talis secundùm tale sui constitutivum, quod habeat se per modum formæ potentis refundere denominationem infiniti simpliciter in maternitatem, ùt ostensum est in Probatione Conclusionis Num. 24. Ergo. Minor eadem quoàd secundam partem probatur. Quòd repugnet doctrinæ Patrum, Maternitatem DEI esse infinitam simpliciter. Sed vel maximè repugnet doctrinæ S. Thomæ, ùt proximè dictum est, qui mentis aliorum SS. Patrum est perspicacissimus & fidelissimus interpres.

Postrema tandem pars, nimirum illa, quòd maternitatis DEI dignitas non elevetur per hoc, si dicatur esse infinita simpliciter, probatur. Tum quia maternitas DEI deberet esse per hoc infinita simpliciter, quòd in obliquo diceret Personam VERBI, quæ est infinita simpliciter. Sed maternitatem DEI per hoc esse infinitam simpliciter, non attollit, vel parùm attollit dignitatem Beatissimæ, ùt bene advertit P. Morawski. Quæst. de maternitate DEI, art. 4. proposit. 1. Tum quia non elevatur, sed potiùs deprimitur maternitas DEI per hoc, quòd illi attribuatur prædicatum chimæricum & repugnans, quale prædicatum est esse infinitum simpliciter, negetur verò prædicatum verè conveni-

ens,

ens, quale est infinitum secundùm quid, infinitum ex bono infinito, & ratione terminationis ad bonum infinitum, ex vi cujus Maternitas DEI habet, ut extensivè & terminativè non possit dari & intelligi melior & perfectior. Adverto in his, quæ ad honorem Beatissimæ, ejúsque gloriam conferre videntur, bene tenendum esse memoriâ illud Melliflui Doctoris Bernardi: *Honoranda valde est Mater DEI, sed honor Reginæ judicium diligit.* Nè nimirum ex studio honorandi Matrem DEI, de eâque gloriosè sentiendi, id de ipsa sentiatur, quod ipsius honori minimè convenit, aut convenire potest.

Tertiæ Probationis Majorem imprimis Distinguo. Constitutum, quod constituitur esse infinitô simpliciter, etiam ipsum quidditativè sumptum, est infinitum simpliciter. Omitto Majorem. Potiùs enim tale constitutum secundùm aliquid est infinitum simpliciter, secundùm aliquid non est infinitum. Constitutum, quod constituitur esse infinitô simpliciter, etiam ipsum denominativè sumptum, est infinitum simpliciter, hoc est, taliter est infinitum, ut uni parti, illique finitæ, tanquam subjecto ab altero constitutivo, quod esset infinitum, tribuatur denominatio infiniti simpliciter. Nego Majorem. Ut enim unum constitutivum denominet aliud aliqua denominatione formali, non sufficit, quòd illi constitutivo secundùm se sumpto conveniat illa denominatio, sed requiritur, ut habeat se permodum Formæ potentis tribuere denominationem, & non ut præcisè constituat aliquod totum, etiam permodum termini Relationis prædicamentalis. Omissâ deinde Minore, Distinguo Consequens. Ergo maternitas DEI quidditativè sumpta est quid infinitum simpliciter, Omitto hanc partem distinctæ Consequentiæ. Ergo maternitas DEI denominativè sumpta est infinita simpliciter. Nego Consequentiam. Ad eandem Probationem tertiam secundò Responderi potest. Omissa Majore Negando illam Minorem, quòd maternitas DEI constituatur per aliquod esse infinitum simpliciter, seu quòd constituatur ipso DEO. Ulterioris Probationis Distinguo Majorem. Maternitas DEI, prout refert Matrem DEI ad DEUM Filium, est relatio prædicamentalis. Concedo Majorem. Maternitas DEI, prout ipsa refertur ad suum terminum, est relatio prædicamentalis. Nego Majorem. Et omissa Minore, Distinguo Consequens. Ergo maternitas DEI, quatenus est relatio referens Beatam Virginem ad DEUM Filium, tanquam ad suum terminum, constituitur ipso DEO, tanquam terminô dictæ Relationis. Omitto hanc partem distinctæ Consequentiæ. Ergo maternitas DEI, prout ipsa refertur, seu seipsam refert ad DEUM, tanquam suum terminum, constituitur DEO. Nego Consequentiam. Et Dico, Maternitatem DEI simul semélq; esse relationem & prædicamentalem, & transcendentalè diversô respectu. Neque hoc est novum, nec ullibi extrà reperibile, cùm omnes Relationes fundatæ in actione & passione sint simul relationes prædicamentales, & transcendentales diversimodè spectatæ. Maternitas DEI est relatio prædicamentalis, prout hanc determinatè Personam, nimirum MARIAM Virginem refert ad DEUM Filium; hæc enim Relatio, cùm contingenter adveniat Virgini MARIÆ, sit illi superaddita, realiter distincta, nec sit essentialis dictæ Virgini, est relatio prædicamentalis, cùm hæc prædicata ità conveniant relationi prædicamentali, ut repugnent relationi transcendentali. Eadem maternitas DEI, quatenus ipsa secundùm se refertur ad Filium, est relatio transcendentalis. Quia est essentialis suo fundamento, nullatenus contingens, adveniens, & superaddita eidem, nec ab eo separabilis. per quæ prædicata differt Relatio transcendentalis à prædicamentali. Unde infertur, quòd maternitas DEI, prout ipsa refertur ad DEUM ùt Filium, & prout est relatio transcendentalis, non constituatur suô terminô, hoc est DEO Filiô. Sed nec eadem maternitas, prout est relatio prædicamentalis, constituitur DEO Filiô, ùt patebit ex ulteriori Responsione. Tertiò Respondeo ad eandem Probationem, Negata prima Minore. Ejus Probationis ulterioris omissa Majore, Distinguo Minorem. Atqui Relatio prædicamentalis constituitur suô terminô etiam remotô, Nego Minorem. Constituitur terminô non

nisi proximo, seu ratione terminandi, Concedo Minorem, & Distinguo Consequens. Ergo maternitas DEI constituitur DEO, etiamsi DEUS sit non nisi terminus remotus relationis prædicamentalis Maternitatis. Nego Consequentiam. Ergo Maternitas DEI constituitur DEO, supposito: quòd DEUS sit terminus proximus relationis Maternitatis. Negatur suppositū Consequentis, quòd DEUS sit, aut esse possit terminus proximus seu ratio terminandi respectu Relationis prædicamentalis Maternitatis DEI. Et Dico, docuisse me in Philosophia cum satis multis & doctis mea ætate Professoribus, quòd relatio prædicamentalis non identificetur fundamento & termino remotis, sed non nisi fundamento & termino proximis, seu rationi fundandi, & terminandi. Siquidem his præcisè positis & intellectis ponitur, & intelligitur Relatio prædicamentalis. Juxta hanc doctrinam Maternitas DEI, prout est relatio prædicamentalis referēs Virginem MARIAM ad DEUM suum Filium, non constituitur fundamentô & terminô remotis, sed solùm rationibûs fundandi & terminandi. Cùm ergo DEUS sit solùm terminus relationis prædicamentalis Maternitatis DEI, DEO non constituitur dicta relatio, adeoque nec Maternitas DEI constituitur eôdem. Sed quæres, quæ sunt rationes fundandi & terminandi in relatione prædicamentali Maternitatis DEI? Respondeo has rationes non esse realiter distinctas, sed esse distinctas non nisi per rationem, non esse itèm distinctas realiter à Maternitate DEI, sed esse ipsam maternitatē, seu esse ipsam actionem generativam DEI Filii, quæ quatenus est determinatio Virginis Matris ad generandum, est ratio fundandi respectu relationis prædicamentalis Maternitatis DEI; quatenus est terminatio Filii ad generari ab hac Matre, est ratio terminandi. Relatio hæc Maternitatis prædicamentalis ità in præsenti explicatur, sicut explicari solet in Philosophia relatio Paternitatis creatæ ad Filium. Relatio itèm Causæ actu causantis effectum ad eundem effectum. Adverto, si quispiam præscindere velit ab hac sententia Philosophica de relatione prædicamentali, ejúsq; constitutione, aut si velit sustinere illam sententiam, quam alii in Philosophia tuentur, quòd relatio prædicamentalis constituatur non solùm rationibus fundandi & terminandi, sed etiam fundamentô & terminô remotis, is juxta responsionem primam dicet: Maternitatem DEI constitui DEO; sed quia constituitur ipsô ùt terminô relationis, non verò ùt forma refundente infinitudinem in Maternitatem DEI, ideò dicta Maternitas à tali constitutivo non habet, nec habere potest id, quòd sit infinita simpliciter.

Quartæ Probationis Nego Antecedēs, & Dico, maternitatem DEI esse relationē & prædicamentalem, & transcendentalē. Est relatio prædicamentalis, quatenus Beatissimam Virginem refert in ratione Matris ad DEUM, tanquam suum Filium. Est relatio transcendentalis, quatenus actio generativa Matris, in qua consistit Maternitas DEI, seipsa respicit DEUM hominem, tanquam terminum dictæ actionis. Imò per hoc, quia Maternitas DEI est relatio transcendentalis sui ipsius ad DEUM hominem, est simul relatio prædicamentalis referens Virginem Matrem ad DEUM suum Filium. Ex quo ipso sequitur, quòd esse Matrem DEI dicat DEUM connexivè; cùm enim esse Matrem DEI dicat Maternitatem DEI, quæ per hoc, quòd sit relatio transcendentalis ad DEUM, dicit eundem connexivè, esse quoque Matrem DEI, dicit connexivè DEUM, nec opus est, ut dicat illum constitutivè. Ad id, quod ulteriùs additur, Respondeo cum Distinctione. Relatio prædicamentalis suum terminum proximum, seu rationem terminandi debet dicere constitutivè, non verò connexivè, concedo Antecedens. Debet dicere constitutivè, non verò connexivè terminum suum etiam remotum, Nego Antecedens.

Quintæ Probationis Minorem, & paritatis, quâ hæc Minor probatur, Nego Consequentiam. Disparitas est. Ideò Persona Divina VERBI respectu actionum meritoriarum Christi habet se per modum formæ & rationis formalis, ex vi cujus dictæ actiones sunt merita Christi quà talia, quia Persona Divina VERBI est forma seipsa dignificativa actionum meritoriarum, tribuens illis valo-

valorem, & æstimabilitatem. Quia itèm Persona VERBI est suppositum, cui attribuuntur operationes, actionésque humanitatis Christi, juxta illud: *actiones sunt suppositorum.* Porrò actiones humanitatis per hoc attribuuntur supposito; quòd à supposito, tanquam à forma denominentur. Tandem quia actiones humanitatis Christi, cùm nullam dicant dependentiam physicâ à Persona VERBI, nec cum ipsa connexionem specialem, non dicunt connexivè Personam VERBI. Ergo ut sint actiones Christi quà tales, debent dicere Personam VERBI constitutivè, idque debent hanc Personam dicere ut formam denominantem, & ut rationem formalem, quia non ut terminum ullius relationis prædicamentalis. E contrà non habentur similes rationes pro eo, quòd DEUS, seu Deitas sit forma denominans, & ratio formalis, vi cujus Maternitas DEI fit formaliter Maternitas DEI ut talis. Cùm esse Maternitatis DEI habeatur per hoc; quòd actio generativa DEI Hominis; DEUM Filium respiciat tanquam suum terminum, cum illóq; connectatur, quatenus dicta actio secundùm esse influxûs instrumentalis in unionem hypostaticam connectitur cum dicta unione, & ratione unionis hypostaticæ cum Persona VERBI, & cum ipso DEO. Ad Rationem ulteriorem Dico: haberi aliam rationem formalem ab ipso DEO distinctam, ex vi cujus Maternitas DEI, est Maternitas DEI formaliter talis, talísque ratio est ipse influxus physicus instrumentalis in totum hypostaticum, & in unionem hypostaticam, idque est hujusmodi ratio formalis ex vi connexionis essentialis talis influxûs cum unione hypostatica, & cum subsistentia Divina. Ex vi enim talis influxûs, ipsiúsque connexionis cum DEO actiones generativæ, in quibus consistit Maternitas DEI, habent hoc, quòd sint formaliter Maternitas hujus, & non alterius Filii, nempe DEI Hominis. Quia per hanc connexionem Beata Virgo est formaliter determinata ad esse talis Matris, nec opus est ullâ aliâ formâ, & ratione formali ad præstandum hujusmodi effectum formalem.

## §. II.

### An Maternitas DEI sit forma formaliter sanctificans?

27. Præmitto plura esse prædicata, quæ ad rationem formæ se ipsâ formaliter sanctificantis requirunt Theologi, plurésque effectus formales, quos hujusmodi forma præstare debet. Sunt verò prædicata & effectus formales formæ sanctificantis, quòd debeat subjectum suum sanctificare, sanctúmque, amore dignum, & gratum DEO reddere. Quòd debeat esse puritas exclusiva peccati dissolventis amicitiam cum DEO. Quòd debeat esse participatio saltèm moralis Naturæ Divinæ, amicitia cum DEO perfecta, Filiatio DEI adoptiva, Jus hæreditatis & beatitudinis æternæ, principium radicale operandi sanctè, forma dignificativa operationum salutarium, in ipsas refundens condignitatem ad obtinendum præmium, & specialem æstimabilitatem, ac valorem. Addunt aliqui alia prædicata, eáque ad rationem formæ sanctificantis requirunt. Et hæc sunt, quòd forma sanctificans debeat esse forma intrinsecè supernaturalis, quòd debeat esse forma intrinseca subjecto, quod sanctificat, quòd debeat esse forma physica physicè inhærens subjecto, tandem quòd debeat esse forma physicè permanens. Hæc omnia prædicata convenire gratiæ habituali, quæ defactò est forma sanctificans, quâ justi & sancti nominamur, & sumus, facilè deducitur ex Patribus, & Conciliis, potissimùm verò ex Concilio Tridentino Sess. 6 de Justificatione. An verò hæc ipsa prædicata cuivis alteri formæ sanctificanti debeant convenire? Disputant Theologi, quorũ pleriq; censent aliqua ex enumeratis prædicatis nõ debere cuivis formæ sanctificanti cõvenire; potissimùm verò controvertunt circa illa prædicata, quæ addunt aliqui: An hæc, & quomodo intellecta, sint de ratione formæ sanctificantis. Hôc præmissô,

Maternitatem DEI esse formam seipsâ formaliter sanctificantem, docent Ripalda de ente supernaturali Disp 79. Cardenas de gemino sidere Christ. Vega part. 2. palæstra 29. P. Morawski, &

Alii. Negant Joannes Marin. Tract. 13. de Justif. Disp. 5. Num. 11. citans pro eadem sententia Aldrete, Arandam, & alios.

28. Dicendum est Maternitatem DEI esse formam seipsâ formaliter sanctificantem.

Probatur. Cui conveniunt prædicata propria formæ sanctificantis, ejúsque formæ discretiva ab aliis, adeoque prædicata nulli alteri convenientia præterquàm formæ sanctificanti, illud est forma seipsâ formaliter sanctificans. Sed Maternitati DEI conveniunt prædicata propria formæ sanctificantis, ejúsque discretiva ab iis, quæ non sunt talis forma, & quæ nulli alteri conveniunt præter hujusmodi formam. Ergo Maternitas DEI est forma seipsa formaliter sanctificans. Major patet tum ab Inductione; cui competunt prædicata propria hominis, ejúsque discretiva, seu nulli alteri convenientia præter hominem, illud est formaliter homo. Cui conveniunt prædicata propria misericordiæ, ejúsque discretiva, ità ut nulli conveniant, quod non est misericordia, illud est formaliter & propriè misericordia, & sic de omnibus aliis. Ergo. Tum quia forma sanctificans, sunt ipsa prædicata illius propria & discretiva, ità ut nec ex modo concipiendi per rationem ratiocinatam forma sanctificans distinguatur à suis prædicatis propriis, & discretivis. Quia talia prædicata comparantur cum forma sanctificante, ùt definitio & definitum, ùt prædicatum formale determinans formaliter rem ad esse formæ sanctificantis. Ergo. Minor probatur. Prædicata propria & discretiva formæ sanctificantis sunt hæc, quòd subjectum seu Personam, cui convenit, reddat sanctam, dignam amore DEI amicabili, eidem gratam, & charam, consortem, & participem Naturæ Divinæ, quòd conferat jus hæreditatis, seu beatitudinis æternæ, quòd sit puritas incompossibilis cum peccato, quòd sit principium radicale operandi sanctè, quòd sit forma dignificativa operationum ad salutem, & pietatem spectantium. Quæ omnia prædicata ità conveniunt formæ sanctificanti, ut nulli alteri præter ipsam conveniant, adeoque sunt prædicata propria, & discretiva formæ sanctificantis. Atqui hæc prædicata conveniunt Maternitati DEI. Ergo.

Minor immediatè probatur per partes. Illud imprimis prædicatum, quòd Virginem MARIAM reddat formaliter sanctam, convenit Maternitati DEI. Tum quia id Ecclesia sentit de B. Virgine, dum de illa canit: *Sancta & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio; quia quem cœli capere non poterant, tuô gremiô contulisti.* Tum quia Mater talis Filii, qui est Sanctus Sanctorum, debet & ipsa esse sancta ratione ipsius Maternitatis, quia ex eo, quòd sit Mater ejusdem. Sed B. Virgo est Mater talis Filii, qui est Sanctus Sanctorũ, est Mater Filii DEI, de quo dicit Scriptura: *& quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Altissimi.* Ergo.

Secundum prædicatum, nimirum quòd Maternitas DEI reddat Virginem Mariam dignam amore DEI amicabili, DEO gratam & charam, convenire Maternitati, Probatur. Tum quia Sanctissimæ Virgini dictum est ab Angelo: *quòd esset gratiâ plena, quòd invenerit gratiam apud DEUM, ut conciperet, & pareret Filium Altissimi.* Tum quia, cùm Pater æternus complaceat sibi in suo Filio Unigenito, complacet sibi etiam in Matre ejus; cùm amet Filium, amat & Matrem, propter identitatem moralem Matris cum Filio. Tum quia Filia Patris æterni est digna, ut ametur à suo Patre. Mater Filii DEI digna est, ut ametur à suo Filio. Sponsa Spiritûs Sancti digna est, ut ametur à suo Sponso Spiritu Sancto. Sed Sanctissima Virgo est Filia DEI Patris, est Mater DEI Filii, est Sponsa Spiritûs Sancti. Ergo digna est, ut ametur à Patre, Filio, Spiritu Sancto.

Tertium prædicatum, quòd Maternitati DEI conveniat, quòd Virginem Matrem reddat consortem, & participem Naturæ Divinæ. Probatur. Tum quia Virgini Matri convenit, quòd ratione Maternitatis sit physicè particeps, & consors unius naturæ, quæ est in DEO Homine suo Filio, nimirum naturæ humanæ, quam hic Filius accepit per suam ex tali Matre Nativitatem. Quia itèm est particeps Naturæ Divinæ, quatenus physicè per influxum instrumentalem naturam humanam ex se assumptam univit Personæ VERBI, & mediatè Naturæ Divinæ. Est ulteriùs Virgo Mater

ter consors & particeps Naturæ Divinæ, quatenus est particeps fæcunditatis Patris æterni in generando Filiô DEI, & suo. Tum quia Beata Virgo itâ est Mater Filii DEI, ut speciali jure & titulô sit Filia Patris æterni. Ergo si est Filia, est consors & particeps saltem moraliter naturæ sui Patris. Tum quia Sanctissimæ Virgini Matri ratione maternitatis DEI debebatur plenitudo gratiæ. Ergo debebatur illi participatio Naturæ Divinæ; gratia enim habitualis, quam dicit plenitudo gratiæ, est dicta participatio.

Quartum prædicatum convenire Maternitati DEI, quòd conferat jus hæreditatis in bona Patris æterni, Probatur. Tum quia Christo, ut Filio DEI naturali, jus hujusmodi convenit. Ergo idem jus convenit suæ etiam Matri; cùm Mater propter identitatem moralem cum Filio habeat jus in bona Filii. Tum quia jus hæreditatis debet convenire Filiæ Patris æterni, Matri Unigeniti Filii DEI, ac etiam Sponsæ Spiritûs Sancti. Tum quia jus hæreditatis æternæ consistit in jure ad Beatitudinem formalem consistentem in Visione intuitiva DEI, & amore ejus fruitivo. Sed tale jus ratione Maternitatis DEI habuit Beatissima Virgo. Quia habuit jus, ut videret intuitivè Patrem, cujus Filium genuit, habuit jus, ut videret intuitivè DEI, & suum Filium, ut videret Sponsum suum Spiritum Sanctum, quo superveniente concepit, & peperit Filium DEI. Ergo.

Quintum prædicatum convenire Maternitati DEI, quòd hæc sit puritas incompossibilis cum peccato, Probatur. Tum quia S. Anselmus censet, quòd Beata Virgo *ea niteat puritate, quâ major sub DEO nequit intelligi.* Tum quia Virgini Mariæ ratione Maternitatis DEI tanta puritas conveniebat, ut esset, & deberet esse immunis ab omni labe tam originali, quàm personali, eâq; non solùm mortali, sed etiam veniali. Tum quia Beatissima Virgo ratione Maternitatis DEI fuit moraliter impeccabilis, quatenus hæc exigebat, ut Mater DEI non esset unquam inimica DEO, nec unquam contra DEUM delinqueret, itâ ut monstro simillimũ videatur Matrem DEI esse, & simul reã culpæ, & offensæ contra DEUM.

Sextum prædicatum maternitati DEI convenire, quòd hæc sit principium radicale operandi sanctè, Probatur. Tum quia unioni hypostaticæ convenit hoc prædicatum, quòd fuerit radix exigitiva gratiæ habitualis, & habituum infusorum, qui sunt principia proxima, & immediata operandi sanctè. Ergo & maternitati DEI simile prædicatum videtur convenire, quòd & ipsa sit radix exigitiva gratiæ, & habituum infusorum. Sicut enim Christus ex vi unionis hypostaticæ fuit plenus gratiæ & veritatis, itâ & Beata Maria ratione maternitatis DEI habuit, quòd esset & salutaretur ab Angelo gratiâ plena, cum hac differentia: quòd unio hypostatica sit, & fuerit radix gratiæ majoris, & amplioris in Christo, quàm fuerit gratia ulli puræ creaturæ collata; Maternitas verò DEI fuerit radix gratiæ licèt minoris, quàm fuerit gratia Christi, majoris tamen, & amplioris, quàm fuerit in cæteris puris creaturis. Tum quia maternitas DEI, licèt non sit principium ratione sui physicè effectivum operationum sanctarum, est tamen principium morale exigitivum moraliter gratiæ habitualis, & habituum infusorum, qui sunt principia physicè effectiva sanctarum operationũ, quemadmodum gratia habitualis, licèt ipsa secundùm se non sit physicè effectiva habituum infusorum, ut multi Theologi docent, est tamen principium moraliter exigitivum habituum infusorum physicè influentium in operationes sanctas. Tum quia & à SS. Patribus, & à Theologis docetur communiter, imò fides sancta id ipsũ docet: plurima & præcipua privilegia, varias itèm gratias, & excellentiora dona super alias puras creaturas à DEO concessa esse Virgini Matri. Quæ ipsa non aliter concessa sunt, nisi intuitu maternitatis DEI, tales gratias, & dona exigentis. Ergo maternitas DEI est radix exigitiva, & principium radicale talium gratiarum, & donorum, adeoque & operationum sanctarum, quæ ipsa sunt dona supernaturalia DEI.

Septimum tandem prædicatum convenire maternitati DEI, quòd sit forma seipsâ formaliter dignificativa meritorum Matris DEI, Probatur. Tum quia illa forma est dignificativa meritorum, & operationum sanctarum, ratione cujus

cujus tales operationes sunt æstimabiliores per ordinem ad merendum præmium, præ operationibus suppositi non habentis eam formam. Sed Maternitas DEI est forma, ratione cujus operationes meritoriæ Virginis Matris sunt æstimabiliores, & præferibiles actionibus alterius suppositi creati in ordine ad merendum præmium, quod non habet Maternitatem DEI; merita enim & obsequia Matris gratiora, & æstimabiliora sunt per ordinem ad obtinendũ præmiũ, meritis & obsequiis aliorum suppositorum hanc relationem non habentium; juxta illud de materna petitione dictum 3. Regum 2. *Pete Mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem Tuam.* Ergo. Tum quia merita Filii etiam adoptivi sunt æstimabiliora apud Patrem adoptantẽ, habent majorem condignitatem ad promerendum præmium, quàm merita servi. Et sic æstimabiliora sunt merita hominis justi, seu habentis gratiam habitualem, quàm merita hominis destituti hujusmodi gratia habituali. Ergo etiam merita Matris apud Filium sunt æstimabiliora, majorémque habent condignitatem in ordine ad obtinendum præmium, quàm merita alterius, quæ non est Mater. Tum quia Matris DEI Sanctissimæ merita sunt æstimabiliora meritis quibuscunque aliorum Sanctorum, qui sunt puræ creaturæ, súntque efficaciora in obtinendis, & impetrandis nobis quibuscunque gratiis, & beneficiis DEI. Ergo hanc condignitatem, & efficaciam dicta merita habent ex dignitate Maternitatis DEI. Etiamsi enim dici possit merita Beatissimæ Matris DEI habere condignitatem, & efficaciam ex gratia habituali Beatissimæ collata, majore & intensiore, quàm sit in quibusdam puris Sanctis, tamen cum hoc stat, quòd eadem merita habeant etiam suam condignitatem à Maternitate DEI. Quid enim prohibet dicere Matris DEI merita habere suam æstimabilitatem, & valorem ex ipsa Maternitate DEI secundùm se sumpta? Negari enim non potest DEUM Matris Sanctissimæ Filium, moveri Matris suæ dignitate, & excellentiâ in acceptandis, & æstimandis ejus meritis, & intercessionibus. Cùm præsertim una, eadémque merita possint habere suam æstimabilitatem, condignitatem, & valorem à diversis formis, ut patet in meritis Christi, quæ ità habent à gratia habituali aliquam condignitatem, & valorem, ut simul habeant condignitatem & valorem à Persona Divina, idque valorem longè excellentiorem & majorem, quia infinitum simpliciter.

## Proponuntur Objectiones.

29. Objicitur primò, & probatur, Maternitati Divinæ non convenire, quòd sit forma sanctificans. Tum quia neque est forma sanctificans majoris, & sublimioris perfectionis, quàm sit gratia habitualis, neque est forma sanctificans minoris, & inferioris perfectionis. Non est Maternitas DEI forma sanctificans majoris & sublimioris perfectionis, quàm gratia, quia Christus ipse minùs æstimat Maternitatem DEI in Matre sua, dum illi præfert auditionem Verbi DEI, illiúsque custoditionem. Cùm enim Lucæ 11. *Extollens vocem quædam Mulier de turba dixisset: Beatus venter, qui Te portavit, & ubera, quæ suxisti.* Respondit Christus dicens: *quin imò Beati, qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud.* In quæ verba S. Augustinus scribens de Virgin. Cap. 3. sic habet: *Melius est concipere DEUM mente, quàm ventre.* Et iterum: *Beatior MARIA percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi.* Non est etiam maternitas DEI minoris perfectionis, quàm gratia habitualis. Quia maternitas est in superiori ordine, nimirum in ordine hypostatico, in quo non est gratia habitualis, passímque maternitas DEI à Doctoribus præfertur gratiæ habituali. Tum quia maternitati DEI non conveniunt ratione illius ipsius prædicata propria formæ sanctificantis, sed conveniunt illi ratione gratiæ habitualis, & ratione aliorum donorum, quæ collata fuerunt Matri Beatissimæ, seu non conveniunt maternitati secundùm se sumptæ, sed potiùs illi conveniunt ut conjunctæ cum illis gratiis & donis, & sumptæ secundùm easdem gratias. Maternitas enim est amabilis, æstimabilis, DEO grata, ratione aliorum donorum, quæ Mater DEI collata habuit, non verò ratione Maternitatis DEI, ratione cujus alia potiùs prædicata conveniunt Matri DEI, qualia sunt, hono-

nora-

norabilitas maxima post DEUM, principatus supra omnes creaturas, quòd sit Domina mundi, Regina omnium creaturarum &c. Ergo. Tum quia Maternitati DEI prædicata formæ sanctificantis conveniunt illativè, non formaliter; quia eatenus conveniunt, quatenus Maternitas DEI infert gratiam habitualem; cui gratiæ conveniunt formaliter prædicata formæ sanctificantis; & sic Maternitati DEI convenit illativè æstimabilitas, sicut electioni hujus Virginis in Matrem convenit æstimabilitas illativè; non formaliter; hæc enim ità infert æstimabilitatem formalem, ut non sit ipsa æstimabilitas formalis Virginis Matris; aliàs etiam electio sanctæ Virginis in Matrem DEI deberet secundùm se esse forma seipsâ formaliter sanctificans, quod tamen non dicetur. Ergo. Tum quia ut Maternitas DEI sit forma seipsâ formaliter sanctificans, non sufficit, quòd sit jus extrinsecum in anima Beatissimæ radicans ab extrinseco sive immunitatem à culpa, & cum illa incompossibilitatem, sive aliam quamcunque rectitudinem; sed debet esse jus intrinsecum exclusivum intrinsecè peccati, & seipsô fundans intrinsecam rectitudinem; ex hac enim ratione electio in Matrem DEI non est forma seipsâ formaliter sanctificans; quia secundùm se est nonnisi jus extrinsecum ad immunitatem à culpa, & rectitudinem convenientem. Atqui Maternitas DEI non est jus intrinsecum ad prædicata, sed est nonnisi jus extrinsecum, non secus ac electio in Matrem DEI est jus extrinsecum. Ergo. Tum quia de ratione formæ sanctificantis est major puritas à noxa; præsertim gravi, & incompossibilitas cum eadem, & non præcisè oppositio cum peccato, ratione indecentiæ alicujus; aliàs ratione talis oppositionis, & vocatio ad Apostolatum Judæ fuisset forma sanctificans; ratione enim talis vocationis indecens fuit, ut Judas traderet Christum, & tot alia crimina committeret. Electio item & constitutio Petri in Caput Ecclesiæ ratione indecentiæ; quâ indecens fuit, ut negaret Christum, esset forma sanctificans; quod tamen non asseritur. Atqui Maternitas DEI est præcisè puritas ratione cujusdam indecentiæ, ex vi cujus indecens fuit, ut Mater DEI esset obnoxia, & rea peccati. Ergo.

30. Objicitur secundò, & arguitur. Illa forma est forma sanctificans; cui conveniunt prædicata, quæ sunt de ratione formæ sanctificantis, illique propria & essentialia. Sed Maternitati DEI non conveniunt prædicata propria & essentialia formæ sanctificantis, seu quæ sint de ratione talis formæ. Ergo Maternitas DEI non est forma sanctificans. Minor Probatur inductione prædicatorum, quæ sunt de ratione formæ sanctificantis, neque tamen conveniunt Maternitati DEI. Tum quia prædicatum formæ intrinsecè & entitativè supernaturalis est prædicatum ità proprium formæ sanctificantis, ut sit de ratione ejusdem. Sed Maternitati DEI non convenit prædicatum formæ intrinsecè & entitativè supernaturalis. Maternitas enim DEI consistit in actione generativa humanitatis Christi, quæ actio est naturalis, non verò supernaturalis intrinsecè & entitativè. Ergo. Tum quia de ratione formæ sanctificantis est esse formam intrinsecam intrinsecè inhærentem subjecto, quod sanctificat, juxta definitionem Concilii Tridentini Sess. 6. Cap. 7. ubi sic habet: *Unica causa formalis justificationis nostræ est justitia DEI, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, quâ videlicet ab eo donati non modò reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes.* Atqui Maternitati DEI non convenit esse formam intrinsecam subjecto, quod deberet sanctificare, nimirum Beatissimæ Matri DEI. Maternitas enim consistit in actione generativa humanitatis, & productiva unionis essentialis inter Corpus & Animam Christi, & in actione, seu influxu instrumentali physico in unionem hypostaticam, quæ utraque actio est forma extrinseca Matri Beatissimæ, potiùsque unaquæque hæc actio est intrinseca humanitati Christi; in hac enim & hæc, & illa recipitur, ac etiam recipiuntur termini per dictas actiones producti. Ergo &c. Tum quia de ratione formæ sanctificantis est illam esse formam physicam, solúmque eatenus moralem, quatenus ordinatur ad mores. Effectus enim formalis formæ sanctificantis debet esse effectus formalis physicus

sicus positivus, similis effectui formali parietis albi, qui effectus est effectus physicus, ùt vult S. Thomas in 1. Dist. 17. quæst. 1. art. 1. ubi sic habet: *Non potest intelligi, quòd paries sit albus sinè albedine, ità intelligi non potest, quòd anima sit bona in esse gratuito sinè charitate & gratia informante.* Sed Maternitas DEI non est forma physica; deberet enim esse ex prædicamento qualitatis, & ad istud prædicamentum spectare, sicut albedo ad hoc spectat prædicamentum. Porrò maternitas non est ex hoc prædicamento, sed potiùs ex prædicamento actionis. Ergo. Tum quia de ratione formæ sanctificantis est, illam esse in se physicè existentem actu, & permanentem, & non præcisè esse formam physicè præteritam, solúmque moraliter permanentem, ùt patet in gratia habituali, quæ ità est forma sanctificans, ut actu physicè existat, & permaneat, & non præcisè maneat moraliter. Atqui maternitati DEI non convenit esse formam actu physicè existentem, & permanentem, cùm maternitas DEI consistat in actione generativa transeunte, quæ physicè actu aliquando exstitit, post transactam tamen Christi generationem non existit ampliùs physicè actu, nec permanet physicè, sed solùm permanet moraliter. Ergo maternitati DEI non convenit aliquod prædicatum, quod est de ratione formæ sanctificantis.

## Respondetur ad Objectiones.

31. Primæ objectionis Nego Assumptum. Nego itèm primæ Probationis Antecedens, & Dico, maternitatem DEI esse formam sanctificantem majoris & excellentioris perfectionis, quàm sit gratia habitualis. Probationem etiam ulteriorem Nego, quòd Christus maternitatem minùs æstimet, idque ità illam æstimet, ut ipsi præferat gratiam habitualem; neque enim in allato Lucæ textu veniunt in comparationem maternitas DEI, & gratia habitualis, sed veniunt ex una parte Christi in utero gestatio, ejúsque refectio lacte ex uberibus sumpto, ex altera parte auditio Verbi DEI, ejus per fidem susceptio, & custoditio, qui actus non sunt gratia habitualis, sicut nec priores sunt maternitas DEI. Quare verò, & quo sensu præferat Christus auditionem Verbi DEI, illiúsque custoditionem actionibus illis portationis in utero Christi infantis, & lactationis ejusdem, Respondeo præferri hæc eo sensu, quòd ad salutem, & beatitudinem nostram non prodesset nobis, quòd Mater DEI hominis portaverit eum in utero, súisque uberibus lactaverit, nisi homines audirent prædicationem Christi, Verbúmque DEI ab ipso prædicatum susciperent, illúdque per bona opera, ad salutem necessaria custodirent. Seu quia universalius, immediatius, & ad plurium beatitudinem conducens medium est, auditio Verbi DEI, ejúsque per fidem, dilectionem, aliáq; bona opera custoditio, quàm portatio Christi in utero, ejúsq; lactatio. Nam auditio Verbi DEI, & custoditio illius est medium, per quod omnes homines ratione utentes beatitudinem consequuntur. Portatio verò Christi in utero Virginis, & lactatio ejusdem, est medium immediatum particulare per ordinem ad Beatitudinem à Beatissima Virgine obtinendam; per ordinem verò ad aliorum salutem, & beatitudinem est medium remotum. Per quod non evincitur, Maternitatem DEI non esse formam sanctificantem respectu Virginis Matris, neque Maternitati ejusdem deberi jus ad Beatitudinem, cùm præsertim ipsa Beatissima in suo Cantico de se dicat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est.* Et Elisabeth sic Virginem Matrem DEI alloquatur: *Benedicta Tu inter Mulieres.* Et iterum: *Beata, quæ credidisti, perficientur in Te, quæ dicta sunt Tibi à Domino.* Maternitas igitur DEI est sanctitas formalis, & forma sanctificans respectu solius Virginis Matris, & quæ non potest esse ejusmodi forma omnibus communis, suum effectum formalem in quocunque supposito præstans. Est prætereà sanctitas ità Virginem Matrem sanctificans, ut mediatè ac remotè ad aliorum beatitudinem conferat, non verò ut ipsa alios sinè fide, & bonis operibus reddat beatos. S. Augustini textus sano sensu sunt intelligendi, siquidem nisi Virgo in utero concepisset Filium DEI, eúmque ge-

nuisset, non possemus salutariter mente concipere DEUM; cùm hoc ipsum, quòd salutariter DEUM mente concipiamus, habeatur ex meritis Christi, quæ merita non fuissent, si DEUS Homo factus, adeoque conceptus, & natus non fuisset. Debet igitur S. Augustinus intelligi hoc sensu, quòd non sufficiat ad salutem nostram DEUM hominem conceptum, & natum esse, sed juxta præsentem ordinationem Divinam, omnino necessarium esse, ut credamus, & DEUM corde, ore, & opere confiteamur.

Addo, Maternitatem DEI, & gratiam habitualem ad se invicem comparata habere se per modum excedentis, & excessi, quatenus Maternitas DEI, quibusdam prædicatis, & ratione illorum perfectione excedit gratiam habitualem, simul certis aliis prædicatis & perfectione exceditur ab eadem. Excedit Maternitas DEI gratiam habitualem *Primò* per hoc, quòd Maternitas DEI sit in ordine hypostatico, gratia sit in ordine supernaturali, non hypostatico. *Secundò* per hoc, quòd Maternitas DEI sit radix exigitiva donorum supernaturalium in gradu valde excellenti, & intenso; gratia habitualis sit, aut possit esse radix donorum supernaturalium etiam in gradu remisso, vel minùs intenso. *Tertiò*, quòd inter Matrem DEI, & inter DEUM ejus Filium, perfectior sit unio, quàm inter hominem justum, & inter DEUM. Illa est unio Matris cum DEO, tanquam Filio suo naturali, unio inter hominem justum, & inter DEUM est unio Filii DEI adoptivi, cum DEO adoptante. *Quartò*, quòd maternitas DEI sit incomponibilis cum omni peccato sive originali, sive personali, & actuali, eòque tam mortali, quàm veniali; gratia habitualis possit dari, & detur in subjecto, in quo fuit peccatum originale; quòd item gratia habitualis solùm non possit componi cum peccato mortali, possit verò componi, & frequenter componatur cum veniali. *Quintò* per hoc Maternitas DEI excedit gratiam habitualem, quòd Maternitas DEI non solùm expellat peccatum, illúdque excludat, sed etiam excludat potentiam proximam peccandi; quatenus Maternitas DEI non solùm non potest componi cum ullo peccato, sed nec potest componi cum potentia proxima peccandi. Gratia habitualis expellit peccatum mortale, non excludit potentiam proximam peccandi; cùm justus possit peccare ità, ut per peccatum mortale amittat gratiam.

Gratia verò habitualis excedit Maternitatem in his. Quòd Maternitas DEI non secundùm omne id, quod constitutivè dicit, sit supernaturalis entitativè. Gratia verò habitualis adæquatè sumpta sit supernaturalis entitativè. Quòd gratia habitualis sit forma Physicè permanens, intrinseca intrinsecitate physica suo subjecto; Maternitas DEI secundùm se non sit physicè permanens, nec sit intrinseca omnimoda intrinsecitate suo subjecto. Hic tamen effectus gratiæ habitualis supra Maternitatem DEI in æstimatione morali talis est, ut Maternitas DEI sit simpliciter, & censeatur esse forma sanctificans majoris & sublimioris perfectionis, quàm sit gratia habitualis.

Secundæ Probationis Nego Antecedens, & Dico, Maternitati DEI ratione sui convenire prædicata propria, & differentialia formæ sanctificantis, eatenus aliquomodo, sicut Personæ Divinæ unitæ hypostaticè humanitati conveniunt prædicata propria & differentialia formæ sanctificantis, idque conveniunt ratione sui, non ratione gratiæ habitualis, quæ in humanitate Christi conjungebatur cum Persona Divina, ejúsque unione. Licèt verò Maternitati Divinæ dicta prædicata conveniant cõjunctæ cum gratia habituali, non tamen conveniunt Maternitati ùt conjunctæ; & ratione conjunctionis cum gratia, sed ratione sui. Ubi adverto: Et Maternitati secundùm se, & gratiæ habituali secundùm se convenire prædicata propria, & differentialia formæ sanctificantis, diversa tamen prædicata utrique: Nam Maternitati DEI convenit esse radicem exigitivam gratiæ habitualis à se diversæ; gratiæ habituali non convenit esse radicem exigitivam alterius gratiæ; aut esse radicem exigitivam Maternitatis. Maternitati DEI convenit oppositio cum omni peccato; gratiæ habituali convenit solùm oppositio cum peccato gravi, seu mortali. Ad ulteriorem Probationem Dico: Maternitatem DEI esse amabilem; æstimabilem;

gratam DEO ratione sui, non verò ratione gratiæ habitualis; quamvis Beata Virgo fuerit amabilis, æstimabilis, & grata DEO, tum ratione Maternitatis DEI, tum ratione gratiæ habitualis, tanquam ratione duarum diversarum formarum sanctificantium. Cùm Beata Virgo fuerit capax hujus effectûs formalis sibi à diversis formis præstandi. Maternitas etiam DEI, & gratia habitualis sunt duæ diversæ formæ potentes præstare effectum formalem sancti, amabilis, æstimabilis, &c. Nec obstat, quòd Maternitati DEI, aut potiùs ratione illius Beatæ Virgini conveniant alia prædicata, ùt quòd sit honorabilis cultu post DEUM maximo, quòd habeat principatum super omnes creaturas, quòd sit Domina mundi, Regina universorum, &c. Non obstat, inquam. Hæc enim prædicata non excludunt prædicata propria formæ sanctificantis, nec vicissim excluduntur à prædicatis propriis hujus formæ; imò potiùs inferunt, & faciunt, ut Maternitas DEI sit forma sanctificans præstantior, quàm gratia habitualis.

Tertiæ Probationis Nego Antecedens, & Dico: Maternitati DEI prædicata propria formæ sanctificantis convenire & illativè, & formaliter. Conveniunt illativè dicta prædicata per hoc, quòd Maternitas DEI sit radix illativa gratiæ habitualis, & plenitudinis ipsius. Conveniunt etiam formaliter prædicata formæ sanctificantis Maternitati tum ex eo, quòd hæc ratione sui sit formaliter amabilis, æstimabilis, grata DEO. Tum per hoc ipsum, quòd Maternitati DEI conveniant illativè prædicata formæ sanctificantis, seu quòd sit radix illativa gratiæ habitualis; cùm esse radicem illativam sanctitatis alicujus, præsertim inferioris, sit prædicatum formale formæ sanctificantis, seu prædicatum præstans, ut Maternitas DEI sit forma seipsâ formaliter sanctificans, ùt patet in sanctitate increata VERBI, ejúsque unione, quæ ità infert, & est radix illativa gratiæ habitualis in humanitate Christi, ut per hoc ipsum sit forma sanctificans formaliter dictam humanitatem. Nego ulteriùs, quòd Maternitas DEI ità inferat æstimabilitatem propriam gratiæ habitualis, ut illi ratione sui non conveniat æstimabilitas. Convenit, idque longè major, quàm sit æstimabilitas gratiæ habitualis; cùm longè æstimabilius sit Virginem MARIAM esse Matrem DEI, quàm esse Filiam adoptivam. Ad paritatem Dico: electionem Virginis MARIÆ in Matrem ex alia ratione non esse formam sanctificantem ejusdem, & non ex hoc, quòd illativè inferat prædicata formæ sanctificantis; nimirum ex eo talis electio non est forma sanctificans, quia non est forma intrinseca, & inhærens MARIÆ Virgini, tanquam subjecto denominationis, nec est actio ab intrinseco ejusdem Virginis procedens, & recepta in eo, quod erat intrinsecum Virgini, licèt per ipsam generationem avulsum & communicatum sanctissimæ ejus proli. Potiùs enim electio Virginis in Matrem DEI est extrinseca Virgini Matri, nec ab illa, alterutro hoc modo dependens. E contrà Maternitas DEI licèt non sit forma intrinseca, permanenter inhærens Virgini Matri, quod omitto, tamen eadem ipsa est actio ab intrinseco Virginis procedens, quia est actio generativa vitalis, recipitúrque in portione substantiæ Virginis, quæ per generationem communicatur Christo Virginis Filio, & ex qua efformatur Corpus Christi.

Quartæ Probationis Nego Minorem. Nimirum Nego, quòd Maternitas DEI sit nonnisi jus extrinsecum ad immunitatem à culpa, & rectitudinem, quæ debet convenire Matri DEI. Et Dico, ipsam esse jus intrinsecum fundatum in actione generativa, & influxu instrumentali Sanctissimæ Virginis Matris in unionem hypostaticam, radicans ab intrinseco immunitatem à peccato, & rectitudinem &c. Aliter discurrendum est de electione hujus Virginis in Matrem DEI; hæc enim est jus extrinsecum, quia est lex supremi Legislatoris DEI. Actus DEO intrinsecus, creaturis verò secundùm rectum omnino extrinsecus. Porrò lex est jus extrinsecum. Certè licèt electio hujus humanitatis, ut assumatur à VERBO, sit jus extrinsecum ad immunitatem talis humanitatis à peccato, & ad rectitudinem, quæ Christo convenire debet, tamen ipsa assumptio hujus humanitatis à VERBO per unionem hypostaticam non est jus extrin-

secum ad immunitatem à peccato, &c. & ipsa forma sanctificans humanitatem. Ergo pariter, licèt electio Virginis MARIÆ in Matrem DEI sit jus extrinsecum, tamen ipsa Maternitas DEI non est jus extrinsecum ad immunitatem à peccato, & ad aliam rectitudinem Matri DEI sanctissimæ propriam.

Quintæ Probationis Nego Minorem, & Dico, Maternitatem DEI esse puritatem, non solùm ratione cujusdam indecentiæ, ejúsque fundatæ in aliquo extrinseco, ex vi cujus indecens fuit, ut Mater DEI esset obnoxia peccato, ejusdemque rea, sed etiam ratione exigentiæ moralis, & cujusdam impotentiæ Matri DEI modô explicatô intrinsecæ, ex vi cujus Beata Virgo non potuit peccare. Sicut puritas gratiæ habitualis est non solùm ratione cujusdam indecentiæ fundatæ in aliquo extrinseco, ex vi cujus indecens est, ut Filius adoptivus DEI in sensu composito Filiationis peccet, sed hæc puritas gratiæ habetur ratione exigentiæ intrinsecæ, & impotentiæ coëxistendi peccato mortali. Quòd si quæras. Qualis sit impotentia peccandi conveniens Matri DEI, ejúsque Maternitati? Respondeo, hanc esse partim moralem antecedentem, in ratione talis impotentiæ supremam, ex vi cujus necessarium sit, ut Mater DEI destinata, nullô unquam inquinetur peccatô, sítque potiùs quidquid aliud sperabile ex rebus difficillimis & impossibilibus moraliter, quàm ut Mater DEI peccet. Eadem impotentia ad peccandum est etiam partim metaphysica, proveniens ex suppositione consequente, ex vi cujus, ex suppositione, quòd Matri DEI à DEO sint conferenda talia auxilia, quæ futura sunt efficacia, & victricia, impossibile est metaphysicè Matrem DEI peccare.

32. Objectionis secundæ Distinguo Majorem. Illa forma est forma sanctificans, cui conveniunt prædicata, quæ sunt de ratione formæ sanctificantis, certæ determinatæ speciei, illique propria. Nego Majorem. Illa forma est forma sanctificans, cui conveniunt prædicata, quæ sunt de ratione formæ sanctificantis ùt sic, seu prædicata communia omnibus speciebus formæ sanctificantis. Concedo Majorem, & Distinguo Minorem. Sed Maternitati DEI non conveniunt prædicata, quæ sunt de ratione formæ sanctificantis unius certæ & determinatæ speciei. Concedo, vel omitto Minorem. Sed Maternitati DEI non conveniunt prædicata, quæ sunt de ratione formæ sanctificantis ùt sic seu cujusvis. Nego Minorem, & Consequentiam, ac Dico: prædicata formæ sanctificantis, quæ sunt de ratione talis formæ, duplicia esse posse. Quædam, quæ sunt de ratione unius certæ speciei formæ sanctificantis, v. g. gratiæ habitualis; alia prædicata sunt, quæ sunt de ratione omnis formæ sanctificantis, tam creatæ, quàm increatæ, tam substantialis, quàm accidentalis, tam illius, quæ est ex prædicamento substantiæ, vel qualitatis, quàm illius, quæ est de prædicamento actionis. Tam sanctitatis pluribus communis, & quodammodo universalis, quàm sanctitatis particularis, uni alicui convenientis & propriæ. Licèt ergo, ut aliqua forma sit forma sanctificans, requiratur, ut tali formæ conveniant prædicata, quæ sunt de ratione formæ sanctificantis communis omnibus hujusmodi formis, qualia prædicata sunt: esse puritatem & nitorem animæ, esse ejusdem amabilitatem, æstimabilitatem, esse amicitiam DEI, esse jus ad hæreditatem & beatitudinem æternam, esse formam dignificativam operationum sui subjecti, quæ prædicata sunt propria omnis formæ sanctificantis, simúlque differentialia & discretiva ab aliis formis, quæ non sunt forma sanctificans; tamen ut forma aliqua sit forma sanctificans, non requiritur, ut illi conveniant prædicata, quæ sunt de ratione formæ sanctificantis, certæ alicujus determinatæ specie ùt tali, v. g. quæ conveniunt gratiæ habituali. Qualia prædicata de ratione gratiæ habitualis ùt talis sunt, quòd sit creata, quòd sit accidens, quòd sit de prædicamento qualitatis, quòd sit Filiatio DEI adoptiva; quæ prædicata non conveniunt omni formæ sanctificanti, quia non conveniunt sanctitati increatæ. Unde habetur per hoc, quòd Maternitati DEI non conveniant aliqua prædicata, quæ sunt propria hujus determinatæ speciei formæ sanctificantis, non evinci eandem Maternitatem non

esse formam sanctificantem, sed ut sit talis forma, sufficere: quòd Maternitati DEI conveniant prædicata propria formæ sanctificantis ùt sic, & discretiva ac differentialia ejusdem ab aliis, seu prædicata talia, quæ nulli alteri conveniant, præterquam his, quæ sunt forma sanctificans. Quod ipsum ulteriùs est ex eo. Tum quia ut in DEO dentur aliquæ virtutes & affectus, v. g. virtus Misericordiæ, Liberalitatis, justitiæ, scientiæ, iræ, vindictæ, non est necesse, ut hæc secundùm omnia illa prædicata, quæ talibus virtutibus, & affectibus conveniunt in creatis, v. g. quæ conveniunt misericordiæ creatæ, scientiæ, iræ, vindictæ creatæ, dentur in DEO, sed satis est, quòd dentur secundùm conceptus, qui depuratis imperfectionibus, quibus virtutes creatæ inficiuntur, sint conceptus proprii & discretivi, differentiales talis virtutis, vel affectûs ab omnibus aliis, quæ non sunt ipsa. Ergo pariter ut aliqua forma sit forma sanctificans propriè talis, non est necesse, ut omnia prædicata habeat, quæ conveniunt certæ alicujus speciei formæ sanctificanti, v. g. gratiæ habituali, sed sufficit, quód tali formæ conveniat conceptus complectens prædicata propria discretiva, seu differentialia formæ sanctificantis. Tum quia habere essentiam formæ sanctificantis, est esse formam sanctificantem. Sed habere prædicata propria & differentialia formæ sanctificantis, est habere essentiam formæ sanctificantis, hæc enim consistit in talibus prædicatis, quia consistit in genere & differentia, quæ conveniunt illi formæ, cui conveniunt prædicata propria & differentialia formæ sanctificantis; talia enim prædicata permodum differentiæ contrahunt prædicatum formæ, tanquam genus ad esse formæ sanctificantis. Tum quia forma, cui conveniunt prædicata propria, & differentialia formæ sanctificantis, ad nullam aliam speciem pertinet præterquam ad speciem formæ sanctificantis; aliàs illa prædicata differentialia formæ sanctificantis, quæ tali formæ convenirent, & essent prædicata differentialia formæ sanctificantis, & non essent; essent, ùt supponitur; non essent verò, quia convenirent formæ, quæ non esset forma sanctificans. Atqui Maternitati DEI conveniunt prædicata propria & differentialia formæ sanctificantis, ùt ostensum est Num. 28. licèt non conveniant illi aliqua prædicata, quæ certæ speciei formæ sanctificantis, nimirum gratiæ habituali sunt propria. Ergo.

Ejusdem Objectionis omissa Majore potest negari Minor. Et Minor itidem primæ Probationis. Ad ulteriorem Probationem Dico: Maternitatem DEI consistere adæquatè in actione generativa humanitatis Christi, & influxu instrumentali physico in unionem hypostaticam. Ex quibus, licèt actio generativa humanitatis sit intrinsecè & entitativè naturalis, tamen influxus instrumentalis in unionem hypostaticam est intrinsecè supernaturalis, quod sufficit ad rationem formæ sanctificantis.

Eadem prima Probatio potest sic distingui. Prædicatum formæ intrinsecè & entitativè supernaturalis, quò ad omnia & singula sua constitutiva est prædicatum proprium formæ sanctificantis. Nego Majorem. Prædicatum formæ intrinsecè & entitativè supernaturalis, aut quò ad omnia sua constitutiva, seu totum suum esse, aut quò ad unum saltèm constitutivum talis formæ, est prædicatum propriū formæ sanctificantis. Concedo Majorem, & Distinguo Minorem. Sed Maternitati DEI, sumptæ quò ad omnia & singula sua constitutiva, non convenit esse supernaturalem intrinsecè. Concedo Minorem. Sed Maternitati DEI, quò ad nullum sui constitutivum convenit esse supernaturalem intrinsecè. Nego Minorem, & Consequentiam.

Secundam Probationem Distinguo. De ratione formæ sanctificantis hujus determinatè in specie, quæ est gratia habitualis, est illam esse formam intrinsecam intrinsecè inhærentem subjecto, quod sanctificat. Concedo Majorem. De ratione cujuscunque formæ sanctificantis est illam esse formam intrinsecam & intrinsecè inhærentem subjecto. Nego Majorem. Sanctitas enim increata est forma sanctificans humanitatem Christi, non est tamen intrinsecè inhærens humanitati, quia repugnat illam secundùm se recipi in humanitate, solúmque Sanctitas Increata VERBI est intrinseca termi-

terminativè humanitati, quatenus terminat intrinſecè unionem hypoſtaticam ſui cum humanitate. Omiſſa deinde Minore, diſtinguo Conſequens. Ergo Maternitas DEI non eſt determinatè illa forma ſanctificans, quæ eſt gratia habitualis Concedo Conſequentiam. Ergo Maternitas DEI non eſt ulla alia forma ſanctificans, diſtincta à gratia habituali, Nego Conſequentiam. Ad Probationem Majoris Dico: definitionem Concilii Tridentini procedere de hac determinatè forma ſanctificante, quæ eſt gratia habitualis, non verò de alia quacunque forma ſanctificante, quòd hæc debeat intrinſecè inhærere ſubjecto, quod ſanctificat, aliàs Perſona Divina VERBI non eſſet forma ſanctificans humanitatem Chriſti, cùm illi non inhæreat intrinſecè, ſeu non recipiatur in ipſa tanquam in ſubjecto. Eadem Probatio ſecunda poteſt iterum ſic diſtingui. De ratione formæ ſanctificantis eſt eſſe formam intrinſecam ſubjecto, intrinſecitate inhæſionis & receptionis. Nego Majorem. De ratione formæ ſanctificantis eſt eſſe formam intrinſecam ſubjecto, intrinſecitate quacunque ſufficiente ad ſanctificandum. Concedo Majorem, & Diſtinguo Minorem. Sed Maternitati DEI non convenit eſſe formam intrinſecam intrinſecitate inhæſionis, ſeu receptionis in Beatiſſima Virgine. Concedo, vel omitto Minorem. Sed Maternitati DEI non convenit eſſe intrinſecam Beatiſſimæ Virgini ulla alia intrinſecitate, quæ ſit ſufficiens ad ſanctificandum. Nego Minorem, & Conſequentiam, ac Dico: de ratione formæ ſanctificantis eſt, ut ſit forma intrinſeca non unicè intrinſecitate inhæſionis, ſed vel intrinſecitate inhæſionis, quomodo eſt intrinſeca gratia habitualis homini juſto, vel intrinſecitate puræ terminationis, quomodo eſt inrrinſeca Perſona VERBI humanitati Chriſti, quam media unione hypoſtatica terminat, vel intrinſecitate propria generationis vitalis, quæ ex ratione talis actûs debet eſſe intrinſeca ſuo principio. Porrò Maternitas DEI, licèt non ſit intrinſeca Virgini Matri per inhæſionem & receptionem in ipſa, eſt tamen intrinſeca intrinſecitate propria actioni generativæ vitali, quæ intrinſecitas eſt ſufficiens ad rationem formæ ſanctificantis, quia eſt ſufficiens, ut ratione formæ taliter ſibi intrinſecæ, Virgo Beata ſit amabilis, æſtimabilis, DEO chara & grata, ut ſit pura & immunis ab omni labe peccati, & ut ratione talis formæ exigat radicaliter operationes ſanctàs, ut illi debeatur jus hæreditatis æternæ, & ut per illam dignificentur actiones meritoriæ Beatiſſimæ. Ad Probationem ulteriorem Minoris Dico: actionem generativam, quâ Beata Virgo genuit Chriſtum, ità eſſe intrinſecam termino per ipſam genito, nimirum Chriſto, ut ſit etiam intrinſeca Virgini Beatiſſimæ, intrinſecitate requiſita ad rationem generationis vitalis, quæ intrinſecitas in eo conſiſtit, quòd actio generativa DEI hominis ſit intrinſeca portioni ſubſtantiæ Maternæ communicatæ Chriſto, tanquam ſuæ proli. Addo, Maternitatem DEI eſſe intrinſecam Virgini Matri, etiam ratione principii ſupernaturalis, per quod Beata Virgo fuit elevata ad præſtandum influxum inſtrumentalem in unionem hypoſtaticam.

Tertiæ Probationis Majorem Diſtinguo. De ratione formæ ſanctificantis eſt, eſſe formam phyſicam prout oppoſitam formæ morali, quæ per imputationem diverſò ſubjecto ab eo, in quo invenitur, & recipitur, illud ſanctificet. Concedo Majorem. De ratione formæ ſanctificantis eſt, eſſe formam phyſicam, per formam phyſicam unicè intelligendo formam, quæ ſit de prædicamento qualitatis, vel ſubſtantiæ, non verò formam, quæ ſit de prædicamento actionis. Nego Majorem. Diſtinguo itèm Minorem. Sed Maternitas DEI non eſt forma phyſica oppoſita formæ morali, quæ per imputationem moralem Matri Virgini propria ipſam ſanctificet. Nego Minorem. Sed Maternitas DEI non eſt forma phyſica pertinens ad prædicamentum qualitatis. Concedo Minorem, & Nego Conſequentiam. Ad Authoritatem D. Thomæ Dico: comparationem inter parietem album, & inter animam bonam in eſſe gratuito, à S. Doctore in eo inſtitui, quòd ſicut paries non eſt albus niſi per formam ſibi realiter ſuperadditam, ità anima non ſit bona in eſſe gratuito, niſi per formam ſibi ſuperadditam,

ditam ; non instituitur verò comparatio in aliis prædicatis, ut hæc prædicata debeant convenire formæ sanctificanti, quæ conveniunt albedini, nimirum non instituitur comparatio in eo, quòd sicut albedo pertinet ad prædicamentum qualitatis, ità & forma sanctificans debeat esse in eodem prædicamento; aliàs pariter dici & inferri deberet secundùm hanc comparationem, bonitatem animæ in esse gratuito debere esse ordinis naturalis, sicut albedo parietis est forma ordinis naturalis, adeoque quòd gratia habitualis sanctificans debeat esse ordinis naturalis, quòd à mente S. Thomæ est alienissimum. Dici etiam potest, quòd S. Thomas locò adductò agat de hac determinatè forma, quâ communiter homines justificantur, & justi redduntur, quòd hæc forma sit in prædicamento qualitatis, sicut albedo, quæ est forma parietis albi, est in prædicamento qualitatis; non loquitur verò de forma quacunque sanctificante, etiam illa, quæ Christo Domino specialiter est propria ratione unionis hypostaticæ inter humanitatem & VERBUM, non loquitur itèm de forma sanctificante, quæ Virgini DEIparæ specialiter est propria ratione Maternitatis DEI.

Postremæ Probationis negatur imprimis Major. Etiamsi enim hæc determinatè forma sanctificans, quæ est gratia habitualis, debeat esse actu physicè in se existens, & permanens physicè, dum sanctificat, tamen non est de ratione formæ sanctificantis ut sic, ut sit physicè permanens. Quare enim, sicut datur forma sanctificans tunc nonnisi præstans suum effectum formalem, quando actu physicè in se existit & permanet, non poterit pariter dari forma sanctificans, quæ physicè præterita, vel futura, moraliter existens præstet suos effectus formales, eò modò, ut ratione formæ physicè præteritæ, solùmque moraliter permanentis, anima sit amabilis, æstimabilis, DEO grata, debeat esse immunis ab omni labe. habeat jus ad hæreditatem, ejus actiones dignificentur, & quare Maternitas DEI non est talis forma?

Potest etiam omissa Majore, negari Minor, & dici: quòd Maternitas DEI, etiamsi secundùm actionem generativâ DEI hominis, non permaneat Physicè, permanet tamen physicè quoad principium, per quod Beata Virgo fuit elevata ad præstandum influxum instrumentalem in unionem hypostaticam.

# QUÆSTIO II.

## De immunitate Beatissimæ à peccato, ipsiúsque impeccabilitate.

33. Præmitto, per peccatum intelligi transgressionem legis obligantis in conscientia, hoc est, præcipientis, vel prohibentis aliquid sub comminatione culpæ, & pœnæ. Peccatum celeberrima & inter Catholicos notissima divisione, dividitur in peccatum originale, & in peccatum personale. Peccatum originale est, quod per originem contrahitur, éstque peccatum posterorum aliena physicè voluntate, nimirum voluntate capitis moralis constituti, solùmque moraliter voluntate posterorum commissum, & per propagationem naturalem transfusum in posteros. Tale peccatum est peccatum Adæ, quô transgressus est præceptum DEI de non comedendo fructu ex arbore scientiæ boni & mali. Hoc enim peccatum propria physicè voluntate Adæ, in caput suorum posterorum constituti, commissum, per propagationem naturalem transfunditur in posteros, éstque illis voluntarium moraliter, & singulis inest proprium in privatione sanctitatis & justitiæ, quam Adam & sibi, & suis posteris perdidit. Est, inquam, taliter posteris voluntarium, & proprium propter pactum DEI præcipientis habitum cum Adam, quô ejus voluntati tanquam capitis alligavit voluntates posterorum, sic explicabile: Ego DEUS Creator omnium, supremus & absolutissimus Dominus, ac Legislator Te Adamum constituo in Caput Tuorum posterorum, qui per propagationem naturalem à Te originem ducent, excepta DEI Filii Matre, in ordine ad promerendam vel demerendam gratiam tam Tibi, quàm illis per observationem vel transgressionem legis, præcepti, quô præcipio, nè comedas de ligno scientiæ

entiæ boni vel mali, tuæ & voluntati alligo voluntates posterorum tuorum, ut quidquid tu voles physicè, ipsi censeantur velle, & velint moraliter. Hôc suppositô pactô, & præceptô comestio peccaminosa fructûs prohibiti, ipsi Adæ voluntaria physicè, nobis est voluntaria moraliter, & per propagationem naturalem in nos transfunditur, ut concipiamur filii iræ, filii gehennæ, rei transgressionis Adæ; priùs damnati, antequam nati. Peccatum personale est, quod propria physicè voluntate alicujus Personæ committitur, nec per originem contrahitur ab aliis, seu ità committitur, ut per propagationem naturalem non transfundatur in alios. Peccatum personale subdividitur tanquam in species, in peccatum mortale, quod mortem affert peccanti, eúmque privat vita speciali, sive gratiâ, & in peccatum veniale, quod non privat gratia habituali, nec dissolvit amicitiam cum DEO.

Hôc præmissô duo potissimùm quæruntur præsenti quæstione; primum: An Beatissima Virgo fuerit immunis à peccato originali per sui ab eodem præservationem, & immacalatam suam conceptionem. An verò contracto peccato originali per sanctificationem in utero Matris suæ subsecutam, facta fuerit immunis à dicto peccato? Secundum: An Beatissima Virgo fuerit immunis ab omni peccato personali, nullúmque unquam commiserit, idque ratione alicujus impeccabilitatis sibi convenientis? Hæc ipsa à nobis resolventur duplici puncto.

## PUNCTUM I.

### An Beatissima Virgo fuerit immunis à peccato originali propter sui præservationem ab eodem peccato, & per immaculatam suam Conceptionem?

Punctum hoc duos complectetur Paragraphos, quorum priore decidemus, an Beatissima Virgo MARIA sit immaculatè concepta, nec peccato originali unquam inquinata? Alterô paragraphô determinabitur: An eadem Sanctissima habuerit debitum contrahendi peccatum originale?

## §. I.

### An B. Virgo in sua conceptione fuerit præservata à peccato originali, & immaculatè concepta?

34. Præmitto primò, Quæstionem: An Beata MARIA Virgo fuerit immaculatè concepta, aliter olim ab antiquioribus Theologis intellectam fuisse, aliter nunc, maximè à temporibus Sixti IV. post emanatam ipsius extravag. quæ incipit *grave nimis*, eandem quæstionem intelligi. Antiquiores illi Theologi quærebant primò: An Beata Maria Virgo ante conceptionem suam fuerit sanctificata in suis Parentibus? Alensis 3. parte quæst. 9. memb. 2. artic. 1. hanc quæstionem sic proponit cum aliis sui ævi Theologis. An Beatissima Virgo fuerit sanctificata in proximis, vel intermediis Parentibus, & ratione talis sanctificationis fuerit immaculatè concepta propter transfusionem in ipsam sanctitatis ab illis ejus Parentibus? Et sic propositam quæstionem resolvebant negativè. Secundò alii quærebant: an Beata Maria Virgo fuerit sanctificata in conceptione activa, idque antequam hæc finiretur? Sic proposita quæstio habetur in S. Thoma in 3. distin. 3. vel ùt clariùs explicat ibidem artic. 7. quodlib. 1. *An Beata Virgo fuerit sanctificata in concubitu matrimoniali Sanctorum suorum Parentum?* Hunc enim concubitum intelligebant nomine conceptionis activæ; per conceptionem verò passivam, & formalem intelligebant formationem fœtûs, ejúsque animationem per creationem animæ, ejúsque unionem cum corpore deorganizato. Etiam sic propositam quæstionem resolvebant negativè. Tertiò Theologi antiquiores sic instituebant quæstionem. An Beatissima Virgo fuerit sanctificata ante creationem, & infusionem animæ per sublationem & destructionem qualitatis morbidæ, quam supponebant inesse semini ex libidinoso concubitu, censebántque hanc qualitatem inductivam esse peccati originalis in animam prolis, dum hæc

primò creatur, & corpori infunditur. Hanc opinionem refert,& refellit Thomas Argentinas unus ex antiquioribus Theologis in 3. sent. dist. 3. Moderni, nostrísque temporibus viciniores Theologi, quæstionem illam: an Beata Virgo fuerit immaculatè concepta? ità intelligunt, & hoc sensu instituunt. An Beatæ Virginis Mariæ anima primo suæ creationis instanti, habuerit infusam sibi à DEO gratiam sanctificantem,& per talis gratiæ infusionem à macula peccati originalis fuerit servata immunis? Hic dictæ quæstionis sensus intelligitur ex constitutionibus Apostolicis Sixti IV. Pauli V. Gregorii XV. Alexandri VII.

35. Præmitto secundò, necdum definitum esse ab Ecclesia, Beatam Mariam Virginem in primo suæ Conceptionis instanti habuisse infusam gratiam sanctificantem, & per hoc à macula peccati originalis servatam fuisse immunem, ùt constat ex Bulla Alexandri VII, quæ incipit: *solicitudo omnium Ecclesiarum.* In qua Pontifex sic loquitur: *Vetamus autem Sixti IV. constitutionibus inhærentes, quempiam asserere, quòd propter hæc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem MARIAM cum originali peccato esse conceptam, hæresis crimen, aut peccatum mortale incurrant, cùm à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout nos nunc minimè volumus decidere, aut intendimus, &c.* Licèt verò nondum Ecclesia definiverit Beatam Virginem MARIAM sinè macula peccati esse conceptam, tamen sententiam asserentem, quòd Anima Beatæ MARIÆ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione, speciali gratiâ donata, & à peccato originali præservata fuerit, Summi Pontifices piam appellant. Alexander VII. asserit, *quòd accedentibus plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam ferè omnes Catholici eam complectantur.* Idem asserit, *quòd vetus sit Christi Fidelium erga ejus Beatissimam Matrem Virginem MARIAM pietas, sentientium ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus, fuisse speciali DEI gratia & privilegiô, intuitu meritorum JESU Christi ejus Filii, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præservatam immunem, atque in hoc sensu ejus conceptionis festivitatem, solenni ritu colentium, & celebrantium, &c.* Accedit, quòd piam hanc sententiam plures Summi Pontifices multis, & singularibus favoribus sint prosecuti. Nam imprimis non solùm permittunt, ut dictam sententiam sequantur fideles, sed ipsos insuper ad hanc sequendam enixè hortantur, Sixtus IV. Paulus V. Gregorius XV. Alexander VII. Secundò Indulgentiis concessis invitant ad festum conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, quam Sixtus IV. *Immaculatam* vocat in sua extravagante, quæ incipit, *grave nimis*, & in altera, quæ incipit *cum præexcelsa*; ad hoc inquam, festum celebrandum, & pio cultu Conceptionem Virginis prosequendam. Cujus Pontificis constitutiones circa Conceptionem Virginis observari mandavit Concilium Tridentinum, Sess. 5. sub pœnis in iisdem Constitutionibus, quas innovat. Tertiò Sixtus IV. Officium de Conceptione Beatæ Virginis, & Missam Leonardi de Noguerolis, in quibus expressissimè asseritur, quòd DEIpara Virgo immaculatè concepta, & à labe originali præservata fuerit, approbavit.

Sanctus Pius V. Festum Conceptionis Marianæ toto orbe celebrari mandavit constitutione, quæ incipit *super specula*m, qua constitutione etiam illud præcipit, ut Officium Divinum in festo Conceptionis Beatæ Virginis illud ipsum recitetur, quod recitari debet in festo Nativitatis Beatæ Virginis, pro Nativitatis nomine, ponendo nomen Conceptionis. Clemens VII. Officium Immaculatæ Conceptionis scriptum à Cardinali Francisco Quinnonio approbavit. Clemens IX. festum Conceptionis extulit ad ritum duplicem secundæ classis per totam Ecclesiam, & cum octava celebrari indulsit. Innocentius XI. Officiolum de Immaculata Conceptione, quod incipit: *Eja mea labia nunc annunciate*, approbavit, imprimi, & recitari permisit his mutatis, ut locò illius: *Te pulchram ornavit sibi Sponsam, in quam Adam non peccavit*, poneretur: *Te pulchram ornavit sibi Sponsam, quæ in Adam non peccavit.* Et iterum, ut locò illius: *Tota pulchra es, & macula originalis non est in Te*, poneretur: *Tota pulchra es amica mea, & macula originalis nunquam fuit in Te.* Quartò Innocentius VIII. confirmavit Ordinem Religiosum Monialium Immacula-

culatæ Conceptionis, hujúſque Ordinis inſtitutum & regulam approbavit tum Ipſe, tum Succeſſores illius Sixtus IV. & Alexander VII. juxta quam dictæ Moniales promiſſionem emittunt hâc formulâ: *Ego N. ob amorem Domini noſtri, & Immaculatæ Conceptionis ejuſdem Genitricis voveo, &c.* Adrianus VI. Confraternitatem Immaculatæ Conceptionis Toleti inſtitutam approbavit, in cujus legibus Feſtum S. Annæ inducitur, de qua hoc ibi habetur: *In cujus Ventre fuit Anima MARIÆ creata in majori gratia, quàm Cherubim, & Seraphim, qui cum natura gratiam acceperunt.* Quintò. Leo X. In honorem Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis multa templa exſtruxit; & Indulgentias conceſſit dicentibus Miſſas de Conceptione, ùt refertur in Compendio Minorum, verbô: *Indulgentia.* Sextò, à Gregorio XV. data poteſtas & licentia, ſive in lectionibus, ſive in concionibus, ſive in concluſionibus, actibúſque aliis publicis piam ſententiam docendi, ac directè probandi, quòd Beata Virgo ſit immaculatè concepta, abſque directa impugnatione adverſæ opinionis. Septimò, per citatam conſtitutionem Alexandri VII. non licet conſtitutiones Apoſtolicas in favorem piæ ſententiæ latas, ità interpretari, *ut dicto favore & pia ſententia, & Feſtum Conceptionis cultu ſecundùm dictam ſententiam exhibito fruſtrentur.* Octavò, Paulus V. vetuit *opinionem aſſerentem, quòd Beata Virgo ſit in peccato concepta, publicè doceri, aut prædicari, quam prohibitionem Gregorius XV. ad privata etiam colloquia extendit.* Nonò. Alexander VII. præter pœnas, ac cenſuras à Sixto IV. in eos conſtitutas, qui piam ſententiam, Feſtum Conceptionis, ſeu cultum in diſputationem revocare, aut contra ea quoquô modô directè, vel indirectè, aut ſub quôvis prætextu, ſeu occaſione, ſcripto, ſive voce loqui, concionari, tractare, diſputare, contra ea quidquam determinando, aut contra ea argumenta afferendo, & inſoluta relinquendo, aut quôvis aliô modô excogitabili differendo, auſi fuerint. Addit inſuper hanc pœnam, quòd tales concionandi, publicè docendi, ſeu legendi facultate, ac voce activa, & paſſiva in quibuſcunque electionibus. eô ipsô, abſque alia declaratione privatos decernat, & ad concionandum, publicè legendum, docendum, interpretandum, perpetuæ inhabilitatis pœnas ipsô factô incurrere, ità ut ab his pœnis nonniſi à Summo Pontifice abſolvi, aut ſuper iis diſpenſari poſſint. Primò tamen idem Alexander VII. libros, in quibus præfata pia ſententia, feſtum, ſeu cultus ſecundùm illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocunque, ùt ſuprà, aliquid ſcribitur, aut legitur, ſeu locutiones, conciones, & diſputationes contra eandem continentur, poſt Pauli V. Decretum edita, aut in poſterum edenda prohibet ſub pœnis, & cenſuris in indice librorum prohibitorum contentis, & ipsô factô abſque alia declaratione pro expreſsè prohibitis haberi vult, & mandat. Præter tot, & tantos Summorum Pontificum favores, majores & ampliores nec ſperari poſſunt, nec deſiderari debent, præterquàm, ut pia ſententia per definitionem Pontificiam fiat articulus fidei, & ex Cathedra Petri definiatur, quòd Anima B. Mariæ Virginis ſit in gratia habituali creata, & corpori virgineo unita. Atque per hoc ſit à peccato originali ſervata immunis, intuitu meritorum JESU Chriſti ejus Filii.

36. Dicendum eſt. Animam Beatiſſimæ Matris DEI Virginis MARIÆ in primo inſtanti creationis, & infuſionis in corpus ſpeciali gratiâ & privilegiô, intuitu meritorum JESU Chriſti ejus Filii Redemptoris generis humani, à macula originalis peccati fuiſſe præſervatam immunem. Duæ ſunt partes aſſertionis præſentis. Prima, quòd Beatiſſimæ Virginis Anima à macula peccati originalis ſit ſervata immunis. Secunda, quòd ſit ſervata immunis intuitu meritorum Chriſti ejus Filii, Redemptoris generis humani.

Prima pars probatur primò, Authoritate ſacræ Scripturæ, Summorum Pontificum, Conciliorum, SS. Patrum, Theologorum. Authoritate itèm Imperatorum, Regum, Principum, Regnorum, Univerſitatum, & Academiarum, ſacrorum Religioſorum Ordinum, & unanimi ferè conſenſu omnium Fidelium. Sacræ Scripturæ textus pro Conceptione immaculata Virginis Mariæ magis præcipuos adduco. Qualis imprimis eſt ille textus Gen. 3. ubi DEUS ſerpentem,

M 2 qui

qui decepit Evam, ſic alloquitur: *Inimicitias ponam inter te, & inter mulierem, inter ſemen tuum, & inter ſemen illius, ipſa conteret caput tuum.* Ex quo Scripturæ loco ſic argui poteſt. Danda erat Mulier, quæ futura erat immunis à peccato originali, quia talis, quæ contritura erat caput ſerpentis antiqui, ſeu dæmonis, qui in ſpecie ſerpentis ſeduxit matrem noſtram Evam, per quod caput intelligitur peccatum originale; hoc enim eſt tale caput, à quo virtus ſerpentis infernalis diffunditur in totum genus humanum. Sed Maria Virgo eſt illa Mulier, quæ contrivit caput ſerpentis humano generi inimiciſſimi; de illa enim intelligunt adducta verba Gen. Auguſtinus, & Bernardus. S. Auguſtinus lib. 12. de Geneſi ad literam, cùm dicit: *Cùm ſubjectio originalis peccati caput ſit Diaboli, tale Caput MARIA contrivit, quia nulla peccati ſubjectio ingreſſum habuit in Animam Virginis, & ideò ab omni macula immunis fuit.* Divus Bernardus Homil. 2. ſuper miſſus eſt. *Cui hæc ſervata eſt victoria, niſi MARIÆ? ipſa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni ſuggeſtionem, tam de carnis illecebra, quam de mentis ſuperbia deduxit ad nihilum.* Ergo Beata MARIA Virgo fuit immunis à labe originali. Judith. 13 habetur: *quòd ipſa abſciderit caput Holofernis, & quòd* (ùt ipſa de ſe teſtatur) *non permiſerit illam DEUS Ancillam ſuam coinquinari.* Judith illa eſt figura Beatæ Virginis Mariæ Genitricis DEI, quæ in ſua Conceptione præcidit caput Holofernis infernalis, de eóque triumphavit, & quæ multò meliùs gloriari poteſt, quòd DEUS in conceptione ipſius non permiſerit illam Ancillam ſuam peccati originalis maculâ coinquinari. Eſther 15. Aſſuerus Rex Reginam Eſther ſic alloquitur: *Non morieris, non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* In Conceptione Beatæ Mariæ Virginis impletum eſt, quòd illa lex Adamo, & Poſteris ejus impoſita: *de ligno ſcientiæ boni & mali nè comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris,* non fuerit lata in Mariam, ſed hæc conſtituta fuerit in Adamum, & omnes poſteros ejus præter Mariam; adeoque quòd B. Maria in ſua Conceptione per peccatum originale non ſit mortua in Anima, per illud moriantur omnes poſteri Adæ per propagationem naturalem ab eo deſcendentes. Proverb. 8. dicitur: *Beatus, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei.* Textum hunc aliqui intelligi volunt de his, qui primum in mundum ingreſſum Marianum, ejúſque Conceptionem pio quotidiano obſervant cultu. Eccleſiaſtici 24. dicitur: *Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium; & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Textus hic intelligitur, quòd DEUS Creator omnium, qui ſpeciali modo creavit Mariam in ejus Conceptione, ſervando illam immunem ab originali labe in tabernaculo ejus, hoc eſt, in utero virginali requieverit per aſſumptionem ex ea carnis humanæ. Canticorum 4. dicitur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in Te.* Quem textum Innocentius XI. ùt aliàs dictum eſt, intelligi vult de Virgine Maria eo ſenſu, *quòd macula originalis nunquam fuerit in ea.*

Matth. 26. Chriſtus in ultima cœna his verbis calicem conſecrat: *Hic eſt Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Quæ verba acutè perpendens P. Vieira talem proponit quæſtionem. Cùm Chriſtus, ùt Fides docet, pro omnibus mortuus ſit juxta illud S. Pauli Apoſtoli 2. ad Corin. 5. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*, adeoque cùm pro omnibus pretioſum ſuum ſanguinem fuderit, quare non dicit Chriſtus: *Hic eſt ſanguis meus, qui pro omnibus effundetur*, ſed dicit: *qui pro multis effundetur?* & hanc reſolvit quæſtionem in hunc modum, quòd ſanguis Chriſti licèt ſit abſolutè effuſus pro omnibus, non eſt tamen effuſus pro omnibus in remiſſionem peccatorum, ſed pro multis. De numero quippe omnium exempta fuit Mater, quæ eundem ſanguinem illi dedit; hæc enim à culpa cùm ſervata fuiſſet immunis intuitu meritorum Chriſti, ſanguis ejus pro ea fuit effuſus non in remiſſionem peccatorum, cùm remiſſio hæc ſupponat peccatum, ſed ut gratiam præſervativam ſuiâ peccato acciperet.

Longum eſſet omnes adducere Scripturas, quibus immaculata Virginis conceptio probari poteſt. Adm. R. P. Joſephus Zoller Ord. S. Benedicti, in libro ſuo, cui titulum dedit conceptus chro-

chronographicus de concepta sacra DEIpara. 100. testimonia sacræ Scripturæ proponit, ex quibus eruditè deducit Beatam Virginem MARIAM fuisse immaculatè conceptam. R. P. Vitus Scheffer nostræ Societatis 12. tomis in folio editis, quibus titulum inscripsit: Biblia immaculata, laboriosè probat ex Scripturis immaculatam Virginis Conceptionem. Et in primis quidem tomis 7. argumenta deducit ex singulis versibus quorundam sacræ Scripturæ librorum, in tomis posterioribus ex nonnullis, & plerisque versibus reliquarum Scripturarum.

37. Summorum Pontificum summa Authoritas pro immaculata Virginis conceptione innotescit ex his, quæ dicta sunt num. 35. Hi constitutionibus suis citatis, & favoribûs piæ sententiæ præstitis clarè ostendunt, quid de immaculata Virginis DEIparæ conceptione senserint, & quid à fidelibus sentiri voluerint. Inter hos Pontifices plenissimè suam mentem expressit Alexander VII. in bulla, quæ incipit: *solicitudo omnium Ecclesiarum*, cujus etiam verbîs præsens nostra assertio proponitur. Hæc summorum Pontificum Authoritas est validissimum argumentum pro immaculata Virginis conceptione, non solùm ex hoc capite: quia Ecclesia est columna veritatis, & summi Pontifices sunt judices à Christo constituti quarumvis controversiarum, quæ inter Christi Fideles circa res fidei exoriuntur; sed etiam ex eo, quia ût aliàs dictum est per citatam dicti Alexandri constitutionem, *non licet constitutiones Apostolicas in favorem piæ sententiæ latas taliter interpretari, ut eo favore pia sententia, & Festum conceptionis cultu secundùm dictam sententiam exhibito frustrentur*, idque non licet sub pœnis, & censuris à Sixto IV. constitutis, nec non sub privatione vocis activæ & passivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad concionandum, publicè legendum, docendum, interpretandum ipsô factô incurrendis, & summo Pontifici reservatis.

38. Concilia, quæ pro pia sententia adduci solent, sunt: Concilium seu Synodus 6ta sub Agathone Papa, Concilium Francofordiense, Concilium Basileense, Concilium Ephesinum, Concilium Lateranense sub Martino V. Concilium Toletanum, Concilium Tridentinum; præter alia minùs celebria. Synodus 6ta, Actione 18. sic habet: *confitemur Christum in vulva illibatæ Virginis Genitricis DEI habitâsse, & per Spiritum Sanctum ex sancta & immaculata carne ejus in propria subsistentia carnem suscepisse.* Ex quo textu sic arguitur. Si Christus in illibata Virgine DEI Genitrice habitavit. Ergo habitavit in Virgine, omnis labis, adeoque & labis originalis experte. Cùm esse illibatam sit esse omnis labis expertem, seu ab omni labe immunem.

Concilium Francofordiense sub anno Domini 780. habitum ait: *meliore terra animata, & immaculata Filius DEI factus est homo, dicente Apostolo: primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.* Unde infertur: Ergo cùm Adam primus homo fuerit formatus de terra nondum maledicta, etiam Christus secundus homo formatus est ex terra animata immaculata, nulli maledictioni subjecta, nullo peccato etiam originali inquinata, quæ propter suam puritatem cælum dici potest, ut sic ex Virgine tanquam cælo purissimo homo secundus, sit homo cælestis.

Concilium Basileense, Sess. 36. hæc habet: *Nos diligenter inspectis Authoritatibus, & rationibus, aliisque plurimis super hac re visis, & matura consideratione pensatis, doctrinam illam asserentem gloriosam Virginem DEI Genitricem MARIAM præveniente & operante Numinis Divini gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali culpa, sanctámque & immaculatam; tanquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam fore definimus, & declaramus, nullique licitum esse de cætero in contrarium prædicare, seu docere.*

Concilium Ephesinum, ût habetur tom. 6. Cap. 7. sic loquitur. *Sacra DEIpara MARIA in unum nos coegit. Hæc impollutus & purus ille impollutæ Virginitatis thesaurus, decúsque, & ornamentum. Hæc Spiritualis secundi Adami paradisus, hæc reconciliationis salutaris panegyris.* Quæ encomia Virginis videntur significare, & indicare immaculatam ejus Conceptionem.

Concilium Lateranenſe ſub Martino V. Can. 3. hæc habet: *Si quis ſecundùm SS. Patres non confitetur propriè, & ſecundùm veritatem DEI Genitricem ſanctam ſemper Virginem, & immaculatam MARIAM, damnatus eſt.* Ergo DEI Genitrix MARIA fuit ſancta ſemper Virgo, & immaculata. Sed non fuiſſet ſancta ſemper, & immaculata, ſi in aliquo, nimirùm in primo inſtanti ſuæ conceptionis habuiſſet originalem maculam. Ergo talem maculam non habuit.

Concilium Toletanum XI. in profeſſione Fidei: *Filii Perſonam pro liberatione generis humani, hominem verum ſinè peccato, de ſancta & immaculata Virgine MARIA credimus aſſumpſiſſe.*

Concilium tandem Tridentinum Seſſ. 5. cùm definiviſſet peccatum Adæ origine unum, propagatione multiplex transfuſum, omnibus ineſſe, unicuique proprium, ad finem talis decreti addit: *declarat tamen hæc ipſa ſancta Synodus non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam Virginem MARIAM DEI Genitricem. Sed obſervandas eſſe Conſtitutiones felicis Recordat. Sixti Papæ IV. ſub pœnis in eis conſtitutionibus contentis, quas innovat.*

39. Ex hoc Catalogo Conciliorum quidam excludi volunt Concilium Baſileenſe ex eo, quòd hoc Concilium celebratum fuerit in Schiſmate contra Nicolaum V. Summum Pontificem, ideoque non fuerit à Papa approbatum. Verùm hoc Concilium, etiamſi non fuerit approbatum quòad omnia, ùt habet Bellarminus lib. de Conciliis, fuit tamen approbatum quòad aliqua; quodſi approbatũ eſt quoad aliqua, reſtat quærere, quòad quæ eſt approbatũ, & in particulari, an non ſit approbatum quòad conſtitutionem Concilii circa im̃aculatam Virginis conceptionẽ? Hæc certè & ex objecti dignitate, & merito, & ex requiſitione Principum, & Præſulum fuit præ aliis decretis dicti Concilii, ut approbaretur. Tum quia Gabriel Biet Sermone de Conceptione teſtatur *hoc Concilii Decretum approbatum eſſe, annô 1439. 15. Calendas Octobris, & vidiſſe ſe Romæ hanc approbationem ſub plumbea ſignatura.* Id ipſum refert Bernardinus de Buſto Serm. 8. Tum quia, cùm hæc ipſa, quæ continentur in adducto decreto Concilii Baſileenſis, inveniantur in Conſtitutionibus Sixti IV. Pauli V. Gregorii XV. Alexandri VII. per memoratas Conſtitutiones cenſetur approbatum eſſe idem Dercretum Concilii Baſileenſis. Tandem dici poteſt, quòd hoc Decretum Concilii Baſileenſis etſi non habeat Authoritatem legitimi Concilii, nec habeat vim definitionis obligantis totam Eccleſiam; tamen habet Authoritatem conventûs Doctiſſimorum Præſulum, & eruditiſſimorum Theologorum majorem, quàm ſit Authoritas totius alicujus ordinis Religioſi, qui ſtatueret à ſuis Religioſis immaculatam Conceptionem Virginis propugnari, & cultu ſingulariori coli. Sicut ergo Authoritas Religioſorum Ordinum, tali lege ſe obſtringentium ad cultum im̃aculatæ Conceptionis, poteſt benè adduci pro pia ſententia, ità & Authoritas Concilii Baſileenſis.

40. Quod attinet Authoritatem SS. Patrum. P. Joannes Kwiakiewicz in libro, cui titulum dedit, *primum inſtans Marianum*, & P. Salazar in defenſione immaculatæ Conceptionis, uterque Societatis noſtræ, pro pia ſententia citant SS. Patres circiter 40. P. Joſephus Zoller Benedictinus, à me jam alàs citatus 100. Patres pro hac ſententia numerat, & adducit, ídque ſubinde unius ejuſdémque S. Patris plura profert teſtimonia. In hunc Patrum numerum veniunt SS. Apoſtoli, S. Andreas, S. Jacobus Major, S. Jacobus Minor, S. Thomas & S. Marcus. In eundem numerum ingrediuntur 6. Concilia, de quibus dictum eſt proximè. Aliquos ipſorum ego in præſenti adducam.

S. Auguſtinus lib. de Incarnat. Sic alloquitur Sanctiſſimam Virginem: *Tu cunctas fœminas vincis pulchritudine carnis, & omnes Angelicos Spiritus excellentiâ ſanctitatis. Tu maculâ nullâ fuſcaris. Tu omni decore veſtiris.* Et lib. 12. de Geneſi ad literam: *Cùm ſubjectio originalis peccati caput ſit diaboli, tale caput MARIA contrivit, quia nulla peccati ſubjectio ingreſſum habuit in animam Virginis, & ideò ab omni macula immunis fuit.*

S. Ambroſius Serm. de Gabaonitis dicit: *MARIA eſt Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.*

Id

Id ipsum insinuat in caput 1. Lucæ, & in Psalmum 40. & 45.

S. Gregorius in librum 1. Regum sic habet: *Potest hujus montis nomine, Beatissima semper Virgo MARIA DEI Genitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnis electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis MARIA, quæ ut ad conceptionem æterni VERBI pertingeret, meritorum verticem, supra omnes Angelorum choros, usque ad solium Divinitatis erexit. Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: Erit in novissimis diebus præparatus mons Domûs Domini, in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo MARIÆ super omnes sanctos refulsit.*

S. Hieronymus Serm. ad Eustoch. *Nulli dubium est de Matre Domini, quòd talis debuerit esse, quæ non posset argui de peccato, quia fuisset ad improperium Filii.* Et Serm. in Assumpt. Virginis. *Quidquid in ea gestum est, totum puritas & simplicitas, totum gratia & veritas fuit, totum misericordia & justitia, & ideò immaculata, quia in nullo corrupta.* Et iterum in illa verba Isaiæ: *egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet,* dicit: *Hæc virga significat MARIAM, quæ nullum habet fruticem sibi cohærentem, de radice ejus flos ascendit, quia ex prima Conceptionis puritate Mater destinatur.*

S. Thomas Doctor Angelicus, in 1. Distinct. 44. Art. 3. ad 3. dicit: *potest aliquid creatum reperiri, quô nihil purius esse potest, in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit.*

Idem S. Thomas in Epistolam ad Galat. v. 6. dicit: *virum ex millibus unum reperi, scilicet Christum, qui esset sinè omni peccato; mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ à peccato omnino immunis esset ad minus originali vel veniali, excipitur purissima, & omni laude dignissima Virgo MARIA.* Qui textus sic propositus, licèt non inveniatur in editione Antverpiensi Anni 1592. invenitur tamen in editione Parisiensi Anni 1532. & in editione Veneta Anni 1555.

S. Bonaventura in 3. Sentent. Dist. 3. part. 1. Quæst. 1. *Congruebat, ut Virgo ità vinceret diabolum, ut neque ei succumberet ad modicum: congruum etiam fuit, ut sic esset immaculata, sicut intemerata carne.* Et iterum dist. 12. quæst. 2. in ⊙ pro hac sententia, præter Authoritates S. Augustini & S. Anselmi, affert duas rationes. Et in Serm. 2. de Assumptione sic habet: *Dico primò, quòd Domina nostra fuit plena gratiâ, in sua sanctificatione, gratiâ scilicet præservativâ contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxisset in conceptione naturæ, nisi speciali gratia fuisset præservata, præventáque.* S. Anselmus lib. de Concept. Virginis, & de peccato originali, sic habet: *ubi præveniens est benedictio, locum habere non potest originalis contagio; nunquam igitur in Virgine fuit labes originalis, alioquin sincerior erit formatio Adæ, qui de terra terrenus est, quàm secundi, qui de cælo cælestis est.* Et Cap. 18. *Decebat Virginem ea nitere puritate, qua major sub DEO nequit intelligi, hoc est puritate per recessum à malo, & per exclusionem omnis peccati etiam originalis.* Et de excellentia Virginis agens dicit: *Angelos aliis peccantibus à peccato servavit, & Matrem suam ab aliorum peccato exsortem servare non potuit?*

S. Bernardus Serm. 4. Super salve Beatissimam sic alloquitur: *Libanus mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus signat innocentiam Tuam. Innocens fuisti ab originalibus, & actualibus peccatis. Nemo ita præter Te.* Et iterum: *Licèt MARIA de Patrum natura vitiata duxerit originem, prælecta tamen per Spiritum Sanctum, & præservata.* Qui plura Patrum testimonia voluerit, videre illa poterit apud Zoller, aliósque.

41. S. Angelicum Doctorem fuisse in contraria sententia dicent fortè aliqui, plurêsque ipsius afferent textus, ex quibus hæc mens illius intelligi potest. Nam imprimis 3. parte quæst. 27. Art. 2. in ⊙ sic habet: *Dicendum, quòd sanctificatio B. Virginis non potuit intelligi ante ejus animationem duplici ratione. Primò quidem, quia sanctificatio, de qua loquimur, non est nisi emundatio à peccato, seu culpa originali, culpa verò non potest emundari nisi per gratiam, cujus subjectum est sola creatura rationalis, & ideò ante infusionem animæ rationalis, Beata Virgo sanctificata non fuit. Secundò. Quia cùm sola crea-*

 *tura*

*tura rationalis sit susceptiva culpæ, ante infusionem animæ rationalis proles concepta non est obnoxia culpæ. Et sic quôcunque modô ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam orginalis culpæ, & ità non indiguisset redemptione, & salute per Christum.*

Secundus textus ejusdem S. Doctoris afferri potest, citata quæst. & artic. ad 4. ubi dicit: *duplex est sanctificatio, una quidem totius naturæ, in quantum scilicet tota natura humana ab omni corruptione culpæ & pœnæ liberatur, & hæc erit in resurrectione. Altera verò sanctificatio est Personalis, quæ non transit in prolem carnaliter genitam, quia talis sanctificatio non respicit carnem, sed mentem. Et ideò etsi Parentes Beatæ Virginis fuerint mundati à peccato originali, nihilominùs Beata Virgo peccatum originale contraxit; cùm fuerit concepta secundùm carnis concupiscentiã, ex commixtione Maris & Fœminæ; dicit enim Augustinus lib. de nuptiis & concupiscentia cap. 12. Omnem, quæ ex concubitu nascitur, carnem esse peccati.*

Tertius textus habetur in tertium distin. 3 quæst. 1. art. 2. *Dicendum, proprium fuisse Christo, nec actuali nec originali macula infectum esse. Sed Virgo Mater ejus fuit quidem originali infecta, à qua tamen emundata fuit, antequam ex utero nasceretur, quando autem determinatè mundata fuit, incertum est.*

Quartus textus 3. parte, quæst. 31. art. 1. ad 3. *Dicendum; quòd sicut suprà dictum est, corpus Christi fuit in Adam secundùm corpulentam substantiam, quia scilicet ipsa materia Corporis Christi derivata est ab Adam, non autem fuit ibi secundùm seminalem rationem, quia non est conceptum ex virili semine, & ideò non contraxit originale peccatum, sicut cæteri, qui ad Adam per viam virilis seminis derivantur.*

Quintus textus, in quodlibetis quodlibeto 6. art. 7. S. Doctor sic ait: *Est ergo considerandum, quòd unusquisque peccatum originale contraxit ex hoc, quòd fuit in Adam secundùm seminalem rationem. Et ideò Beata Virgo, quia nata fuit per commixtionem sexuum ùt cæteri, concepta fuit in peccato originali, & in universalitate illorum, de quibus dicitur: in quo omnes peccaverunt, à qua universalitate solus excipitur Christus, qui in Adam non fuit secundùm seminalem rationem.*

42. Non latuerunt hæc Doctissimos Theologos. Patrem Nicolaum Cichovium Polonum nostræ Societatis, & Cajetanum Felicem Verani Clericum Regularem è Sacra Theatinorum familia, qui nihilominùs S. Angelicum Doctorem vindicant ab opposita sententia, & docent, quòd S. Doctor nullibi docuerit Virginem DEIparam in sua conceptione formali, hoc est: in prima animatione sui corporis, seu primo instanti creationis animæ & infusionis in corpus, contraxisse maculam peccati originalis, quæ pervenerit ad animam, eámque infecerit. Moventur verò dicti Theologi his rationibûs.

Primò, quia S. Thomas in 1. Sentent. Dist. 44. Art. 3. ad 3. suprà adductus, docet talem fuisse Beatæ Virginis puritatem, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit. Ergo si alicubi S. Doctor docet Beatam Virginem in peccato originali conceptam esse, censendus est loqui non de macula formali peccati originalis inficiente animam, nè sibi contradicat, sed de peccato formali adæquatè & consumativè sumpto; de peccato derivato in corpus, non de peccato pertingente in animam, seu debito contrahendi maculam, non de ipsa formali macula, prout actualiter contracta ab anima Beatæ Virginis.

Secundò, quia gloriosius est & S. Doctori Angelico, & sanctissimæ Virgini Matri, cujus honoris ille fuit Zelator singularis, S. Doctorem id ipsum sensisse de puritate conceptæ Virginis, quod de illa & Concilium Tridentinum, & tot summi Pontifices à Fidelibus sentiri volunt, ut ad ejus cultum & ad celebrandum Conceptionis festum excitentur.

Tertiò, quia id conformius est principiis S. Doctoris, quibûs ille utitur; & ex quibus sequitur, quòd Beata Virgo fuerit immunis à macula peccati originalis; principia hæc proponentur inferiùs, & ex illis deducetur immaculata Virginis Conceptio.

Quartò, quia rationes, quibûs probat S. Thomas, Beatam Virginem conceptam esse cum macula originalis peccati

cati, tales sunt, ut illis impugnet eos, qui asserebant illam fuisse sanctificatam in suis parentibus, & hos in ipsam transfudisse justitiam originalem. Eos itêm, qui censebant illam fuisse sanctificatam in concubitu matrimoniali Parentum, seu in conceptione activa, ac etiam eos, qui dicebant Beatam Virginem fuisse sanctificatam in semine, & in corpore à Parentibus accepto ante animationem ejusdem, ùt patet ex adductis S. Doctoris textibus. Non impugnat verò eos, qui Beatam Virginem volunt in ipsa animatione fuisse sanctificatam secundùm animam, per infusionem gratiæ sanctificantis eidem animæ in primo ejus creationis instanti. Cùm expresse asserat 3. parte, quæst. 27. Art. 2. ad secundum. *Beatam Virginem in animatione fuisse sanctificatam, & immunem à peccato.* Dicit enim: *non videat ortum surgentis auroræ, id est, Beatæ Virginis, quæ in suo ortu à peccato originali fuit immunis.* Cùm itêm S. Thomas nullibi impugnet eos, qui Beatam Virginem in ipsa animatione, quoad animam sanctificatam, & à macula formali, nè hæc Beatam illam inficeret animam, & DEO odibilem redderet, præservatam esse asserebant, nec eorum refellat argumenta, præcipuè verò non respondeat ad rationes S. Bonaventuræ, qui sibi convixit, & quas S. Seraphicus Doctor proponit in 3. Distin. 12. Quæst. 2, in ☉, quas etiam innotuisse S. Doctori Angelico facilè præsumi potest.

Quintò, quia per adductos S. Thomæ textus nullatenus evincitur Beatissimam in ipso animationis suæ instanti contraxisse maculam formalem peccati originalis. Non per primum textum id evincitur, quia utraque ratio in hoc textu proposita, impugnat præcisè sanctificationem Beatæ Virginis ante animationem. Imò utraque hac ratione bene probari & evinci potest pia sententia, sic arguendo. Ante animationem B. Virgo sanctificari non potuit sanctificatione emundativa ipsius à peccato originali. Primò ex eo, quia ante animationem non fuit subjectum capax talis sanctificationis. Quia corpus B. Virginis ante animationem non fuit creatura rationalis, quæ sola est subjectum capax talis sanctificationis. Secundò, quia proles ante animationem non est obnoxia culpæ, cujus sola creatura rationalis est susceptiva. Cùm ergo per oppositum in animatione proles jam est creatura rationalis, jam tunc est capax sanctificationis propriè dictæ; est itêm susceptiva culpæ, adeoque neutra ratione adducta obstante Beata Virgo in animatione potuit sanctificari, & præservari à macula peccati originalis. Illatum à S. Thoma Sapientissimè propositum in defensionem piæ sententiæ ità obvertitur. Beata Virgo non indiguisset redemptione à culpa, à qua per sanctificationem ante animationem liberaretur, quia ante hanc non fuit, nec potuit esse obnoxia culpæ, nec fuit subjectum capax sanctificationis. Ergo è contrario, siquidem in animatione ipsa potuit esse obnoxia culpæ, indiguisset redemptione, & salute per Christum, non ea, per quam emundaretur à præexistente culpa, sed ea redemptione, ratione cujus per gratiam ex meritis Christi sibi collatam præservaretur, nè culpam incurreret.

Secundus textus S. Doctoris, licèt evincat Beatam Virginem contraxisse debitum peccati originalis, non evincit tamen, nec evincere intendit, quòd Beata Virgo contraxerit ipsam maculam formalem peccati. Quod sic ostenditur. Beata Virgo per hoc, quòd fuerit Concepta secundùm carnis concupiscentiam ex commistione maris & fœminæ, non contraxit formaliter maculam formalem peccati. Tum quia concupiscentia Parentum, & commistio maris & fœminæ, non transit in animam prolis carnaliter genitæ. Ergo non est macula formalis peccati originalis, hæc enim debet transire in animam prolis. Tum quia macula peccati originalis consistit in privatione gratiæ sanctificantis, inducta per peccatum Adæ illi ipsi physicè voluntarium, posteris verò ejus voluntarium moraliter. Sed in Beata Virgine non fuit unquam talis privatio, licèt fuerit concupiscentia carnis Parentum, & comixtio sexuum. Ergo in Beata Virgine non fuit macula peccati originalis. Tum quia macula originalis peccati est illa, quæ per sanctificationem personalem animæ prolis tollitur, aut tolli potest. Sed concupiscentia Pa-

rentum, eorúmque commiſtio non tollitur, nec tolli poteſt per ſanctificationem perſonalem animæ prolis, verùm per hanc tollitur ipſius animæ prolis propria immunditia conſiſtens in privatione gratiæ &c. Ergo. Tum quia eſſe conceptum ex concupiſcentia, & commiſtione maris & fæminæ, eſt contraxiſſe debitum peccati originalis, non eſt verò contraxiſſe ipſum peccatum, & formalem maculam peccati, quatenus qui ſic conceptus eſt, debet incurrere maculam peccati originalis, niſi per ſanctificationem præſervetur ab illa. Tum quia ſecundùm S. Thomam Beata Virgo non potuit contrahere peccatum originale ante animationem. Sed ſi Beata Virgo per hoc contraxiſſet peccatum originale, quòd eſſet concepta ſecundùm carnis concupiſcentiam, & ex commiſtione maris & fæminæ, tunc contraxiſſet peccatum originale ante animationem, ſiquidem ante animationem B. Virginis fuit hujusmodi concupiſcentia carnis, & commiſtio maris & fæminæ. Ergo.

Tertius S. Thomæ textus eo ſenſu intelligi debet: Chriſto proprium fuiſſe, quòd nec actuali nec originali macula etiam inchoativè ſumpta infectus fuerit, nec debitum ullum habuerit contrahendi peccatum originale completè, & conſumatè tale. Virgo verò ejus Mater originali peccato inchoativè accepto fuit infecta, quia contraxit debitum ſaltèm remotum, ut originali peccato inficeretur. Et quia fuit certum S. Doctori, Beatam Virginem ab hoc peccato non fuiſſe mundatam ante animationem, debuit mundari è mente ipſius vel in ipſa animatione, vel poſt animationem, antequam ex utero naſceretur. Quo verò modo & quo tempore fuit mundata, an in ipſa animatione per gratiæ præſervantis infuſionem, an certè poſt animationem per ſanctificationem ſublativam peccati originalis in anima præexiſtentis? temporibus S. Thomæ inter Theologos non fuit omnino certum; ſed potiùs inter ipſos controverſum. Quia pia ſententia necdum temporibùs illis habuit eam certitudinem, quam nunc habet ex declaratione Concilii Tridentini, & ex Conſtitutionibus Apoſtolicis Sixti IV. Pauli V. Gregorii XV. Alexandri VII.

Quartus textus Conformiter intelligi debet, quòad ſuam Cauſalem, hoc ſcilicet ſenſu, quòd Chriſtus non contraxerit peccatum originale etiam initiativè ſumptum, ſeu quòd non contraxerit debitum etiam remotum peccati, quia non eſt conceptus ex virili ſemine, & per propagationem naturalem, cui propagationi alligatum fuit tale debitum contrahendi originalis. Quia verò Beata Virgo concepta fuit ex ſemine virili, contraxit illa debitum remotum peccati originalis, non contraxit tamen ipſam maculam peccati originalis, nec per illam infecta fuit. Quia ex meritis Chriſti in pacto cum Adam non fuit comprehenſa & incluſa de contrahendo originali, ſtatimque in inſtanti animationis ſuæ ex iisdem meritis fuit ſanctificata, & per ſui ſanctificationem ſervata fuit immunis à peccato originali.

Quintus textus hoc ipſo ſenſu debet intelligi, quo priores de debito contrahendi peccatum originale, non de ipſa macula peccati, nimirum per hoc, unusquisque noſtrûm contraxit debitum originalis peccati, ſuppoſitô præceptô Divinô, & pactô cum Adam initô, quòd quisque noſtrûm fuit in Adam ſecundùm ſeminalem rationem, & quòd conceptus ſit per commiſtionem ſexuum; non contraxit verò per hoc maculam formalem peccati originalis. Neque enim dictam maculam contraxit formaliter, & in genere cauſæ formalis per continentiam in Adam, ſecundùm ſeminalem rationem, & commiſtionem ſexuum, neque illam hôc modô contraxit, quaſi efficienter & in genere cauſæ efficientis, ſeu ingenere cauſæ infallibiliter illativæ. Non contraxit maculam peccati originalis formaliter, & in genere cauſæ formalis per hoc, quòd quisque noſtrûm præfuerit in Adam ſecundùm ſeminalem rationem, & conceptus ſit per commixtionem ſexuum, quia dicta macula, per hoc formaliter, & in genere cauſæ formalis, contrahitur, in quo formaliter conſiſtit. Sed hæc non conſiſtit formaliter in præexiſtentia in Adam ſecundùm ſeminalem rationem, nec in commixtione ſexuum. Ergo macula originalis, non per hoc formaliter & in genere cauſæ formalis contrahitur ab

unoquoque nostrûm, quòd præfuerit in Adam secundùm seminalem rationem, & quòd conceptus sit per commixtionem sexuum; potiùs enim hæc macula consistit formaliter in privatione gratiæ sanctificantis, prout demeritoriè inducta per peccatum Adæ transfusum in posteros &c. Deinde macula peccati originalis, per hoc formaliter contrahitur, ratione cujus *peccatum Adæ unicuique nostrûm inest proprium*, ùt loquitur Tridentinum, idque inest *animæ cujusque, non corpori*, secundùm S. Thomã. Sed peccatum Adæ non inest animæ uniuscujusque nostrûm proprium secundùm rationem seminalem, secundùm quam præfuit in Adam, nec inest secundùm commixtionem sexuum, hæc enim non insunt animæ prolis, quæ concipitur, nec inesse formaliter possunt. Ergo. Eandem maculam peccati originalis nullus nostrûm contraxit in genere causæ extrinsecæ infallibiliter illativæ per hoc, quòd præfuerit in Adã secundùm seminalem rationem, & quòd conceptus sit per commixtionem sexuum, quia macula formalis peccati originalis non infertur infallibiliter ex præexistentia uniuscujusque nostrûm in Adam secundùm seminalem rationem, nec ex commixtione sexuum, per quam concipimur; si enim Adam non peccâsset per esum fructûs vetiti, fuissent ambo hæc, neque tamen ex ipsis inferretur infallibiliter macula formalis peccati. Infertur igitur macula formalis peccati originalis ex his quatuor. Primò, ex transgressione præcepti Divini, de non comedendo fructu vetito, ab Adam commissa. Secundò ex præexistentia in Adam posterorum ejus secundùm seminalem rationem. Tertiò ex pacto Divino cum Adam, de transfundendo hoc illius peccato in posteros per propagationem naturalem ab ipso descensuros. Quartò ex negatione exceptionis in pacto talis, vel talis Personæ; respectu quorum hæc omnia habentur, in his infertur infallibiliter macula peccati originalis. Et quia in nobis omnibus, præter Beatissimam, reperiuntur hæc omnia, ideo in nos omnes infertur infallibiliter macula peccati, omnes hanc maculam contrahimus, omnésque in ea concipimur. E contra, quia in Beatissima, & respectu ipsius, non dabantur hæc omnia requisita necessaria ad inferendam maculam formalem peccati originalis; non dabatur enim negatio exceptionis ejus à pacto, cùm potiùs excepta fuerit à pacto, & universalitate illorum, de quibus dicitur, in quo (id est in Adam) omnes peccaverunt. Ab hac enim universalitate excipit illam Tridentinum, excipiunt itèm summi Pontifices suis constitutionibus, faventes piæ sententiæ, ideo in Beatam Virginem per hoc, quòd præfuerit in Adam secundùm seminalem rationem, & quòd concepta sit in commixtione sexuum, non infertur infallibiliter macula formalis peccati originalis, licèt inferatur, quòd contraxerit debitum aliquod peccati originalis, ad hoc enim inferendum sufficiunt reliqua tria illativa.

43. Quemadmodum verò S. Thomas, ità & D. Bernardus Doctor mellifluus trahi solet in partes adversæ opinionis, quòd nimirum & ipse docuerit Beatam Virginem, cum labe peccati originalis conceptam esse. Allegari potissimùm solet sancti hujus Doctoris Epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses. Ex qua hæc specialiter adducuntur. Primò ubi dicit. *unde ergo Conceptionis sanctitas? an dicitur sanctificatione præventa? quatenus jam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit conceptus, quemadmodum sanctificata jam in utero dicitur, ut sanctus consequeretur & partus.* Secundò hic habetur textus: *si igitur ante conceptum sui sanctificari minimè potuit, quoniam non erat, sed nec in ipso conceptu propter peccatum, quod inerat, restat, ut post conceptum in utero jam existens sanctificationem accepisse credatur.* Tertius Textus est, in quo dicitur. *Quamobrem etsi quibus, vel paucis Filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen & concipi, ut uni sanè servaretur sancti prærogativa conceptûs, qui omnes sanctificaret, solus itaque de Spiritu Sancto conceptus, quia solus & ante conceptum sanctus.* Quartus textus est, ubi S. Doctor dicit: *Quo pacto aut sanctus asseritur conceptus, qui de Spiritu Sancto non est, nè dicam, de peccato est, aut festus habebitur, qui minimè sanctus est? Libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa videtur induci sanctitas.*

44. Nihilominus censeo S. Bernardum in ea fuisse sententia, quòd Beata Virgo taliter concepta sit, ut in primo instanti creationis suæ animæ, ejúsque in corpus infusionis, nullam peccati maculam, quæ hanc animam inficeret, & fædaret, habuerit. Ad id sentiendum moveor his rationibûs.

Prima. Quia S. Doctor in hac sua Epistola, *improbat in Canonicis Lugdunensibus, quòd illi propria Authoritate, inconsulta sede Apostolica, Festum Conceptionis B. Virginis instituerint, & induxerint.* Censendus ergo est ex iis rationibus, & ità intellectis improbâsse hunc ipsorum actum, quæ rationes & qualiter intellectæ sufficiebant ad eos redarguendos. Sed ad hunc finem non est necesse intelligi S. Doctorem, quòd Conceptio formalis Beatæ Virginis consistens in creatione animæ, ejúsque infusione in corpus, fuerit in peccato, seu cum macula inficiente hanc ipsam animam, sed sufficit, quòd intelligatur S. Doctor loqui de conceptione causali, & activa, seu de concubitu maris & fœminæ, ex quo Beata Virgo est concepta; quòd itèm intelligatur de peccato initiativè, & incompletè sumpto, seu debito contrahendi peccatum originale, quatenus censebat S. Doctor Conceptionem B. Virginis activam, & peccatum etiam initiativè sumptum, seu debitum contrahendi peccatum originale non mereri, ut festo ad id instituto celebrentur.

Secunda ratio est. Quia S. Doctor contrariam suam mentem & sententiam satis clarè expressit Serm. 4. super salve suprà citato; ut ergo salvetur doctrina in Epistola memorata expressa, ad speciem repugnans doctrinæ propositæ Ser. 4. super salve; debet ità intelligi, ut S. Doctor in Epist. censeatur loqui de Conceptione activa, conceptione quò ad corpus, de peccato Parentum, non prolis, de debito peccati originalis, non de ipsa macula formali. In Serm. verò 4. super salve, loquitur S. Doctor de conceptione formali, & de macula formali animæ Beatissimæ, quòd Beata Virgo in sua conceptione formali, immunis fuerit à macula peccati originalis. Ità enim interpretari S. Doctorem est gloriosius & Virgini Matri, & D. Bernardo, qui hanc ipsam Virginem & amavit tenerrimè, & coluit cultu quàm maximo, & de ipsa semper sensit, scripsit, & locutus est gloriosissimè.

Tertia ratio est. Quia in hac sua Epistola, ità sanctitatem Conceptionis Beatæ Virginis videtur negare, ut huic suæ opinioni non adhæreat firmiter, sed sanctæ Ecclesiæ Romanæ examini & judicio, quæcunque dixit & Scripsit, universa subjiciat, & profiteatur: omnia ejus judiciò paratum se esse emendare. His enim verbîs vir sanctus & humilis dictam concludit Epistolam: *quæ autem dixi absque præjudicio sanè dicta sint saniùs Sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ Authoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ ejusmodi sunt, universa reservo, ipsius, si quid aliter sapio, paratus judiciò emendare.* Cùm igitur S. Romana Ecclesia, tum in Concilio Tridentino, tùm per Constitutiones Apostolicas faveat piæ sententiæ, in eámque se propendere ostendat, censendus est S. Doctor suam opinionem de Virginis Conceptione judicio Ecclesiæ submittere, si aliter sensit, immutare & suum sensum eidem Ecclesiæ conformare.

Quarta ratio est. Quia nullus ex adductis S. Doctoris textibus evincit aut evincere intendit Beatam Virginem in primo suæ animationis instanti, habuisse maculam formalem peccati originalis, quæ animam ipsius inficeret, DEOque odibilem, & æternæ damnationis ream redderet. Non primus, hoc enim textu clarè S. Doctor loquitur de conceptione activa, prout hæc tenuit se penes Parentes, non prout ipsam prolem afficiebat, quod ipsum clarè colligitur ex rationibus S. Doctoris. Dum enim probat illam propositionem: Quòd Beata Virgo non sit præventa sanctificatione, ut sancta conciperetur, his utitur rationibûs. Primò. Quia Beata Virgo non valuit antè sancta esse, quàm esse, siquidem non erat, antequam conciperetur. Secundò quia inter amplexus materiales, non potuit se sanctitas ipsi Conceptioni imiscere, ut simul & sanctificata fuerit & concepta. Tertiò, quia si Virgo esset in sua Conceptione sancta, debuisset concipi de Spiritu S. quomodo enim aut sanctitas sinè Spiritu sanctificante, aut Spiritui sancto cum peccato societas fuit, aut certè peccatû quomodo non fuit,

ubi libido non defuit? Sed Beata Virgo non est concepta de Spiritu Sancto, aliàs dici deberet, non de viro conceptā fuisse, deberet dici conceptam & partam esse à Virgine Matre, quod hactenus est inauditum. Quæ rationes S. Doctoris non impugnant Virginis conceptionem, prout hæc nunc intelligitur, & defenditur. Non prima, etiamsi enim Beata Virgo in sua Conceptione causali & activa non potuit sanctificari, quia tunc non erat, bene tamen sanctificari potuit in conceptione formali, hoc est, in prima Corporis ejus animatione; siquidem jam tunc primò erat; quemadmodum dici ab oppositis debet, Beatam Virginem non contraxisse quidem in Conceptione causali & activa peccatum originale, quia tunc non erat, contraxisse tamen, aut potuisse contrahere in Conceptione passiva & formali, seu in prima creatione animæ, ejúsque infusione corpori, quia tunc jam erat. Non etiam secunda ratio id evincit, quæ iterum hoc probat ad summum, quòd inter amplexus maritales non immiscuerit se sanctitas conceptioni causali & activæ, tamen post amplexus maritales subsecutæ conceptioni formali immiscuit se sanctitas, eàque ipsius prolis, non sanctitas Parentum, ità ut Beata Virgo simul & sanctificata fuerit, & concepta formaliter. Adverto: etiam inter amplexus maritales sanctitatem potuisse se immiscere conceptioni causali & activæ, cùm tales amplexus inter legitimos conjuges sint liciti, honesti, possintque esse meritorii, ac defacto inter amplexus sanctissimorum conjugum Joachim & Annæ sanctitas se immiscuit conceptioni activæ & causali Virginis Matris, ùt docet S. Joannes Damascenus orat. 1. de Virginis MARIÆ nativitate, ubi sanctos conjuges sic alloquitur: *O Beatum par Joachim & Anna! Ac profectò ex ventris vestri fructu immaculati agnoscimini - ùt DEO gratum erat, ac dignum eâ, quæ à vobis orta est, vitæ vestræ rationes instituistis; castè enim & sanctè munere vestro functi Virginitatis thesaurum produxistis.* Tertia ratio S. Doctoris bene probat Beatam Virginem non fuisse sanctam essentialiter, & necessariò, nec ità in sanctitate conceptam esse, ut non potuerit concipi in peccato, ut non habuerit debitum contrahendi peccatum originale; non fuisse itèm in sua conceptione sanctam independenter à speciali gratia DEI, & independenter à meritis Christi sui Filii; fuit tamen eadem Virgo Beata in sua conceptione sancta sanctitate accidentali, & accidentaliter sibi conveniente, fuit sancta sanctitate ex speciali DEI gratia, & privilegio, ità ùt potuerit simpliciter & absolutè concipi in peccato, & absque tali sanctitate, ut habuerit debitum contrahendi peccatum originale; nec aliter à tali peccato sit præservata, nisi ex meritis Christi in primo instanti creationis animæ accepta gratia sanctificante. Hinc tertiæ rationis sequela explicari, vel distingui taliter debet. Si Beata Virgo esset in sua conceptione sancta sanctitate essentiali & necessariò sibi conveniente, independente à speciali gratia DEI, & meritis Christi, tunc Beata Virgo debuisset concipi de Spiritu S. Omitto Sequelam. Si Beata Virgo in sua conceptione esset sancta sanctitate accidentali, & accidentaliter sibi conveniente, dependente à speciali gratia DEI, & accepta ex meritis Christi, Beata Virgo debuisset concipi de Spiritu Sancto, Subdistinguo: debuisset concipi de Spiritu Sancto, hoc est, non ex viro, nec ex permixtione sexuum, sed Spiritu S. operante, ut Beata Virgo conciperetur independenter ab omni concubitu maris & fæminæ. Nego Sequelam. Debuisset concipi de Spiritu Sancto taliter, ut concepta ex viro & fæmina, in sua animatione, & ipsius animæ infusione acciperet gratiam sanctificantem per Spiritum Sanctum ipsam sanctificantem. Concedo Sequelam. Simul tamen nego suppositum, quòd concipi ex Spiritu Sancto in propria significatione, sit per Spiritum Sanctum accipere gratiam sanctificantem in sua conceptione, ex vi cujus ipsa conceptio sit sancta, & à labe peccati originalis immunis; potiùs enim concipi ex Spiritu Sancto, est accipere esse sinè concursu & concubitu viri, Spiritu Sancto superveniente, & fæcundante sanguinem Matris, ut ex hoc solo proles concipiatur, & sanctificationem accipiat. Hinc ulteriùs patet, Beatam Virginem, etiamsi non sit concepta & parta ex Virgine, sed per propagationem naturalem, prout illa fit communiter,

potuisse concipi sinè peccato originali, & potuisse in primo instanti creationis suæ animæ per gratiam habitualem sanctificari.

Secundus Sancti Bernardi textus procedit de conceptione activa & causali, consistente in concubitu & comixtione sexuum, ut sensus sit: si igitur Beata Virgo ante conceptum suum sanctificari non potuit, quia tunc non erat, sed nec in conceptu causali & activo propter peccatum, quod Parentibus inerat, non Beatæ Virgini, quæ etiam tunc non erat, restat, ut post conceptum activum & causalem, in utero jam existens, vel in prima corporis sui animatione, & animæ creatione, vel post animationem acciperet sanctificationem. Congruentius autem, Matre DEI dignius, & menti S. Doctoris conformius fuit, ut sanctificationem acciperet in ipsa animatione & conceptione formali Virginis Beatæ, ut sic Virgo innocens esset, & ab originalibus peccatis, & à peccatis actualibus, & nemo præter ipsam.

Tertius textus quo sensu intelligi debeat, facilè colligitur ex dictis, nimirum sic intelligi debet. Quamobrem etsi quibus, vel paucis Filiorum hominum datum sit cum sanctitate nasci, non tamen & concipi, ut sanctitas esset in conceptione activa, nec per conceptum hujusmodi incurreretur à prole debitum contrahendi originale. Qualiter sancti conceptûs prærogativa servaretur uni (id est Christo) qui solus omnes sanctificaret, solus itaque de Spiritu Sancto conceptus est, quia solus ante conceptum sanctus. Per quod additum insinuatur differentia inter conceptum ipsius MARIÆ, quòd solus Christus de Spiritu Sancto conceptus est sinè viro & permixtione sexuum, ità ut Spiritus Sanctus faceret non solùm, ut statim in sua conceptione sanctificationèm acciperet, sed etiam ut homo esset. Deinde quòd solus Christus ante conceptum suum esset sanctus, cùm esset DEUS & Unigenitus à Patre, adeoque per hoc esset sanctus sanctitate essentiali increata, excludente non solùm debitum peccati, sed etiam potentiam proximam peccandi. Jam verò Beata Virgo concepta sit conceptione formali sancta, quidquid sit de conceptione activa, quæ fuit cum permixtione sexuum. Concepta sit cum gratia sanctificante ex speciali gratia, & privilegio DEI, ac dependenter à meritis Christi. Concepta Spiritu Sancto ipsam sanctificante, non tamen ex Spiritu Sancto, eodem Spiritu specialiter concurrente, ut conciperetur, & simpliciter esset; siquidem concepta est viâ propagationis naturalis; concepta est ità, ut licèt non contraxerit maculam formalem peccati originalis, contraxerit tamen aliquod debitum ejusdem, & omnino ipsum peccatum, ejúsque maculam contraxisset, nisi fuisset præservata ex meritis Christi.

Quartus textus procedit pariter de Conceptione causali & activa, quòd hæc non sit speciali modo de Spiritu Sancto, tanquam omnis sanctificationis Authore, sed potuit infici aliquô Parentùm peccatô, non verò ipsius prolis. Proindéque hic conceptus non debeat festus haberi, nè videatur peccatum honorari. Non procedit verò dictus textus de conceptione formali Virginis Matris, eo sensu, quòd hujus sanctitas non fuerit de Spiritu Sancto, & quòd ipsius animam in primo creationis suæ instanti peccatum originale, ejúsque macula infecerit, & quòd talis conceptionis dies festus agi non debeat, post institutionem talis festi à sede Apostolica, & post festi hujus explicationem, tum ab aliis summis Pontificibus, tum maximè ab Alexandro VII. Quamvis dici possit institui, & celebrari festum Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis, non solùm formalis, sed etiam activæ & causalis, prout refertur ad sanctissimam hanc prolem, illius primariò & principaliter hujus secundariò, & minùs principaliter; siquidem etiam Conceptio activa Virginis, ùt docet adductus S. Joannes Damascenus, sancta fuit, nec actus conjugalis Sanctorum Deiparæ Parentum ulla peccaminosa libido fuit, nec sit periculum ullum, ut peccatum honoretur, si etiam Conceptio activa die festo honoretur.

Ex his deducitur. S. Bernardum docuisse Conceptionem Causalem & activam non fuisse sinè peccato; sinè pec-

cato, inquam, Parentum, qui se activè & efficienter ad talem Conceptionem habuerunt. Non docuisse tamen, quòd Conceptio formalis Beatæ Virginis, consistens in animatione prolis, seu in creatione animæ ejusdem Virginis, & infusione Corpori sufficienter deorganizato, fuerit in peccato, talitérque sit creata anima Beatæ Virginis, ut in primo instanti suæ creationis habuerit maculam peccati originalis. De tali enim macula nō tractat S. Doctor, nec ullibi docet dictâ maculâ fuisse infectam animā Beatæ Virginis. Nec bene infertur ex eo, quòd sanctus Doctor dicat Conceptionem activam fuisse maculatam, & peccatis fœdatam, quòd etiam Conceptio formalis Beatæ Virginis fuerit pariter fœdata, & maculata. Neque enim infertur Conceptionem formalem fuisse fœdatam, & maculatam peccatis, quæ se immiscuerunt Conceptioni activæ; hæc enim non sunt peccatum originale, quod transfundatur, & pertingat ad animam prolis, sed potiùs peccatum originale est peccatum primi Parentis nostri Adæ, quô transgressus est præceptum Divinum, quô illi DEUS præceperat, nè ederet de ligno scientiæ boni & mali, quod secundùm definitionem Concilii Tridentini origine unum, & propagatione transfusum omnibus inest, unicuique proprium. Neque denique ex eo, quòd Conceptio activa non fuerit immunis à peccatis Parentum, infertur etiam animam Beatæ Virginis in sua Conceptione formali, seu in sua creatione, & infusione corpori, contraxisse maculam peccati originalis, derivati & transfusi ab Adam. Cùm enim hæc macula in posteros Adæ transfundatur ratione pacti à DEO cum Adam initi, non est necesse dictam maculam transfundi in Personam per idem ipsum pactum exemptam, quomodo exemptam fuisse Beatam Mariam Virginem colligitur ex Concilio Tridentino, & constitutionibus sumorum Pontificum piæ sententiæ faventium.

45. Authoritati SS. Patrum accedit Authoritas Theologorum. Inter Theologos Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis propugnatores, non immeritò primò locô ponendus videtur Joannes Duns Scotus è Sacra S. Francisci Familia, quem in Philosophicis, & Theologicis Seraphicus ordo tanquam suum Magistrum sequitur. Is jussu summi Pontificis ad publicam & solennem Disputationem annô 1300. Parisios vocatus, per quam Pontifex investigari voluit veritatem Conceptionis immaculatæ, & expendi piæ sententiæ fundamenta, hàncque disputandi Provinciam Duns Scoto Doctori demandavit. Die constituto in præsentia Legati Apostolici, in corona Doctissimorum virorum, qui ad hanc Disputationem pariter vocati convenerunt, tam acriter & subtiliter decertavit pro immaculata Conceptione, & contra ipsam opposita sibi 200. argumenta tanta memoriæ felicitate resumpsit, tanta claritate, subtilitate, & soliditate dissolvit, cum approbatione summa & admiratione omnium, ut Doctoris Subtilis titulum meruerit, & tunc primùm acceperit, totique celeberrimæ Universitati Parisiensi persuaserit, ut immaculatam Virginis Conceptionem, ab eo tempore propugnandam susciperet, suósq; omnes Doctores solenni juramento obstringi vellet, ad immaculatam Virginis Conceptionem inposterum pro omnibus viribus defendendam.

Secundô locô ponendus videtur, A. R. P. Jacobus Lainez è Societate JESU, Pontificius in Concilio Tridentino Theologus, postea secundus Societatis JESU, post Sanctum Patrem Ignatium, Præpositus Generalis. Is coram Patribus Concilii Tridentini, quatriduana febri alioqui illo die acerrimè correptus, pro Immaculata Virginis Conceptione, tam nervosè, fervidè, efficaciter per tres horas peroravit, & piam sententiam tam validis argumentis propugnavit, ut Patres Concilii Tridentini, cùm suô Decretô definivissent Sess. 5. prævaricationem Adæ non illi soli nocuisse, sed toti ejus propagini, & non sibi soli, sed etiam nobis sanctitatem, & justitiam perdidisse, ac peccatum in omne genus humanum transfudisse, declaraverint statim non esse suæ intentionis, hôc Decretô, ubi de peccato originali agitur, comprehendere Beatam & Immaculatam Virginem DEI Genitricem MARIAM.

Tertius his addi potest Doctor Joannes de Contreras, Canonicus Toletanus, qui per octo dies contra Patrem

Fr. Joannem de Montenegro, dictum postea Joannem Theologum, tam forti ter pro Imaculata Conceptione Virginis DEIparæ, in Concilio Basileensi decertavit, ut Patres illius Concilii, perpensîs rationum momentîs pro utraque opposita sententia à concertantibus allatarum, quæ ipsis non solùm ex Disputationibus coram se habitis, sed etiam ex diversis Scriptionibus super hac re sibi porrectis sufficienter innotuerunt, non dubitaverint definire Beatam Virginem DEI Genitricem MARIAM nunquam actualiter originali subjacuisse peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali culpa. Hoc quidem Concilium, utpote in Schismate celebratum, non habet eam Authoritatem, ut ejus Definitiones à tota Ecclesia acceptari debeant. Theologus tamen coram illis Patribus tam gloriosè decertans pro Immaculata Virginis Conceptione meretur, ut inter Theologos Immaculatam Virginis Conceptionem strenuè propugnantes referri, & numerari possit.

Theologorum, qui editis in lucem librîs immaculatam Virginis Conceptionem propugnârunt, longum esset texere catalogum. P. Joan. Morawski refert, quòd P. Marcus Antonius Capucius in sua Concione diversos Theologos 39. recenseat, quibus per años 100. & ampliùs accesserũt totidẽ vel plures alii; plerique enim Religioni sibi ducunt, ut Filialem pietatem erga Matrem sanctissimam testentur, per elucidationem & defensionem piæ sententiæ. De nomine recenset plurimos P. Joannes Kwiatkiewicz in suo primo instanti Mariano.

46. Eandem piam sententiam firmã & inconcussam facit sum̃orum orbis Principum, seu Imperatorum Regum, ac Regnorum Authoritas. Existimãt illi Imperii, suorum subditorum, ac suam felicitatem stare & stabiliri per hoc, quòd in ditionibus ipsis subjectis promoveatur cultus Immaculatè conceptæ Virginis. Quem imprimis studiosissimè promovet Augustissima Austriaca Domus. Hæc in hæreditariis suis urbibus, oppidis, & pagis, erigi curat excelsos colossos, & statuas im̃aculatè conceptæ Virginis. Habentur tales colossi & statuæ Viennæ, Pragæ, Plsnæ, Cassoviæ, & alibi. Hæc lege statuit, ut ad Scholasticos gradus in Academiis sibi subjectis non promoveantur, nisi qui se priùs juramentô obstringunt ad Immaculatam Virginis Conceptionem defendendam. Sanctæ memoriæ Leopoldus I. Imperator, ab Innocentio XI. impetravit, ut officiolum Immaculatæ Conceptionis approbaret, expunctîs illis, quæ obscuriùs, ac additîs, quæ expressiùs immaculatam Virginis Conceptionem significant. Augustissimus Carolus VI. nunc felicissimè imperans Romanus Imperator, præter tot alia suæ devotionis erga immaculatè Conceptam Virginem documenta, eandem devotionem testatus est actô in exilium, post diuturnum carcerem, Ministrô hæreticô ob blasphemum contra Beatissimam Virginem scriptum Cassoviæ in Hungaria ejusdem Virginis statuæ affixum.

Simili devotione, & cultu prosequuntur Immaculatam Virginis Conceptionem Christianissimi Reges, & florentissimum Galliarum Regnum. Ante institutionem festi Conceptionis à sede Apostolica pro tota Ecclesia, festum hoc celebrari cæpit Lugduni, adhuc temporibus S. Bernardi. Parisiis eadem festivitas celebrata proximè post annum 1300. & post solennem Scoti de Conceptione Virginis Disputationem. Avenione in Galliis Decretum Concilii Basileensis de Immaculata Conceptione à Concilio provinciali tredecim Episcoporum, & duorum Cardinalium receptum, & observari mandatum Annô Domini 1457.

Catholicis Regibus, eorúmque ferventi pietati in Conceptionem Virginis Immaculatam, debet cætus Fidelium eidem conceptioni affectus, quòd præcipuæ Constitutiones sedis Apostolicæ in favorem piæ sententiæ emanaverint. Constitutionem Pauli V. quæ incipit: *Sanctissimus Dominus noster post longam & maturam discussionem &c.* Impetravit Philippus III. Hispaniarum, & Indiarum Rex Annô 1617. qua sub excommunicatione prohibetur, nè quisquam audeat in Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, aliisque suis actibus publicis asserere, quòd Beata Virgo MARIA sit cum peccato originalis maculæ Concepta. Quô plausû, qua gratulatione hanc constitutionem acceperit piissimus Rex, &

& tota Hispania dici satis non potest, Refert P. Kwiatkiewicz, quòd à 6. Octobris, quâ hic nuncius venit ad 8. Decembris, data sint solennis lætitiæ argumenta, & scenæ exhibitæ. Universitates omnes, Canonicorum cætus, Collegia, Sodalitia plurima se votô obligârunt, nunquam contra Immaculatam Virginis Conceptionem dicendi, sentiendive. Rex ipse Sodalitatem instituit Madriti in Regio S. Claræ monasterio, cui ipse unà cum liberis, Principes domestici omnes, omnes Hispaniæ Magnates, Vice-Reges, Duces, Marchiones, aliique è Nobilitate, centum itèm & octoginta Monasteria, & supra viginti hominum millia omnis ordinis, ætatis, conditionis, sexûs sua nomina dederunt, facta voti sponsione de tuenda semper Immaculata Conceptione. Ejusdem Regis æternâ digni memoriâ, tam ardens fuit desiderium, ut à Sede Apostolica defineretur Virginem DEIparam Immaculatè esse conceptam, ut dicere & protestari aliquando auditus sit: Si necessarium omnino putarem me Romæ adesse, & ad Sanctissimi Patris pedes provolvi, ut pro Virginis Mariæ originali justitia extremam sententiam ferre, & causam per Spiritûs S. Assistentiam definire, ac determinare vellet, quàm primùm fieri posset, aliis quibusque rebus posthabitis, cunctisque difficultatibus superatis, Romam contenderem, & Sanctissimo Patri me sisterem. Philippus IV. itidem Hispaniarum Rex missô in Urbem Legatô, impetravit à Gregorio XV. Annô 1622. Constitutionem, quæ similiter incipit: *Sanctissimus Dominus noster*; quâ Pontifex prohibet, nè etiam in privatis colloquiis audeat quis asserere Beatam Virginem MARIAM conceptam esse cum macula peccati originalis. Tandem annô 1661. Philippus pariter Rex Hispaniarum, & Indiarum, per Ludovicum Episcopum Placentinum suum Legatum impetravit ab Alexandro VII. Summo Pontifice Constitutionem illam Conceptioni Virginis gloriosissimam, & piæ sententiæ faventissimam, quæ incipit: *Solicitudo omnium Ecclesiarum*. Quid hac Constitutione præstitum sit, habetur Num. 35.

His accedunt Joannes Navarræ Rex, qui in Comitiis Catalauniæ habitis, annô 1451. statuit, & Decretum publicari fecit, nè quis unquam in Concionibus, vel Disputationibus Immaculatæ Conceptioni Virginis opinionem adversantem usurparet, aut defenderet.

Joannes itèm II. Rex Aragoniæ, qui pro suo piissimo zelo, quô flagrabat in promovendo cultu Immaculatæ Conceptionis Virginis MARIÆ annô 1479. Decretum edidit, & publicari voluit, nè quisquam in suo Regno, sive publicè, sive privatim dicere, aut docere audeat, Mariam in peccato originali conceptam esse, sub pœna exilii, & proscriptionis omnium bonorum, ùt refert Bzovius in Annalibus ad annum 1479.

Tandem Regnum Poloniæ, & Magnus Ducatus Lithvaniæ, qua pietate & devotione feratur in Immaculatam Virginis Conceptionem, quo cultu celebret ejusdem Conceptionis Festum, facilè quisque intelliget, si attenderit ad Sodalitates Immaculatæ Conceptionis, in plerisque & præcipuis suis Urbibus institutas ad sumptus, apparatus, luminum frequentiam, quibus hæc festivitas peragitur à suis Sodalibus. Eminet singulariter hac pietate & devotione Sodalitas immaculatæ conceptæ Virginis, Nobilissimorum Consulum, Mercatorum, ac Civium Cracoviensium ad ædes SS. Petri & Pauli Collegii Societatis JESU erecta & instituta. Processio à Nobilissimis his Sodalibus in festo Conceptionis bis repetita, cum facibus 100. circiter ex virgine cera accensis, cum imagine Virginis DEIparæ pretiosissimis gemmis adornata, inter frequentes tormentorum explosiones, non solùm hanc Regni Metropolim illustrat, sed etiam ad similem pietatem erga Beatissimam Virginem, ejúsque Conceptionem universorum corda, qui huic devotioni intersunt, accendit. Tantámque in dictam SS Petri & Pauli Ecclesiam, in hoc Festo solenniùs adornatam. & copiosiore lumine illustratam, convocat populi multitudinem, ut dicta Ecclesia, licèt vastissima, eam ægrè capere valeat. Nobilitas etiam Regni, Regum suorum per libera suffragia electrix, pietatem in Virginem immaculatè conceptam, in prima statim sua ætate cum literis simul discit, eámque formulâ Sodalitatis, cui sua inscribit nomina, obligatam ità reliquo

Q vitæ

vitæ ſuæ curſu retinet, ut vitam & ſanguinem potiùs profundere parata ſit, quàm permittere, ut aliquid contra Immaculatè Conceptæ Virginis honorem agatur. Regni hujus florentiſſimi, & cultui Mariano devotiſſimi pietas,& pro honore DEIparæ zelus enituit ſingulariter Annô 1724. Tum in Comitiolis omnium ferè Palatinatuum per ordinem adComitia generalia Regni hôc annô celebrata Varſaviæ convocatis, in quibus per uniformia lauda, & inſtructiones, electis ad Comitia generalia legatis datas, iiſdem commiſſum fuerat, ut ad nihil prorſus tractandum accederent, niſi priùs cauſa tumultûs Thorunenſis, per quem fores Scholarum, & Collegii Societatis ab Acatholicis effractæ, Altaria Congregationum in partes minimas diſſecta, fornaces, feneſtræ excuſſæ, ipſum quoque Collegium direptum, & fœdè vaſtatum fuit, percuſſis & vulneratis, etiam ipſo Rectore, & quibuſdam aliis; cauſa itèm impietatis in ſacras Imagines Chriſti Crucifixi, & Sanctorum, ac in ſtatuam Immaculatè Conceptæ Virginis commiſſæ judicaretur. Tum etiam in ipſis generalibus comitiis Regni, in quibus ad requiſitionem Palatinatuum ex voluntate, & mandato Potentiſſimi Regis Noſtri Auguſti II. nunc feliciter Regnantis, cauſa hæc ab Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Joanne Szembek ſupremo Regni Cancellario judicata fuit, Decretum eſt latum, & à Sereniſſima Majeſtate approbatum, per illúdque Comitiis generalibus plenè ſatisfactum eſt, quô hæc ſancita fuerunt. Primò. Ut Joannes Godefridus Rezner, Præſes Civitatis propterea, quòd tumultûs prædicti per, carcerationem ſtudioſorum ex levi cauſa, nec dimiſſionem eorundem ad preces ſtudioſorum, occaſionem dederit, nec tumultum ſedaverit, cùm ſedare potuerit, imò propter non adhibitum conſilium Magiſtratûs,& per mandatumMilitibus, ac Decurionibus datum, tumultum auxit, &c. pœnâ capitis, prævia criminali convictione plecteretur, ejúſque bona confiſcarentur. Secundò. Ut Jacobus Cernik Vice-Præſes, quia & ipſe ad ſedandum tumultum ex officio ſe non applicavit, eúmque per data mandata ad ejaculandas bombardas ad ſtudioſos Catholicos in cæmeterio, & in ſcholis ſe continentes auxit, combuſtionem ſacrarum Imaginum ante ſuam domum conniventer paſſus eſt, & diſſimulavit, poſt convictionem criminalem per juramenta partis actoriæ, capite plecteretur. Tertiò. Ut actuales cæmeterii, Scholarum, & Congregationum, ac Collegii Thorunenſis Societatis JESU invaſores, violentiarum manuales patratores, & principales hujus tumultûs Authores, blaſphematores, Imaginum combuſtores, quos inquiſitiones eductæ arguunt eſſe reos (multi in Decreto nominantur) capite, & variis ſuppliciis, in foro Civitatis, in theatro, prævia convictione juratoria, plecterentur. Impoſitæ & aliis minùs reis minores pœnæ. Quartò, eôdem Decretô ad augendum cultum Divinum, & ad reparandum honorem læſum DEIparæ, per combuſtionem illius Statuæ, & Imaginum ſanctarum, ſanctámque Fidem propagandam, Eccleſia B. MARIÆ Virginis ab Acatholicis occupata, adjudicata eſt Religioſis Patribus Ordinis S. Franciſci de Obſervantia (Bernardini in Regno noſtro vocantur) tanquam proprietariis, & ultimis ante occupationem poſſeſſoribus, unà cum gymnaſio ex monaſterio facto, ſupellectili Eccleſiaſtica, & Bibliotheca juxta inventarium antiquitùs conſcriptum. Quintò, interdictum, nè gymnaſium Acatholicum intrà Urbem tam novam, quàm veterem haberetur deinceps. Sextò, conſtitutum eſt, ut in Magiſtratu, Scabinatu, ſexaginta Viratu, & Officio Secretariorum, medietas eſſet Catholicorum ab ipſa Civitate eligendorum, ut itèm medietas eſſet militum Catholicorum in civili militari ſervitio. Jam verò Officiales militiæ nonniſi Catholici ſemper haberentur,ſub pœnis & mulctis ſeverè mandatum eſt. Septimò præter plura alia, quæ recenſere longum eſſet, ſapientiſſimè & piiſſimè conſtituta ſtatutum eſt, ut in loco, in quo Statua Immaculatè Conceptæ Virginis, & Sanctorum Imagines flammis abſumptæ ſunt, vel aliô locô vicinô prope Collegium Societatis JESU, quod in eo tumultu direptum, & fœdè vaſtatum fuit, columna & ſtatua marmorea Beatæ Virginis erigeretur, ex pœnis pecuniariis, & mulctis

in

in hunc finem applicatis Hæc, & his similia Decretô Judicii Assessorialis, optimè constituta per Commissarios à Sacra Regia Majestate constitutos Thorunium descendentes, ad executionem deducta sunt. Suppliciô affectus Godefridus Rezner Præsidens Givitatis. Bona illius confiscata, & Civitati Sacræ Regiæ Majestatis adjudicata. Affecti itèm suppliciis in Theatro 11. actuales cæmeterii, Scholarum, Congregationum, & Collegii invasores, & principales tumultûs Authores, blasphemi statuæ, & imaginum combustores. Jacobus Cernik Vice-Præsidens ad multas preces varii statûs hominum, ac populi Catholici voces lacrymabiles in vivis relictus ad impetrandam clementiam Sacræ Regiæ Majestatis, judiciúmque, & decisionem ejus remissus. Ecclesia Beatissimæ Virginis MARIÆ, in pervigilio festi Conceptionis ejusdem, propter exhibendum specialiter cultum Divinum, & honorem ejusdem gloriosæ Virginis, redditis à Magistratu clavibus, ab Acatholicis recepta, Venerabilibus Patribus Bernardinis, tanquam legitimis Possessoribus, juxta Decreti Assessorialis præscriptum, cum Monasterio reddita, &c. in quam dicti Patres juridicè inducti, Festum Conceptæ Virginis in crastino solenniter magna sua, & Catholicorum pietate, & devotione celebrârunt. Præsidens, Consules, Scabini, Catholici electi, & constituti. Locus, in quo erigi debet columna, & statua marmorea immaculatè Conceptæ Virginis designatus, quæ columna licèt necdum sit erecta, est tamen sub manu Artificis proxima æstate, ùt spes est, erigenda.

Enituit singularissimè in hoc negotio pietas, zelúsque Celsissimi S. R. I. Principis Georgii Lubomirski, pro tunc Succamerarii Regni, deinde Palatini Cracoviensis, qui, sicut in generalibus Regni Comitiis, strenuè Marianam promovit causam, ità Regiæ Commissioni Præfectus, læsum Thorunii Virginis integerrimæ honorem justissimo vindicavit rigore. Assessorialis Judicii Decreta mandavit executioni, & intentatam Virgineæ Puritati labem, multo eluit sanguine. Efferatam blasphemiæ plebis insaniam docuit meliùs sapere, utpote ad orbis terrorem, multiplici fato optimè edoctam. Rebellis in Poloniarum Reginam, Civitatis audaciam, an temeritatem? in ipso oppressit capite, quod ferrô domitum, transmisit orco. Pugnavit Cœlesti pro Virgine invictus hic Poloni Georgius Regni, & quod innocuæ sanctitati doluimus intentatum, in propriam Hæresis perniciem ità lethale retorsit vulnus, ut plauserit Innocentia, & Virgineus triumphaverit honor. Vicit igitur Magnanimo Duce hoc Puritas Virginea, cui parùm fuerat Ordinatam castrorum aciem pristinæ reddidisse stationi, nisi debellato hoste triumphalem Virgini erecturus portam, sublimi arcu clarum Montem & extolleret, & illustraret. Sed proh! fatorum invidiam, quam triumphanti Innocentiæ portam aperuit, eadem, præmatura morte (sæculorum dignus ætate) vivis ereptus, viam æternitatis iniit, aut certè per salutis humanæ portam vitam ingressus immortalem.

Contra hanc Polonorum Pietatem tumultuatur vicina Hæresis, bellum Poloniæ minatur; Poloni nihilominus magnanimi his minis non moventur justitiæ causâ, & patrociniô Virginis DEIparæ confisi, si bellum ipsis inferretur, pro DEO, aris, honore Immaculatè Conceptæ Virginis, & focis fortiter pugnaturi.

47. Piæ Sententiæ de Immaculata Virginis Conceptione magnum pondus addit, ad eámque sequendam, & amplectendam efficaciter movet Doctissimarum in orbe Christiano Universitatum, & Academiarum consensus. Parisiensis Academia post solennem hujus sententiæ defensionem à subtili Doctore, & post editum ab Abbate Trithemio opusculum de Immaculata Conceptione circa Annum 1346. piam sententiam, tanquam propriam propugnandam suscepit, latô per Facultatem Theologicam Decretô, quô prohibetur, nè opposita Immaculatæ Virginis Conceptioni opinio in Scholis relegi possit, & ut nullus deinceps Doctoris gradum consequi valeat, qui ejusdem immaculatæ Conceptionis defensionem juramentô non appromitteret, ùt habet Paulus Venetus. Parisiensem Universitatem facilè sunt secutæ aliæ in Galliis Universitates, & Academiæ,

In Imperio Annô 1451. Universitas Coloniensis sancivit, ut nullus deinceps ad gradum Magisterii promoveretur, nisi præstitô prius juramentô se adversam Immaculatæ Conceptionis opinionem nec retenturum, nec ulla ratione approbaturum, ùt refert Surius in Commentario rerum in orbe gestarum.

Id ipsum Annô 1510. statuit Academia Moguntina, & sanctè observat. Simili juramentô à temporibus Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris obstringunt se Universitas Viennensis, & Pragensis. Accesserunt deinde Academiæ, Salisburgensis, Wratislaviensis, Oenipontana, Cassoviensis in Hungaria, & aliæ plures per Germaniam.

In Hispania Annô 1617. sub Philippo III. post Bullam Pauli V. impetratam, & in Hispanias perlatam, Universitates & Academiæ omnes votô se obligârunt, nunquam contra Immaculatam Virginis Conceptionem dicendi, sentiendive, ùt habetur Num. præcedenti.

In magno etiam Lithvaniæ Ducatu, Academia Vilnensis hôc ipsô votô se obstringit.

Quòdsi aliquæ Universitates, & Academiæ Catholicæ tali voto se non obstringunt, omnes tamen absque voti Religione Beatam, & gloriosam Virginem profitentur sinè macula originali esse conceptam, nec in ulla illarum docetur opinio piæ sententiæ contraria, sed ab omnibus sanctè observantur Constitutiones Apostolicæ Sixti IV. Pauli V. Gregorii XV. Alexandri VII.

48. Quod attinet sacros Religiosos Ordines, etiam ex his plerique piæ sententiæ tenerrimè affecti, eandem pro viribus propugnant, & promovent.

Ordo Seraphicus S. Francisci insistendo Doctrinæ subtilis sui Doctoris, & S. Bonaventuræ Immaculatam Virginis Conceptionem magno conatu & studiô promovet, ejúsque festivitatem singulari devotione celebrat. Cracoviæ, Religiosissimi Patres de observantia, in suo intrà Urbem templo ad Præsepe dicto, octavam Conceptionis celebrant solennissimè. Per singulos Octavæ dies non solùm Sacris, & Vesperis solenniter decantatis, sed etiam binis in diem habitis Concionibus de Virginis Immaculata Conceptione.

Religiosissimus Ordo Venerabilium PP Carmelitarum, post editum Abbatis Trithemii opusculum de Immaculata Conceptione, piæ sententiæ adhæsit cum Doctissimis è sua Familia Magistris, suæque Scholæ Antesignanis, Joanne Bacon, Joanne Bassolis, Michaele de Bononia, & Francisco Martini.

Religio Cælestinorum, per totius Ordinis Decretum, Octavam Festi Conceptionis in suis templis celebrandam instituit, postquàm Sixtus IV. Ordini Minorum eandem Octavam celebrantium Indulgentiam concessit.

Ordo Sacerrimus Venerabilium PP. Capucinorum, pietatem erga Immaculatam Conceptionem non solùm pectoribus suis altè impressit, sed etiam primo lapidi insculpi voluit, quem Urbanus VIII. Annô 1626 Romæ posuit pro Templo, quod sub Titulo Immaculatæ Conceptionis ejusdem Ordinis erigi debuit, & defacto erectum est.

Ordo pariter Equitum S. Jacobi similem pietatem testatus est.

Ordo præterea militaris Equitum sub invocatione Conceptionis Deiparæ erectus ab Urbano VIII. per Bullam, quæ incipit *Inscrutabilis*, ex suo instituto obligatur ad propugnandam Immaculatam Virginis Conceptionem.

Ordo Monialium de Conceptione institutus à Beatrice à Silva, in finem exhibendi cultûs Matri DEI Immaculatè conceptæ, & pietatis in ipsam exercendæ, approbatus ab Innocentio VIII. quem posteà confirmârunt Alexander VI. Julius, & Leo X. variis Privilegiis auxerunt, inchoatus Toleti in Hispania. Utuntur hæ Virgines candido & cæruleo amictu. Pallium est cærulei coloris, cui assutam deferunt imaginem Purissimæ Virginis, vivunt Toleti sub directione Patrum Franciscanorum. Regulam habent propriam Regulæ Cisterciensis Ordinis, ejúsque Consuetudinibus multùm conformem. Professionem in hac formula emittunt. *Ego N. ob amorem Domini nostri, & Immaculatæ Conceptionis Ejusdem Genitricis, voveo.* Breviarium non aliud habent præscriptum, nisi Officium Immaculatæ Conceptionis editum à Leonardo de Noguerolis, à Sixto IV. approbatum, exceptis diebus Dominicis, & Festis solennioribus,

bus, in quibus officium totiEcclesiæ commune persolvunt.

Nostra etiam Societas JESU, à S. Patre Ignatio primo ejus Institutore fundata & congregata, adjunctis à S. Patre Lutetiæ Parisiorum ex illa Academia variarum nationum Sociis 9. (unus ex illis fuit S. Franciscus Xaverius) qui omnes artium magisteriis & Theologiæ gradibus insignes erant, Pietatem in Immaculatam Virginis Conceptionem, quam juramentô omnes illi Socii ante susceptionem gradûs Doctoralis, juxta legem & morem illius Universitatis promiserunt, etiam in posteros propagavit. Estque à primis suis initiis ad hæc usque tempora Immaculatæ Conceptionis propugnatrix studiosissima & constantissima; & quia hæc ipsa Societas multas Universitates & Academias sub directione habet, in aliquas etiam est admissa & cooptata, in iisque gradus Doctorales Professores nostri suscipiunt, hi communiter juramentô se obstringunt ad defendendam Immaculatæ Virginis Conceptionem. Reliqui è Societate, qui non sunt membra ullius Universitatis & Academiæ, tum legibûs Domesticis, tum pietate cum literis in Scholis ejusdem Societatis hausta inducti & permoti, tam tenerè afficiuntur immaculatæ Virginis Conceptioni, ut eam & juventuti, quam in scholis Collegiorum instituunt, instillent, & inSodalitatibûs sub titulo Imaculatæ Conceptionis erectis, Concionibus & Lectionibûs promoveant, & libris editis eandem pro viribus propugnent usque adeò, ut Alphonsus Rodriquez, eximiæ sanctitatis Vir, se cælitus accepisse unam ex præcipuis causis institutæ in Ecclesia DEI Societatis JESU, hanc fuisse asseruerit, ut per ipsam immaculata Virginis Conceptio fortiter & constanter defenderetur, ùt habet Paulus de Barri in anno sancto ad diem 9. Decembris, Pater Nadasi, Tausch, & alii.

Alios Sacros Religiosos Ordines recensère longum esset, qui licèt nec juramenti aut voti Religione, nec proprii instituti præscriptô adstringantur ad propugnandam Immaculatæ Virginis Conceptionem, multi tamen talium ordinum Religiosi professi, & Authoritatibûs, & Rationibûs Theologicis convicti, ac privata devotione & pietate in Matrem sanctissimam excitati, tenerrimè afficiuntur Immaculatæ Conceptionis cultui & honori. Quare ex quovis ferè sacro Ordine, plures Doctores & Theologi numerantur, qui editis libris Immaculatam Virginis Conceptionem laudabiliter proposuerunt, & propugnârunt. Ex meritissimo in Ecclesia DEI sacro Prædicatorum ordine, 19. Doctores adducit & recenset P. Joannes Kwiatkiewicz in primo instanti Mariano. Christophorus Vega, prout refert P. Morawski, ex hoc sapientissimo & Sanctissimo Ordine propugnatores immaculatæ Conceptionis Viros gravissimos numerat 37. Inter quos 5. Generales Ordinis Magistros. Ex ordine Religiosissimo PP. Benedictinorum plures adduci possunt, ùt S. Anselmus, Paulus Mezger, Josephus Zoller, tótque alii. Ex Ordine non minùs doctrinâ quàm sanctitate præstante Venerabilium Patrum Augustinianorum, præter tot alios Doctissimos Scriptores, adduci solet Thomas Argentinas, qui eodem sæculô vixit, quo S. Thomas Aquinas, & Immaculatam Conceptionem Virginis doctissimè propugnavit.

Ex venerabili Ordine PP. Carthusianorum, propugnatores piæ sententiæ sunt Henricus de Hassia, & Fridericus Nausea. Hos adduxisse sufficiat ad ostendendum, quòd ex omnibus ferè sacris Ordinibus, vel ex plurimis habeantur Marianæ Immaculatæ Conceptionis Defensores.

49. Tandem pro immaculata Virginis Conceptione habetur ferè unanimis Christi Fidelium consensus. Quod ipsum colligitur tum ex authoritate summi Ecclesiæ Christi Pastoris, Alexandri VII. qui in laudabili illa sua Constitutione, quæ incipit: *Solicitudo omnium Ecclesiarum*, testatur, *quòd accedentibûs plerisque celebrioribûs Academiis ad piam sententiam, quæ docet animam Beatissimæ Virginis speciali DEI gratiâ & privilegiô, intuitu meritorum Christi, in prima sua creatione fuisse à macula originalis peccati servatam immunem, quòd, inquam, eandem sententiam jam ferè omnes Catholici amplectantur.* Tum quia à temporibus Gregorii XV. Fideles Christi nullam aliam doctrinam circa Conceptionem à suis Magistris, sive ex Cathedris Scholasticis, sive

ſive ex ſuggeſtu Concionatorio, ſive in privatis colloquiis ſibi propoſitam, ipſo Gregorio ſic ſtatuente, accipiunt, & hauriunt, quàm quòd Virgo DEIpara ſinè labe ſit concepta. Hæc ſententia ipſis tanquam pia proponitur. Hæc à ſummis Pontificibus laudata & commendata, coram fidelibus laudatur, & comendatur. Docentur iidem, quòd præceptô Eccleſiæ adſtringantur ad feſtum Conceptionis ſecundùm piam ſententiam intellectæ celebrandum. Ad talem cultum conceſſis indulgentiîs invitantur; qua ratione igitur fieri poteſt, ut Fideles ſic inſtructi non aſſentiantur immaculatæ Virginis Conceptioni, ut non ſequantur, necpropugnent piam ſententiam? Tum quia conſenſus Fidelium unanimis, quo piæ ſententiæ aſſentiuntur, colligitur ex devotione eorundem, qua feſtum Conceptionis celebrant, ex frequentatione Sacramentorum in eodem feſto, & per ipſius octavam, ex recitatione à plerisque Officii immaculatæ Conceptionis, ex erectione templorum ſub titulo immaculatæ Conceptionis, & inſcriptione nominum in album ſodalium. Ex appromiſſione per formulam Congregationis facta de propugnanda Virginis immaculata conceptione, & ex aliis pietatis in ſanctam Virginis Conceptionem officiis, ità ut inter Fideles & Catholicos, niſi ſint valde rudes, & inſtructionis incapaces, rarus aut nullus inveniatur, qui aliquo cultûs & devotionis genere non proſequatur Virginis Conceptionem. Ergo. Ex hoc verò Fidelium conſenſu, & aſſenſu piæ ſententiæ, veritas immaculatæ Conceptionis colligitur. Neque enim fieri poteſt, ut tota Eccleſia cum ſupremo ſuo Capite erret; ſiquidem Eccleſia eſt columna veritatis: erraret verò, ſiquidem Fideles ferè omnes ſentiunt, & confitentur Beatam Virginem MARIAM eſſe immaculatè conceptam. Quam piam ſententiam ùt piam laudant veri & legitimi S. Petri Succeſſores & Chriſti Vicarii. Eam doceri populos non ſolùm permittunt, ſed etiam hortantur, Conceptionem Virginis, ùt ſanctam inſtitutô ipſius feſtô celebrari præcipiunt, conceſſis indulgentiîs invitant &c. E contra, opinionem immunitati Conceptionis à labe originali adverſam, non ſolùm publicè doceri, ſed etiam in privata colloquia adduci, prohibent ſub pæna excommunicationis, aliîsque pænis.

Authoritatibûs prima pars Concluſionis hactenus probata, nunc

## Ratione Theologica

50. Probatur ſecundò eadē prima pars Concluſionis. Ex una parte, Virgo DEIpara potuit immaculatè concipi, ſeu taliter, ut anima ipſius in primo creationis & infuſionis ſuæ inſtanti nullâ maculâ originalis peccati inficeretur. Ex altera parte decuit & conveniens fuit, ut immaculatè conciperetur. Ergo concepta eſt immaculatè.

Antecedens quoàd primam partem, etſi non videatur controverſum, cùm certum ſit creaturam rationalem in primo creationis ſuæ inſtanti ſanctificari poſſe, defacto enim Angeli & primi noſtri Parentes in primo inſtanti ſuæ creationis ſanctificati fuerunt, propter tamen aliquas difficultates, propter quas etiam hæc prima pars in dubium à quibusdam revocatur, probatur ſequentibus rationibûs.

Primò Negativè nullitate implicantiæ. Nulla enim apparet implicantia in tali conceptione, quæ eſſet immaculata, & quæ haberetur per creationem animæ rationalis ejúsque infuſionem corpori deorganizato in primo ſtatim inſtanti habentis gratiam ſanctificantem, per eámque arcentis & excludentis peccatum originale. Quæ enim eſt implicantia in tali conceptione?

Secunda ratio. Imaculata conceptio Virginis, neque abſolutè & ſimpliciter ſecundùm ſe, & ratione ſui implicat, neque implicat ex ſuppoſitione præcepti Adamo impoſiti, ac pacti cum ipſo, ſeu ex ſuppoſitione præſentis diſpoſitionis & ordinationis Divinæ, qua DEUS conſtituit Caput morale ſuorum poſterorum, & quo voluntati Adami alligavit voluntates poſterorum, ex vi cujus alligationis poſteri Adæ cenſerentur velle, quod vellet ipſe Adam. Ergo non implicat immaculata Conceptio Virginis ſecundùm ſe, & ratione ſui. Quia non eſt de ratione conceptionis hominis, ut hæc ſit peccaminoſa, idque neque de ratione conceptionis activæ, neq; de ratione

tione conceptionis passivæ est esse peccaminosam. Si enim Adam non peccâsset, sed in originali justitia permansisset, siquidem in statu naturæ integræ fuisset propagatio hominum, homines in eo statu conciperentur, & nascerentur, quorum tamen conceptio, sive activa, sive passiva non fuisset peccaminosa. Non implicat etiam immaculata Conceptio Virginis ex Dispositione præcepti Adæ impositi, ac Decreti & dispositionis Divinæ præsentis. In tantum enim ratione hujus implicaret, in quantum præceptum Adæ impositum, Decretum itèm & dispositio præsens voluntatis Divinæ de contrahenda macula originali ab omnibus Adæ posteris talia essent, per quæ voluntati Adæ alligarentur omnes omnino voluntates posterorum sinè ulla exceptione. Sed non est, nec fuit tale præceptum, & pactum Divinum cum Adam, nec talis dispositio voluntatis Divinæ; DEUS enim sicut potuit Adamũ non constituere Caput morale posterorum, nec voluntati ejus alligare voluntates eorundem, ità ut peccante Adamo, non peccarent ejus posteri; ità voluntati Adæ potuit alligare voluntates posterorum cum aliqua exceptione, nimirum tali, ut cæteris Adæ posteris in hoc suo Parente peccantibûs, MARIA in Matrem DEI electa in Adam non peccaret; in tali enim alligatione & exceptione nulla apparet implicantia, nulla dedecentia, imò potentia, seu potestas ad alligationem cum aliqua exceptione spectat ad perfectionem libertatis Divinæ, aliásque perfectiones DEI exercendas, spectat ad gloriam Christi, & Matris DEI gloriosæ, &c. talitérque defacto fuisse alligatas voluntates posterorum voluntati Adæ cum exceptione Matris DEI, constat ex declaratione Concilii Tridentini, ex Constitutionibus Apostolicis summorum Pontificum, & ex sensu ferè communi Fidelium.

Tertia ratio est. In tantum ex suppositione præsentis Dispositionis Divinæ, Conceptio B. MARIÆ Virginis non possèt esse immaculata, in quantum tali Conceptione admissa, non posset explicari series & coordinatio Decretorum DEI circa Incarnationem VERBI, in remedium peccati. Sed potest, quia defacto hæc coordinatio habetur explicata Disp. 2. Num. 42. coord. 3. Itèm num. 52. ad finẽ, & N. 59. Nimirum coordinatio & series actuum intentionalium Divinorum, circa Incarnationem VERBI hæc constituitur, & defenditur. In primo signo intelligitur esse scientia simplicis intelligentiæ, qua DEUS videt & cognoscit, quidquid est possibile, & in particulari videt ùt possibilia, & ipsam Incarnationẽ, & ea, quæ circa Incarnationem possunt esse sive antecedenter, sive concomitanter, sive consequenter. In secundo signo intelligitur esse scientia Media, eáque duplex: una circa actus creaturarũ rationalium liberos conditionatè futuros, ùt circa peccatum Adæ conditionatè futurum, &c. altera scientia Media circa ipsos actus DEI liberos conditionatè futuros, qua DEUS videt, si hæ vel illæ circumstantiæ essent, hôc vel illô modô variarentur, quid decerneret. In tertio signo intelligitur Decretum, quo DEUS decrevit existentiam universi, existentiam Adæ, & posterorum ejus, quo peccatum Adæ permisit in illis circumstantiis, in quibus per scientiam Mediam prævideràt illud futurum. In quarto signo intelligitur Decretum Incarnationis in remedium peccati, Decretum de meritis Christi ab ipso ponendis, & applicandis Virgini Matri, ad ipsam à culpa originali præservandam, Decretum de præmiandis meritis, & de Virginis DEI Matris immaculata conceptione, tali futura in præmium meritorum Christi &c. secundùm hanc seriem, & coordinationem actuum Divinornm salvantur, & explicantur ea omnia, quæ circa hanc salvari & explicari debent. Ergo.

Quarta ratio. In tantum Conceptio Virginis DEIparæ non posset esse Immaculata, in quantum deberet fieri per propagationem naturalem, secuta ex commixtione sexuum maris & fæminæ. Sed Conceptio taliter secuta potest esse immaculata; in tantum enim non posset esse immaculata, in quantum propagatio naturalis & commistio sexuum esset connexa cum Conceptione prolis maculata. Sed in tantum non est. Si enim commistio sexuum esset connexa cum Conceptione prolis maculata, esset vel ex eo, quia commistio & concubitus Parentum esset in se pecca-

 cami-

caminosus, nec posset esse sinè peccato, essetque causativus peccati in prole; vel ex eo, quia semini, quod per concubitum suscipitur à Matre, inesset qualitas morbida, quæ ipsa esset connexa cum peccato originali prolis tanquam causa cum effectu. Sed ex neutro hoc capite commistio sexuum est connexa cum peccato originali in anima prolis. Non ex primo. Nam imprimis commistio sexuum non est necessariò peccaminosa, sed contingere potest, ut sit absque omni peccato Viri & fœminæ, qui commiscentur. Quodsi etiam est peccaminosa inter legitimos conjuges, est peccaminosa venialiter, nisi se admisceat aliqua species luxuriæ ipsis prohibita. Ergo hæc deberet esse causativa peccati venialis in prole. Ergo non peccati originalis, quod est mortale, facitque, ut concipiamur Filii iræ, & damnationis æternæ rei. Deinde etiamsi hæc commistio secundùm se esset peccaminosa, idque mortaliter, tamen etiam ut talis non est connexa cum peccato originali prolis connexione methaphysica intrinseca, & fundata in natura rei, sed solùm est connexa connexione extrinseca fundata in ordinatione & dispositione Divina, alligante voluntati Adæ voluntates posterorum ipsius. Porrò taliter connexa sexuum permistio cum peccato prolis est solùm connexa cum peccato originali illorum Adæ posterorum, quorum voluntates alligatæ fuerunt voluntati Adæ, non verò cum originali etiam illius prolis, cujus voluntas non fuit alligata voluntati Adæ, sed potiùs exempta & libera à tali alligatione. Non est etiam propagatio naturalis, & commistio sexuum connexa cum peccato originali prolis, ratione qualitatis morbidæ inexistentis semini, quia hæc qualitas morbida est merè conficta & fabulosa, & inutilis ad explicandū transfusionem peccati originalis in posteros Adæ. Est inutilis, siquidem etiamsi hæc non intelligatur inesse semini, bene intelligitur transfusio peccati originalis in posteros præcisè per hoc, quòd pactum DEI præcesserit cum Adam, ejus voluntati alligans voluntates posterorum, per propagationē naturalem descendentium, & quòd per hanc propagationem descendant ab Adam prævaricatore posteri, quorum voluntates fuerunt alligatæ voluntati ejusdem Adæ. Præterea, qualitas illa morbida est causa improportionata peccato originali, quia qualitas illa est materialis inexistens semini materiali. Peccatum verò originale inexistit animæ spirituali, est actus spiritualis, quia est actus voluntatis Adæ, & voluntatum illius voluntati alligatarum, permanens in macula deformante animam, id est, in privatione gratiæ habitualis, seu justitiæ originalis, demeritoriè inducta per peccatum originale. Ulteriùs datô, non concessô, quòd semini, ex quo concipitur fœtus, inexistat communiter qualitas morbida, tamen, ùt arguit Thomas Argentinas in 3tium Sentent. Distinct. 3. Semen illud, ex quo Virgo Deipara propagata est, potuit DEUS præservare à qualitate morbida, seu facere, nè semini illi inesset qualitas morbida. Major enim est connexio naturæ ad propriū suppositum, quàm humani seminis ad morbidam qualitatem. Sed DEUS potest humanam naturam separare à proprio supposito, ùt liquet in natura humana Christi. Ergo etiam morbidam qualitatem potest separare à semine. Tandem etiamsi semini, ex quo progenita est Virgo DEIpara, inexstitisset qualitas morbida, tamen dicta Virgo potuit adhuc sinè labe & peccato concipi. Positâ enim causâ efficiente physica vel morali, DEUS potest impedire, nè ponatur effectus talis causæ, ùt patet in igne, quo posito in fornace Babylonica, impedivit DEUS, nè talis ignis tribus pueris in fornacem missis noceret. Atqui qualitas morbida inexistens semini, si est causa peccati originalis in prole, est causa vel efficiens physica, vel causa moralis. Ergo posita qualitate morbida in semine potuit DEUS impedire, nè in anima Beatæ Virginis poneretur peccatum originale, ejusque macula, tanquam effectus dictæ qualitatis. Licèt verò qualitas morbida esset causa formalis peccati originalis in prole, (quod dicendum non videtur) tamen taliter ad summum est causa formalis, ut peccatum originale sit ipsius effectus secundarius, non primarius Cùm igitur effectus secundarius causæ formalis positâ causâ possit impediri, peccatum originale in anima Beatissimæ potuit

tuit impediri posita qualitate morbida in semine, ex quo propagata est.

Quinta ratio est. In tantum implicaret Conceptio Immaculata Beatæ MARIÆ Virginis, in quantum illâ admissâ propositiones Scripturæ universales deberent falsificari, quales sunt illæ ad Rom. 3. *Omnes in Adam peccaverunt, & egent gloriâ DEI justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo JESU.* Et 1. ad Timoth. 2. *Mediator DEI, & hominũ Christus JESUS, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et his similes. Atqui admissa im̃aculata Virginis Conceptione non debent falsificari ullæ Scripturæ, & in particulari, non debent falsificari Scripturæ adductæ. Neque enim sequitur debere illas falsificari quoad illam textûs partem, quâ asseritur, quòd omnes in Adam peccaverint. Neque sequitur, illam falsificari quoad secundam partem, quòd omnes egeant gloriâ DEI gratis justificati per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo JESU, & quòd Christus fuerit Mediator DEI & hominũ, & tradiderit semetipsum in redemptionẽ pro omnibus. Non sequitur primum, nimirum non sequitur falsificari illam Scripturæ partem, quâ dicitur: *omnes in Adam peccaverunt.* Tum quia in tantum hæc pars falsificaretur, in quantum hoc textu Apostolus assereret omnes omnino sinè ulla exceptione in Adam peccâsse, & nihilominùs B. Virgo MARIA non peccaverit in Adam. Atqui hoc non asserit Apostolus; Scripturæ enim hujusmodi non debent accipi in rigore Dialectico, & cum universalitate omnimoda, sed cum aliqua exceptione, & non inclusione Virginis DEIparæ, ùt declaravit Concilium Tridentinum. Ergo. Tum quia illæ propositiones universales Scripturæ: *Neque enim homo est, qui non peccet 2. Paralip. 6.* Et Jacob 3. *In multis offendimus omnes.* Intellectæ à Patribus de peccatis personalibus; hæ, inquam, propositiones non falsificantur per hoc, quòd Beata Virgo MARIA asseratur nullo unquam peccato actuali & Personali, etiam veniali DEUM offendisse; idque ex eo non falsificantur, quia illæ propositiones universales non ità sua significatione extenduntur, ut etiam B. Virginem MARIAM comprehendant. Sed debent intelligi cum illa exceptione, non est purus homo præter MARIAM Virginem, qui non peccet; in multis offendimus omnes, excepta purissima Virgine DEIpara. Ergo etiam illa propositio universalis: *omnes in Adam peccaverunt*, non falsificatur per hoc, quòd Beata Virgo in Adam non peccaverit, idque ex eo: quia hæc Sanctissima Virgo non comprehenditur terminô illô universali omnes; sed sumitur hic terminus cum subintellecta exceptione: omnes, præter Virginem MARIAM, in Adam peccaverunt. Tum quia propositio illa universalis potest ità intelligi: quòd sit enunciata cum exceptione B. Virginis DEI Matris, & ut defactò sic enunciata esse intelligatur, postulat Dignitas Matris DEI. Ergo sic intelligi debet. Et quia sic intellecta non falsificatur per immaculatam Virginis Conceptionem, propositio illa universalis, *omnes in Adam peccaverunt*, intellecta in eo sensu, in quo est pronunciata, in quo intelligi debet, non falsificatur simpliciter per dictam Virginis Conceptionem. Tum quia illa propositio universalis: *omnes in Adam peccaverunt*, debet intelligi de omnibus, quorum voluntates alligatæ fuerunt voluntati Adæ; proindéque eadem propositio non potest falsificari nisi per talem hominem, qui descenderet ab Adam, & cujus voluntas esset alligata volluntati Adæ, qui tamen in Adam non peccaret. Sed Beata Virgo MARIA, licèt descendat ab Adam, tamen voluntas ejus non fuit alligata voluntati Adæ. Ergo per hoc, quòd non peccaverit in Adam, & per ejus immaculatam conceptionem non est falsificata illa universalis, omnes in Adam peccaverunt, sumpta in eo sensu, in quo intelligi debet. Tum quia illius propositionis universalis est sensus disjunctivus, sic explicabilis: omnes in Adam peccaverunt vel peccato formali, & completè sumpto, vel peccato initiativè & incompletè sumpto, seu sumpto pro debito contrahendi originale. Aut sensus hujus universalis sic intelligi debet: omnes in Adam vel peccârunt formaliter, vel debebât peccâsse. Qui sensus ex ulteriori contextu Scripturæ colligitur, in quo additur & *egent gloriâ DEI justificati gratis per gratiam ipsius,*

*per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU*, nimirum tali omnes peccato peccaverunt in Adam, ut egeant gloriâ DEI, ut debeant gratis juſtificari per gratiam ipſius, & per redemptionem, quæ eſt in Chriſto. Ergo omnes peccaverunt alterutrô peccatô, vel peccato formali cŏpletè ſumpto, vel peccato initiativè, & incompletè ſumpto; ſeu hoc ſenſu peccaverunt, quòd contraxerint debitum peccandi, ſiquidem etiam illi, qui contraxerunt debitum ſaltèm remotum peccati originalis, egent gloriâ DEI, & debent juſtificari gratis per gratiam, & per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU. Sed ſic intellecta propoſitio univerſalis non falſificatur per immaculatam Virginis Conceptionem; licèt enim Beata Virgo non peccaverit in Adam peccato originali formali completè ſumpto, habet tamen debitum ſaltèm remotum peccandi, ſeu contrahendi peccatum originale. Ergo. Non ſequitur etiam ſecundum: quòd admiſſa immaculata conceptione Virginis DEIparæ falſificetur altera pars textûs ad Rom. 3. totus itèm textus 1. ad Timoth. 2. In tantum enim hic textus falſificaretur, in quantum Beata Virgo MARIA *non egeret gloriâ DEI, nec juſtificaretur gratis per gratiam ipſius, nec per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU*. In quantùm itèm Chriſtus JESUS non eſſet Mediator inter DEUM & Virginem ſuam Matrem, nec traderet in redemptionem ſemetipſum pro Matre ſua. Sed in tantum non falſificantur. Admiſſâ enim immaculata Virginis Conceptione, Beata Virgo eguit gloriâ DEI, quia eguit illâ ad ſuam talem Conceptionem. Juſtificata eſt gratis per gratiam DEI, nimirum juſtificata eſt per illam gratiam, quam in ſua Conceptione, per ſingulare DEI privilegium accepit. Eſt juſtificata per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU, non per redemptionem curativam & emundativam à præſuppoſito peccato, ſed eſt juſtificata per redemptionem præſervativam & impeditivam peccati originalis, nè ſcilicet Virgo DEIpara in ſua Conceptione contraheret peccatum originale. Inſuper Chriſtus JESUS fuit Mediator inter DEUM, & Virginem Matrem ſuã, non Mediator reconcilians DEUM offenſũ Matri ſuæ peccati originalis reæ, ſed Mediator interpoſitione ſuorum meritorum apud Patrem obtinens, ut ſua Mater immaculatè conciperetur. Idem tradidit ſemetipſum in redemptionem pro Matre ſua, quam morte in cruce redemit, nè incurreret peccatum, cujus incurrendi debitum habuit, licèt non tradiderit ſe in redemptionem pro Matre, quâ hanc DEO mortuam revocaret ad vitam, ſeu eſt Mediator per redemptionem præſervativam, non per redemptionem reconciliativam Matris ipſi DEO, aliquando eidem Matri offenſo.

Dices, altera pars textûs ad Rom. & textus ex Epiſt. 1. ad Timoth. debent intelligi univerſaliter, ità: ut Chriſtus ſit Redemptor omnium ſinè omni exceptione, adeoque & Matris ſuæ, ut ſit itèm Mediator inter DEUM & quoſcunque alios homines, etiam Matrem ſuam. Ergo pariter & illa univerſalis, *omnes in Adam peccaverunt*, debet intelligi univerſaliter ità, ut per terminum *omnes*, veniat etiam Mater DEI. Reſpondeo Negando Conſequentiam, & Dico: illæ propoſitiones univerſales Scripturæ debent ſumi univerſaliter, & ſinè exceptione, quæ ità ſumptæ ſumuntur conformiter ad mentem Conciliorum, Conſtitutionum Apoſtolicarum, conformiter ad doctrinam Patrum, Theologorum, & ad ſenſum communem Fidelium, & quas ſiuè exceptione ſumi non eſt contra dignitatem Virginis Matris, non minùs glorioſum Chriſto ejus Filio. Propoſitiones verò univerſales Scripturæ debent accipi cum aliqua exceptione, quæ cum exceptione intelliguntur à Conciliis, Cŏſtitutionibus Apoſtolicis, Patribus, Theologis &c. & quas accipi ſinè exceptione eſſet contra dignitatem Virginis Matris, & minùs glorioſum Chriſto ejus Filio. Seu propoſitiones univerſales pænales, & ſuppονentes culpam debent accipi cum exceptione Virginis Matris. Sinè hac exceptione debent accipi leges merè favorabiles, nec præſupponentes ullam Virginis culpam. Atqui Scripturas, in quibus aſſeritur, quòd omnes ſinè exceptione egeamus gloriâ DEI, quòd omnes juſtificemur gratis per gratiam ipſius, per redemptionem JESU Chriſti, quòd Dominus JESUS Chriſtus ſit Mediator DEI & omnium hominum, quòd ſemetipſum tradiderit in redemptionem pro omni-

omnibus; has, inquã, Scripturas accipi sinè ulla exceptione, & cum inclusione ipsius Matris DEI, est conforme Conciliis, Cõstitutionibus Apostolicis Pontificum, Doctrinæ Patrum, Theologorum præcipuorum, nec dictas Scripturas intelligi cũ tali extensione, est contra dignitatem Virginis, nec est minùs gloriosum Christo ejus Filio. E contrà Scripturas universales, per quas asseruntur omnes in Adam peccâsse, accipi sinè exceptione & exclusione ab hac universalitate Virginis Matris, non est conforme Conciliis, Constitutionibus Apostolicis, Doctrinæ Patrum & Theologorum &c. Sed potiùs est difforme his ipsis. Prætereà accipi illas sinè exceptione Virginis Matris, est contra dignitatem ejusdem, éstque minùs gloriosum Christo ejus Filio. Ergo.

Dices iterum, illam Illationem Apostoli Pauli 2. Corinth. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt.* Falsificari supposita Conceptione immaculata Virginis DEIparæ; pro hac enim Christus mortuus est, cùm tamen ipsa per peccatum originale mortua non sit. Falsificari itèm illam comparationem, quæ habetur 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità in Christo omnes vivificabuntur.* Siquidem in Adam omnes moriuntur cum exceptione Virginis Matris, in Christo verò omnes vivificantur sinè exceptione. Respondeo etiam has Scripturas debitè intellectas, & eo sensu, quo intelligi debent, non falsificari. Non falsificatur illatio prioris Scripturæ, si fiat debitè, & subintellecta Distinctione Consequentis. Ergo omnes mortui sunt, vel morte actuali peccati originalis, vel quia incurrerunt debitum talis mortis. Non est verò sic intelligenda Consequentia, Quòd omnes absque omni exceptione mortui sint morte actuali, & formali originalis peccati. Beata enim Virgo licèt non fuerit mortua actualiter per peccatum originale, habuit tamen debitum moriendi morte peccati originalis, nisi Christus etiam pro sua Matre mortuus esset, ut eam ab hac morte præservaret. Simili modo etiam comparatio alterius Scripturæ debet intelligi, nimirum sicut in Adam omnes moriuntur, vel debent mori, ità per Christum vivificantur, vel debent à morte præservari. Et quia Beata Virgo in Adam debuit mori, licèt mortua non sit, ideò per Christum vivificari debuit cum præservatione à morte peccati originalis; seu debet intelligi hoc sensu dicta comparatio, quòd vivificatio per Christum debeat esse proportionata necessitati moriendi in Adam, nimirum ut, qui actu moriuntur, vivificentur per Christum vitâ sublativâ ipsius mortis præcedentis; jam verò Beata Virgo, quæ habuit necessitatem quandam, seu debitum moriendi in Adam, sinè ipso actu mortis, seu sinè actuali morte, vivificaretur per Christum vitâ impeditivâ mortis, & præservativâ à peccato.

51. Antecedens primum Numeri 50. quò ad secundam partem probatur. Nimirum quòd decuerit, ac conveniens fuerit: ut Virgo DEIpara immaculatè conciperetur. Nimirum & DEUM Patrem decuit, ut Mater Filii sui sinè macula peccati originalis conciperetur. Et Filium DEI decuit, ut Matrem haberet nulla ullius peccati labe inquinatam. Et Spiritum S. decuit, ut in primo statim instanti vitæ & Conceptionis Matrem Filli DEI sanctificaret, & immunem à peccati fœditate servaret. Et deniq; ipsam Virginem DEIparam decuit, ut quæ DEUM paritura erat, caput Serpentis antiqui contereret, & ab originali peccato immunis esset. Ergo. Decuit imprimis DEUM Patrem, ut Mater Filii ejus sinè macula conciperetur. Tum quia decuit, ut Pater æternus Filio suo Matrem quàm maximè dignam eligeret, Pater enim diligit Filium. Sed Virgo sinè labe concepta est majoris excellentiæ, & magis digna, ut sit Mater Filii DEI, quàm illa, quæ in peccato conciperetur. Ergo decuit, ut Pater æternus eligeret Filio in Matrẽ, quæ esset sinè peccato concepta. Certè ùt Scriptura loquitur, Matrẽ Filio suo non quocunq; modô DEUS elegit, sed & præelegit eam, hoc est: non solùm elegit jam conceptam, sed ante Conceptionem destinavit ad tantam dignitatem, adeoque voluit, ut talis conciperetur, qualem concipi Matrem DEI congruum erat. Ergo. Tum quia decuit Patrem æternum, ut vellet Filium suum nasci ex Matre Virgine, eáque Virgine perpetua, quæ Vir-

go eſſet ante partum, in partu, & poſt partum. Ergo eundem decuit, ut eundem Filium vellet naſci ex immaculatè concepta Matre. Conſequentia probatur. DEUS plùs ſibi complacet iu puritate, & integritate animi cujusque hominum, quàm in puritate, & integritate corporis ejuſdem, cùm neceſſariò oderit peccatum, quo animi integritas, & puritas amittitur, non oderit verò neceſſariò id, quò amittitur integritas, & puritas corporis, quæ ſinè peccato amitti poteſt. Ergo. Tum quia Patrem æternum, rerum omnium Creatorem decuit, ut Angelos, qui ſunt adminiſtratorii Spiritus, crearet in gratia, eósque in primo creationis ſuæ inſtanti ſanctificaret, qui tamen deinde lapſi in peccatum, gratiam, & ſanctitatem amiſerunt. Ergo tantò magis decuit, ut idem DEUS Creator ſanctiſſimæ DEI Matris, quæ erat futura opus Divinum longè præſtantius & excellentius quibusvis Angelis, & quæ nullo unquam peccato perſonali gratiam ſibi dandam erat amiſſura, crearet in gratia, & ſanctificaret in primo inſtanti Conceptionis, & animationis ſuæ. Tum quia decuit, ut DEUS perfectiorem crearet Matrem Filii ſui, quæ erat futura principium vitæ, & veriùs, quàm Eva Mater omnium viventium, quàm creaverit primam noſtram Parentem Evam, quæ ſolùm ità eſt Mater omnium viventium ſecundùm carnem, ut ſit Mater eorundem omnium in anima DEO morientium; cùm ergo DEUS creaverit Evam ab omni peccato immunem, & in gratia ac juſtitia originali, decuit, & congruum fuit, ut Mater Filii DEI, & futura Mater omnium DEO per gratiam viventium produceretur ab omni labe immunis, adeoque ut immaculatè conciperetur. Tum quia cum Beata Virgo MARIA ſit Filia DEI Patris, ſpecialiori ratione, & modo ſupra quascunque alias Filias hominum, quæ etiam per adoptionem ſunt, vel eſſe poſſunt Filiæ DEI; decuit, ut Pater æternus illam tanquam Filiam, præ cæteris ſibi chariſſimam, ab omni macula immunem ſervaret, illámque charitate perpetua omnis omnino peccati excluſiva diligeret. Imò ex ratione talis Filiæ, debuit illam immaculatam creare; cùm ratio Filiæ Patris æterni ſpecialiter talis ſit, quòd ſit Filia Patris æterni, ità ut talis ſemper fuerit, talisque futura ſit tota æternitate. Quòd ſit Filia Patris æterni, non Filia prævaricationis Adæ, non Filia iræ, mortis, & gehennæ. Ergo Beata Virgo ex ratione Filiæ Patris æterni debuit eſſe immaculatè concepta.

52. Decuit deinde Filium DEI, ut naſceretur ex Matre ſinè peccato originali concepta. Tum quia Filium, in cujus poteſtate eſt habere Matrem, quam ſibi elegerit, decet: ut ſibi eligat Matrem nobiliſſimam, honeſtiſſimam, aliîsque talentîs præſtantiſſimîs exornatam. Certè quisque noſtrûm, ſi in poteſtate ejus fuiſſet Matrem ſibi eligere, elegiſſet talem, quæ nobilitate, honeſtate, prudentiâ, ſapientiâ, aliîsque naturæ, & gratiæ donîs præſtaret aliis. Sed in poteſtate Filii DEI fuit eligere ſibi Matrem, quam vellet, nimirum vel ſinè labe originali, vel cum tali labe conceptam; vel ſanctificatam, DEO gratam, & amabilem in primo ſtatim creationis inſtanti, vel in hoc inſtanti DEO exoſam, in ſervitute Dæmonis exiſtentem. Ergo Filium DEI decuit Matrem ſibi eligere nobiliſſimam, honeſtiſſimam, omnibûs dotibûs, gratiîs, privilegiîs exornatam. Atqui Mater in primo animationis & conceptionis ſuæ inſtanti immaculata, ab omni peccato immunis, eſt nobiliſſima, & honeſtiſſima comparativè, quia nobilior illis fæminis, quæ concipiuntur in peccato, ac in primo inſtanti conceptionis ſunt exoſæ DEO. Ergo. Tum quia decuit Filium DEI, ut talem Matrem haberet, quæ nullo dedecore, nullô probrô, nullâ ignominiâ & infamiâ notaretur. Dedecus enim Matris redundat in Filium, & delicta Parentum exprobrantur Filiis: unde Apoſtolus Paulus ad Hebr. 7. dicit. *Talis enim decebat, nobis ut eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus*, hoc eſt, nullam ſanguinis neceſſitate proximam conjunctionem habens cum Matre peccatrice. Atqui Mater cum macula originali concepta eſt Mater dedecore, probrô, ignominiâ, & infamiâ notata. Quæ verò eſt concepta ſinè tali peccato non eſt hujusmodi ignominiâ, dedecore, & infamiâ notata. Ergo decuit DEI Filium, ut Matrem haberet ſinè peccato

càto originali conceptam. Tum quia decet Filium, ut Matrem in vitæ periculo existentem subducat eidem periculo, si possit, vitámque ejus servet; id enim à Filio postulat & pietas in Matrem, & amor, quô illam prosequi tenetur. Sed DEI Filius potuit Matrem suam existentem in periculo vitæ animæ ipsius subducere eidem periculo. Debitum enim contrahendi peccatum etiam remotum, æquivalet periculo vitæ animæ, cui periculo potuit Filius DEI subducere Matrem suam applicando ei sua merita, ut servaretur immunis à morte, seu à peccato originali. Ergo decuit, ut hac ratione Matris suæ vitam servaret, adeoque ut hæc intuitu meritorum Christi conciperetur immunis à peccato originali. Tum quia decuit Filium DEI, ut redemptio ejus, quâ redemit genus humanum, multiplex, & non unius tantùm rationis esset. Quia decuit, ut ejus redemptio superabundans, & copiosa esset. Atqui si Virgo Beata sit immaculatè concepta, Redemptio Filii DEI est multiplex, & non unius rationis; si verò sit concepta in peccato originali, redemptio est unius nonnisi rationis. Si enim Virgo Mater sit immaculatè concepta; duobus modis Christus fecit redemptionem. Nimirum Matrem suam redemit, nè in captivitatem ac servitutem dæmonis veniret, redemit illam præservativè, liberando illam à morte, quam aliàs deberet incurrere, nisi redemptionem attulisset Filius DEI, & pretium salutis Matris suæ Patri æterno persolvisset. Reliquum verò genus humanum redemit revocando ad vitam eos, qui per peccatum DEO mortui erant; si verò Virgo DEIpara in peccato concepta fuisset, & ipsam, & alios unô Redemptionis modô redemisset, nimirum sua Redemptione, ut omnes ad vitam revocatentur, effecisset. Ergo. Tum quia decuit, ut Christus Filius DEI, quod illi aliquando objectum fuit de Lazaro Joan. 11. non potuit hic facere, qui oculos cæci nati aperuit, nè hic moreretur? re ipsa confutaret in Matre sua faciendo, nè ipsa moreretur per peccatum originale, & suam potentiam, & suorum meritorum efficaciam ostenderet, quod per talia merita & mortuos per peccatum originale revocaret ad vitam, & Matrem suam præservando à tali peccato, faceret, nè illa in anima moreretur. Ergo.

53. Decuit ulteriùs Spiritum Sanctum, ut in primo statim instanti Conceptionis, & Vitæ Sanctissimæ Virginis DEI Matris eam sanctificaret, & immunem à peccati fœditate servaret. Tum quia operante Spiritu Sancto in Virgine Matre dignum Filiô DEI habitaculum, in quo is factus homo per 9. menses commoraturus erat; præparatum est. Ergo decuit, ut is tale habitaculum Filiô DEI præparâsset; quod tanto hospite maximè dignum esset. Sed hujusmodi habitaculum non est Virgo in peccato originali concepta; est verò Virgo sinè tali peccato concepta. Ergo decuit, ut Spiritus Sanctus in Virgine imaculatè concepta habitaculum Filio DEI incarnandô præpararet. Declaratur. Decuit, ut Christus mortuus, de cruce depositus, non in alio monumento, nisi in novo, in quo necdum quisquam positus fuerat, poneretur, ut habent duo Sancti Euangelistæ, Lucas, & Joannes. Ergo decuit, ut Christus idem in carne humana, primò in mundum veniens, à Spiritu Sancto in habitaculum induceretur, in quo non habitavit quispiam; non decuit verò eundem Divinissimum Spiritum, ut ab ipso Filius DEI locaretur in cubili, in quô draco infernalis per peccatum originale habitabat. Confirmatur. Ut habetur Psal. 91. *Domum Tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Virgo DEI Mater est domus, in qua Dominus corporaliter habitavit. Ergo Virginem DEI Matrem decet sanctitudo, eaq; talis, quæ sit sanctitudo in longitudinē dierum, hoc est sanctitudo perpetua, ità ut nè unum instans desit, in quo hæc domus à tempore, quô condita est, non habuerit sanctitudinē, seu in quo non fuerit sanctificata. Tum quia decuit Spiritum Sanctum, qui supervenit in Mariam, ut ex Virgineo purissimo Ejus Sanguine formaret corpus assumendum à VERBO Divino, decuit, inquam, ut corpus ejus formaret ex sanguine non solùm Virginis perpetuæ, sed etiam Virginis Imaculatè conceptæ. Quia ex sanguine Matris quàm simillimæ Filio, cui magis est similis Virgo integerrima, & imaculatè cōcepta, quàm Mater, Virgo illa quidem, sed non immaculatè concepta. Quia talis Mater magis acce-

dit,& propiùs ad ſanctitatem Filii,qui ab omni peccato eſt immunis, & cui omne peccatum repugnat. Ergo. Tum quia cùm MARIA Virgo ſit Sponſa Spiritûs Sancti, & cùm Spiritus Sanctus eam tanquam Sponſam amabiliſſimam plenitudine gratiæ, pluribúſque privilegiis ſpecialibus illi ſingulariter conceſſis, decoraverit, decuit,ut idem Spiritus Sanctus, quò eam ſibi, & Sanctiſſimæ Trinitati faceret amabiliorem, ut privilegium etiam Conceptionis Immaculatæ eidem concederet, eámque in primo ſtatim ſuæ Conceptionis inſtanti ſanctificaret, nè quidquam eſſet, quod ſibi aliquando in ea diſplicuerit, & ut ratione Conceptionis Immaculatæ, tota pulchra eſſe. hæc Spiritûs Sancti Amica, *nec macula ulla in illa eſſet*,imò ùt Innocentius XI.addit, *non fuerit unquam*. Ut eam Spiritus Sanctus ad caſtiſſimum ſuum connubiũ vocaret de Libano, hoc eſt, à ſublimi, & candidiſſima, ſeu nitidiſſima puritate (Libanus enim interpretatur candidus) quæ à fæditate peccati etiam originalis eſſet immunis. Tum quia decuit, ut Spiritus Sanctus ſuperveniens in Mariam, majori illam fortitudine repleret, quàm repleverit Samſonem. Cùm ergo Spiritus Domini irruens in Samſon tali fortitudine eum repleverit, ut dilaceraverit leonem, *tanquam hædum diſcerpens eum*, ùt habetur Judicum 14. decuit, ut ſuperveniens Spiritus S. in Virginem in Conceptione ſua faceret fortiorem leone infernali, ut illum tanquam hædum diſcerperet,necilli per contractum originale peccatum in prædam cederet, adeoque decuit Spiritum Sanctum, ut per ipſius gratiam Beata Virgo MARIA immaculatè conciperetur.

54. Decuit tandem ipſam Matrem ſanctiſſimam, ut ſua Conceptio eſſet immaculata. Tum quia Maria Virgo ea ratione,quòd futura eſſet Mater DEI, poſtulat, ut habeat, & habuerit omnes illas gratias, & omnia privilegia, per quæ redderetur idonea, & digna Mater tantô Filiô. Sed Immaculata Virginis Conceptio eſt unum ex hujuſmodi Privilegiis,ſinè quo Maria Virgo non eſt Mater idonea, & digna DEO Filiô. Quæ enim meretur indignationem, & averſionem à ſe Filii DEI, non eſt idonea Mater, & digna tali Filio. Quæ verò eſt concepta in peccato originali, meretur indignationem & averſionem DEI Filii, quia meretur illam ratione peccati originalis. Ergo Maria Virgo ea ratione, quòd futura eſſet Mater DEI, poſtulat, ut fuerit immaculatè concepta. Tum quia Beata Virgo Maria, ſi peccatum aliquod actuale committeret, nón eſſet idonea Mater DEI, ùt docet S. Thomas, & facilè admittitur ab omnibus. Ergo pariter eadem Virgo, ſi contraheret peccatum originale, in eóque conciperetur, non eſſet idonea Mater DEI. Conſequentia probatur his ipſis rationibus, quibus S. Thomas probat Antecedens. Secundùm S.Thomam 3. parte quæſt. 27. artic. 4. in ☉. *Si Beata Virgo peccâſſet aliquando peccato actuali perſonali, non eſſet idonea Mater DEI*, ex his rationibus. Primò, quia ignominia Matris redundâſſet in Filium. Secundò, quia non deberet habere affinitatem cum Chriſto, nec deberet Chriſtus ab ea carnem accipere, quæ enim eſt conventio Chriſti ad Belial? Tertiò, quia DEI Filius, qui eſt DEI Sapientia, ſingulari modo habitavit non ſolùm in anima, ſed etiam in utero Virginis. Non deberet verò habitare,ſi Virgo aliquo actuali peccato peccâſſet, ſiquidem ùt dicitur Sapientiæ 1. *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Quartò, hanc rationem addit S. Doctor. Quia de Matre DEI non verificaretur illud Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Atqui hæ ipſæ rationes probant, quòd Maria Virgo, ſi conciperetur in originali peccato,non eſſet idonea Mater DEI. Cùm enim peccatum originale ſit quædam ignominia Virginis illud contrahentis, hæc redundaret in Filium, impediret etiam affinitatem Virginis cum Chriſto, & aſſumptionem carnis ex ipſa, cùm non poſſit eſſe Chriſti conventio ad Belial. Itèm DEI Filius, qui eſt Sapientia DEI, non deberet habitare in anima, & utero Virginis, quia in malevolam animam hæc non introibit, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Tandem, ſi Maria Virgo conciperetur in peccato originali, non verificaretur de ipſa illud Cant. 4. *Tota pulchra es Amica mea, & macula non eſt in Te.* Siquidem macula origi-

riginali inficeretur. Ergo, si Beata Virgo conciperetur in peccato originali, æquè non esset idonea Mater DEI, atque non esset idonea, si aliquo actuali, & personali peccato peccâsset, imò fortè esset magis non idonea. Tum quia decuit, ut voluntas Virginis DEIparæ non alligaretur voluntati Adæ, tanquam suô capiti, in ordine ad hoc, ut Adamo peccante, etiam ipsa in Adamo peccaret. Ergo Mariam Virginem DEIparam decuit, ut sinè peccato originali conciperetur. Consequentia patet. Cùm enim peccatū originale transfundatur in posteros Adæ ratione alligationis, & propter alligationem posterorum Adæ, ad voluntatem Parentis Adæ. Si decuit, ut voluntas Beatæ Virginis non alligaretur voluntati Adæ, decuit, ut in illam non transfunderetur peccatum Adæ, adeoque ut conciperetur sinè peccato originali. Antecedens probatur. Decuit, ut voluntas Dominæ mundi non subjiceretur servo, voluntas Reginæ, & supremæ Imperatricis, quæ sit summæ excellentiæ, & dignitatis quodammodo infinitæ, hoc est: supremi inter puras creaturas ordinis, summæ potestatis in quascunque creaturas, subsit voluntati sui subditi se longè inferioris, ejusque sit pedissequa; talis enim subjectio esset ordo inversus rectæ rationi non satis conformis. Atqui, si voluntas Virginis DEIparæ alligaretur voluntati Adæ, voluntas Dominæ mundi, Reginæ & supremæ Imperatricis, sua dignitate & excellentiâ magno excessu excedentis, & superantis omnes creaturas, habentis infinitatem extensivam, & in superiori ordine supra puras omnes creaturas existentis, subjiceretur & subderetur Adamo Virginis servo, & subdito, nec habenti eam excellentiam, ratione cujus illi Virgo Mater DEI subdi, & subjici deberet. Ipsa enim Virgo DEI Mater, titulô Maternitatis DEI, est tantæ dignitatis, excellentiæ, & potestatis; ipsa est Domina mundi, ipsa est Regina omnium Creaturarum, ipsa Imperatrix Cœli, & terræ. Tantæ est dignitatis & excellentiæ, ut S. Thomas censeat *eam habere infinitatem quandam ex bono Increato.* Infinitas hæc extensiva à plerisque dicitur. Hâc suâ excellentiâ superat omnes puras creaturas, & ratione illius habet potestatem supra omne, quidquid est illâ inferius. Hæc autem ipsa Virgo per alligationem voluntatis suæ voluntati Adæ, subjiceretur eidem Adæ; alligatio enim voluntatis unius ad voluntatem alterius, aut est subjectio formalis ejus, cujus voluntas alligatur illi, cui alligatur, aut est indicium, signum, & effectus talis subjectionis, ùt patet in alligatione voluntatis pupillorum voluntati tutoris, in alligatione itèm voluntatis subditorum voluntati superioris; quæ alligationes, aut sunt formalis subjectio illis, quibus alligatur, aut sunt notæ, & indicia subjectionis ac inferioritatis respectu illius, cui alligantur tales voluntates. Ergo. Tum quia Virgo DEIpara titulô Maternitatis DEI est Mediatrix inter Filium suum & genus humanum, est in recto & sano sensu Reparatrix generis humani, est Advocata nostra apud Filium &c. Sed decuit Mediatricem inter DEUM & homines, Reparatricem generis humani, Advocatam nostram concipi sinè peccato. Si enim Christus, qui est primarius & per suam essentiam Mediator DEI & hominum, qui morte & passione sua perditum genus humanum reparavit, quem Advocatum habemus apud Patrem, debuit esse immunis ab omni peccato, *sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus*; decuit etiam, ut ea, quæ esset per gratiam DEI, & meritorum Christi intuitu, Mediatrix inter DEUM & hominem, quæ eadem ratione esset Reparatrix generis humani, & Cooperatrix salutis nostræ, quæ esset Advocata nostra, decuit, inquam, ut per specialem gratiam DEI, & intuitu meritorum Hominis Filii sui, esset immunis à quovis peccato, ut esset *sancta, innocens, segregata à peccatoribus*, hoc est à reliquis posteris Adæ, qui per hoc, quòd in eos propagatione naturali transfundatur peccatum originale, sunt peccatores; *ut esset excelsior cœlis*, seu Angelicis cœlestibus Spiritibus, qui nullô unquam peccato sunt inquinati. Ergo.

55. Probata utraque parte Antecedentis, probatur Consequentia Enthymematis propositi Num. 50, Nimirum, quòd ex eo, quia Beata DEIpara Virgo potuit imaculatè concipi, & decuit eam sic concipi, rectè colligatur eam sic conceptam esse. Tum quia DEUS, quam-

vis non necessitetur etiam moraliter ad optimum, sed sit plenissimè liber ad eligendum & faciendum, quod sibi videbitur, & ad quod se liberè determinat, tamen hunc modum operandi ad extra communiter tenet, quòd accomodet se exigentiis rerum, idque non solùm in ordine naturali, sed etiam in ordine supernaturali, in quo ipsos effectus supernaturales operatur modo connaturaliore ipsis potentiis naturalibus, quæ ad effectus supernaturales elevantur, ipsásque elevat modo ipsis connaturaliore. Non solùm itèm accommodat se exigentiis physicis, per quas causâ physicè connectitur cum effectu, sed etiam accommodat se exigentiis moralibus, seu convenientiis, & congruentiis, ut aliquid fiat, adeoque decentiæ, quâ decet rem fieri. Ergo si Virgo DEIpara potuit immaculatè concipi, & decuit illam sic concipi, defactò concepta est immaculatè, quia convenientius & juxta exigentiam aliquam moralem fuit, ut sic conciperetur. Tum quia, cùm DEUS homines ex his, quæ possunt operari licitè, velit operari id, quod perfectius est, & quod magis decet, ac rationi rectæ conformius est, sitque ipse regula morum & honestatis, cui nos conformare debemus, præsumendum est, quòd & ipse ea operetur, quæ non solùm potest, sed etiam magis ipsum decent. Ergo cùm DEUM decuerit, ut Matrem Filii sui præservaret à peccato originali, & ut hæc conciperetur sinè macula, rectè præsumi, adeoque inferri potest, quòd eandem Matrem immunem à dicto peccato servaverit, & in primo animationis suæ instanti animam ipsius sanctificaverit, ut immaculatè conciperetur. Tum quia, si DEUS posset Virginem DEIparam in Conceptione servare immunem à peccato, idque ipsum deceret omnes SS. Trinitatis Personas, neque tamen vellet eam sic concipi, non esset id DEO gloriosum, DEUS hôc ipsò nollet honorem suum, & gloriam. Pater non clarificaret Filium suum, quem tamen dicit se clarificâsse: *clarificavi, & iterum clarificabo.* Filius æternus non applicando sua merita ad obtinendam Matri suæ imaculatam Conceptionem, non testaretur pietatem in Matrem, quam testari posset, & quæ ipsum deceret. Spiritus Sanctus Sponsam & Amicam suam pateretur non esse totam pulchram, & ab omni macula immunem. Atqui hæc sentire, non est sentire de DEO in bonitate, & conformiter ad doctrinam Scripturarum. Ergo. Tum quia quod fieri potuit, & decuit, ut fieret, si factum esse censeant Concilia, & summi Pontificis, asserant SS. Patres, Theologi, & universus Fidelium cætus, tenendum est omnino factum esse. Sed Beatissimam immaculatè concipi, non solùm fieri potuit, & decuit, sed insuper ità conceptam esse, censent Concilia, Summi Pontifices, asserunt SS. Patres, Theologi, & universus ferè fidelium cætus, ut aliàs probatum est. Ergo.

## Eadem veritas deducitur ex principiis, quæ pro indubitatis habent SS. Patres, & ex quibus alias veritates inferunt.

56. S. Augustinus lib. de natura, & gratia cap. 36. sic habet: *Excepta Beata Vrgine, de qua, cùm de peccatis agitur, nullam prorsus habere volo quæstionem. Indè enim scimus, plus ei gratiæ collatũ esse ad vincendum omne peccatum, quia eum concipere meruit, quem scimus nullũ habuisse peccatum,* & inferiùs dicit: *neminem esse liberum ab omni peccato, nisi qui careat labe originali.* Ex quibus sic arguitur. Si Beata Virgo solùm immunis esset à peccatis actualibus, & non etiam ab originali, quæstio de ipsa institueretur in his, in quibus quæstio agitur de peccatis? institueretur enim de ipsa quæstio: An peccatum originale contraxerit; sed hanc quæstionem non vult institui S. Augustinus. Ergo. Et iterum, si Beata Virgo concepta fuisset in peccato, non collatum illi fuisset plus gratiæ ad vincendum omne peccatum, quia non collata illi fuisset gratia sanctificans in primo instanti creationis animæ, qualis gratia est necessaria ad vincendum peccatum originale. Sed secundùm S. Augustinum Virgini DEIparæ collatum est plus gratiæ ad vincendum omne peccatum. Ergo. Arguitur tertiò. Nemo è menteS. Augustini est liber ab omni peccato, nisi qui caret etiam labe originali. Sed B. Virgo libera fuit ab omni peccato, quia ad vincendum omne peccatum plus gratiæ habuit præ aliis. Ergo debuit caruisse labe originali.

Idem

Idem S. Doctor lib. 3. de libero arbitrio, sic habet: *quidquid Tibi vera ratione meliùs occurrit, id scias DEUM fecisse bonorum omnium Conditorem*: Subsumitur. Sed Virginem DEIparam conceptam esse sinè peccato, vera ratione meliùs occurrit, quàm conceptam esse in peccato. Ergo scias id ipsum, hoc est, Beatam Virginem DEI Matrem conceptã esse sinè peccato, DEUM fecisse bonorum omnium Conditorem.

Et Serm. 43. de Nativitate Christi dicit: *Igitur in cælo qualis est Pater, talis est Filius, sic & in terra, qualis est Mater, talis secundùm carnem est Filius; in cælo cum Patre æternus, immensus, incorruptus, & sublimis, in terra cum Matre immaculatus, & mansuetus.* Subsumo. Sed si Virgo Mater non esset immaculatè concepta, Filius in terra cum Matre non esset immaculatus; licèt enim ipse immaculatus esset etiam in Conceptione, Virgo tamen Mater in Conceptione immaculata non fuisset. Ergo.

Et rursus in eodem Sermone sic habet: *MARIA Mater Christi electa est, & super omnes creaturas prælecta, omnibùs gratiis fœcundata, omni sanctitate in utero Matris repleta, ut de mundissima Matre mundissimus nasceretur Filius. Quia sicut in cælo habuit Patrem immortalem, ità & in terra haberet Matrem omni corruptione carentem.* Subsumitur. Atqui si Virgo DEIpara in peccato concepta fuisset, mundissimus Filius nasceretur non ex mundissima Matre, non esset hæc omni corruptione carens, de Christo verificaretur illud Cant. 8. *Sub arbore malo corrupta est Mater Tua, ibi violata est Genitrix Tua.* Ergo.

Et oratione de 5. Hæres. Cap. 5. quærit: *Unde sordes in domo, quam nullus habitator accessit, solus ad eam Dominus & fabricator ejus venit?* Sed si Virgo DEIpara in peccato concepta fuisset, sordes peccati originalis in domo illa DEI hominis invenirentur, non solus ad eam Dominus & Fabricator ejus venisset, sed priùs draco infernalis suum in ea cubile habuisset. Ergo.

## Ex Principiis S. Anselmi, eadem veritas deducitur.

57. S. Anselmus lib. de Conceptione Virginis, & peccato originali, c. 18. sic habet. *Sed quia decebat, ut illius hominis conceptio de Matre purissima fieret, decens erat, ut puritate niteret Virgo illa, quâ major sub DEO nequit intelligi.* Atqui si Virgo DEIpara non esset immaculatè concepta, dicta Virgo non ea puritate niteret, quâ major sub DEO intelligi nequit, cùm possit intelligi major sub DEO puritas illa, quæ esset etiam ab originali peccato, & non à solis peccatis actualibus libera. Ergo. Et iterum ibidẽ, *Si quid originalis peccati propagatione Matris DEI exstitit, illud propagantium, non propagatæ fuit.* Ergo per hoc, quòd Virgo DEIpara ex commistione sexuum propagata est, potuit quidem aliquod peccatum progenitorum Matris DEI esse, non fuit tamen ullum peccatum ipsius DEIparæ, propagatione ab ipsa contractum.

Idem S. Doctor Sermone de excellentia Virginis, sic arguit: *Angelos aliis peccantibùs à peccato servavit DEUS, & Matrem suam ab aliorum peccatis exsortem servare non potuit?*

Et iterum in eodem sermone sic habet. *In æternitate Consilii eam Dominatricem & Reginam Angelorum vidit, & nunc inferiorem Angelicâ gratiam illi datam, & in consortium conceptam esse credimus peccatorum? Existimet hoc, qui vult, ego donec ostendat mihi Dominus aliquid dignius excellentiâ Dominæ meæ posse dici, quæ dixi, dico, quæ scripsi, non muto.*

Plura similia ex S. Anselmo adducuntur à Theologis.

## Ex principiis S. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici,

## Conceptio immaculata Virginis DEIparæ deducitur.

58. Angelicus Doctor 3. parte quæst: 27. art. 1. *Sed contra est.* Sic habet: *Ecclesia celebrat Nativitatem Beatæ Virginis, non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto; Ergo Beata Virgo in ipsa nativitate sua fuit sancta, fuit ergo in utero sanctificata.* Ex quo textu sic arguitur. Ecclesia à temporibus S. Pii V. celebrat Conceptionem Beatæ Virginis; non autem celebratur festum iu Eccle-

ſia, niſi de aliquo ſancto. Ergo Beata Virgo in ſua Conceptione fuit ſancta. Ergo ſanctificata fuit in primo ſuæ Conceptionis inſtanti. Sed quæres, cùm duplex ſit conceptio B. MARIÆ Virginis, una per ſuſceptionem ſeminis in utero S. Annæ, ex quo propagata eſt, quæ conceptio activa dici ſolet; altera conceptio per creationem & infuſionem animæ corpuſculo Beatæ Virginis, quæ Conceptio paſſiva & formalis dicitur; cujus Conceptionis feſtum celebret Eccleſia? Deberet celebrari feſtum Conceptionis paſſivæ, ut vim habeat argumentum. Non videtur verò celebrari feſtum hujus Conceptionis. Quia ex inſtitutione Eccleſiæ, dictum feſtum celebratur 8. die Decembris, à quo die 9. menſes numerantur ad octavam Septembris, in quo die celebratur feſtum Nativitatis ejuſdem Sanctæ Virginis. Porro octava die Decembris licèt fuerit conceptio ſeminis in utero, ex quo propagata eſt Virgo, ſeu conceptio activa, non fuit tamen conceptio paſſiva & formalis, ſeu non fuit creatio animæ B. Virginis & animatio corpuſculi ejus. Hæc enim ſecundùm Philoſophũ, ſi ſit animatio maſculæ prolis, fit die 40. poſt commiſtionem ſexuum, & ſuſceptionem ſeminis; ſi ſit animatio prolis alterius ſexûs, fit die 80. à ſuſcepto ſemine. Reſpondeo. Ab Eccleſia celebrari feſtum Conceptionis B. Virginis, ſeu animationis ipſius, & ſanctificationis animæ in primo ſtatim inſtanti ſuæ creationis, & infuſionis corpori. Conſtat id ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, præcipuè ex Conſtitutione Alexandri VII. ubi Pontifex dicit, *vetus eſt Chriſti Fidelium erga ejus Beatiſſimam Matrem Virginem MARIAM pietas, ſentientium ejus animam in primo inſtanti creationis, atque infuſionis in corpus, fuiſſe ſpeciali DEI gratiâ & privilegiô, intuitu meritorum Chriſti JESU, ejus Filii, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præſervatam immunem, atque in hoc ſenſu ejus conceptionis feſtivitatem ſolenni ritu colentium & celebrantium.* Quare verò Eccleſia hujus Conceptionis feſtum 8. Decembris celebret? hæ rationes afferri poſſunt. *Prima.* Quia etiamſi conceptio paſſiva & formalis completè & adæquatè ſumpta, hoc die non fuerit, habita tamen eſt eodẽ die inchoativè, & incompletè, quatenus hoc ſtatim die cœpit formari corpuſculum Matris DEI, & deorganizari in ordine ad infuſionem animæ, quæ ſtatim in primo inſtanti ſuæ conceptionis ſanctificata fuit. Propter hanc relationem, & ordinem primæ conceptionis ad ſecundam Conceptionem, ſeu formalem Conceptionem, & in hac ſanctificationem animæ ipſius, celebratur anticipatè feſtum creationis animæ Beatæ Virginis, & ſanctificationis ejuſdem, in primo inſtanti infuſionis ejuſdem in corpus. *Secunda.* Quia cùm non conſtet, quo die determinatè anima Beatæ Virginis ſit creata & infuſa corpori ejuſdem, nec illa Philoſophi opinio circa animationem prolis ſit omnino certa; Eccleſia diem certum pro incerto Conceptionis Beatæ Virginis MARIÆ conſtituit, in quo vult non aliam dictæ Virginis Conceptionem celebrari, niſi illam, qua corpus ipſius animatum, & anima in prima ſui infuſione ſanctificata fuit. *Tertia* eſt. Quia ut cenſent aliqui: Deorganizatio corporis Beatæ Virginis ſufficiens ad creationem & infuſionem animæ accelerata fuit, & primo ſtatim die à concubitu Parentum Beatæ Virginis abſoluta, adeoque hoc ipſo die, nimirum 8. Decembris, & animatio corpuſculi B. Virginis fuit, & anima ſtatim in primo inſtanti ſuæ infuſionis ſanctificationem, & immunitatem à peccato originali accepit.

Secundò idem S. Doctor Quæſt. & art. citato in ⊙ ait: *rationabiliter credi, quòd illa, quæ genuit unigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus majora privilegia gratiæ acceperit.* Ex quo textu rectè infertur: Ergo rationabiliter creditur & aſſeritur, quòd etiam illud gratiæ privilegium acceperit, quòd ſit ſanctificata in utero animationis ſuæ primo inſtanti, adeoque quòd ſit concepta ſinè peccato.

Tertiò S. Thomas eadem adhuc Quæſt. & art. ad 2dum dicit: *DEUS illi legi, ſecundùm quam non regenerantur aliqui, niſi priùs nati, non alligavit potentiam ſuam, quin aliquibus ex ſpeciali privilegio gratiam ſuam conferre poſſit, antequam naſcantur ex utero.* Ex qua doctrina infertur: Ergo DEUS neque illi legi, qua ſtatuit

ſtatuit poſteros Adæ non ſanctificandos in Conceptionis ſuæ primo inſtanti, non alligavit Potentiam ſuam, quin Matri Filii ſui ex ſpeciali privilegio gratiam ſanctificationis conferret, dum primò naſceretur in utero, ſeu in primo animationis ſuæ inſtanti.

Quartò. S. Doctor citata Quæſt. Art. 2. Sed contra eſt. Sic habet. *Per ſanctificationem tabernaculi, de quo dicitur Pſ. 45. ſanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus, videtur ſignificari ſanctificatio Matris DEI, quæ tabernaculum DEI dicitur.* Sed de tabernaculo dicitur Exodi ultimò: *poſtquam cuncta perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonii, & gloria Domini implevit illud.* Infert ulteriùs S. idem Doctor. Ergo etiam Beata Virgo non fuit ſanctificata, niſi poſtquam cuncta ejus perfecta ſunt, ſcilicet & corpus, & anima. His ſubſumi poteſt. Sed in primo inſtanti creationis animæ, & infuſionis in corpus Beatæ Virginis, fuerunt cuncta Virginis perfecta, ſcilicet corpus & anima, Ergo in hoc inſtanti fuit ſanctificata. Si verò fuit ſanctificata, non fuit concepta in peccato originali.

Quintò idem S. Doctor citata Quæſt. art. 4. in ⊙ dicit: *quòd illos, quos DEUS ad aliquid eligit, ita præparat & diſponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei.* Secundùm illud 2. ad Corinth 3. *idoneos nos fecit Miniſtros novi teſtamenti.* Ex qua univerſali doctrina infert ulteriùs Beatam Virginem ſervatam fuiſſe immunem ab omni peccato actuali; ſi enim non fuiſſet ſervata immunis, non fuiſſet idonea Mater DEI, quam ipſam Sequelam 4. deducit rationibûs. Atqui ex eadem univerſali æqualiter infertur, quòd hæc ipſa ſanctiſſima Virgo ſervata ſit in ſua Conceptione immunis à peccato originali, quia non eſſet idonea Mater DEI, ùt S. Thomæ Rationibûs oſtenſum eſt num. 54. Ergo.

Sextò. Adhuc citatæ Quæſt. Art. 5. in ⊙, utitur tali principiô: *Quantò aliquid magis appropinquat principio, in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principii.* Hac univerſali poſita pro Majore, Minorem S. Doctor ponit. *Sed Beata Virgo propinquiſſima fuit principio gratiæ, nimirum Chriſto, qui ex ea accepit humanam Naturam, & qui* eſt *principium omnis gratiæ; & infert: Ergo Beata Virgo præ cæteris magis participat effectum talis principii, ſeu in majori plenitudine obtinuit gratiam.* Ex qua argumentatione S. Doctoris deducitur Beatam Virginem eſſe immaculatè conceptam. Atqui Beata Virgo, ſi non eſſet concepta ſinè peccato, licèt eſſet propinquiſſima Chriſto, qui eſt principium ſanctitatis & gratiæ, tamen non participaret magis effectum talis principii, quia non participaret taliter, ut ſtatim in inſtanti ſuæ Conceptionis ſanctitatem impeditivam peccati originalis, & præſervativam ab eodem acciperet. Ergo.

Plura ex principiis D. Doctoris Angelici Argumenta deſumi poſſe pro immaculata Conceptione Virginis, colliges vel ex eo, quòd ex una Quæſt. 27. 3tiæ partis 6. Argumenta adducta, ſatis efficacia deſumantur. Nobis interim hæc ſufficiant.

## Ex principiis D. Bonaventuræ Seraphici Doctoris,

Imò ipſius Argumentis immaculata Conceptio Virginis DEIparæ probatur.

59. ac imprimis S. Doctor Seraphicus in 3tium Diſt. 12. Quæſt. 2. in ⊙ hæc habet: *Quidam dicunt in anima glorioſæ Virginis gratiam ſanctificantem prævenisſe maculam originalem.* Tum propter Authoritatem S. Auguſtini, & S. Anſelmi, tum propter rationes, quarum prima eſt. *Quia inter extrema convenit ponere medium. Sed convenit ponere habentes peccatum originale & in anima, & in carne, ùt nos habemus.* (per peccatum originale in carne intellige debitum peccati originalis formalis, alligatum propagationi naturali) *& nec in anima, nec in carne habere, ùt eſt Chriſtus. Ergo convenit aliquem habere peccatum in carne,* (hoc eſt habere debitum peccati) *& non in anima, & decuit hanc creaturam eſſe DEIparam.* Secunda. *Quia decebat animam glorioſiſſimæ Virginis excellentiſſimè ſanctificari, non ſolùm quòad abundantiam ſanctitatis, ſed & quòad accelerationem temporis, tam propter Chriſti honorem, quem decuit de Matre puriſſima concipi, quàm ob ſingularem prærogativam DEIparæ, quæ debuit in ſanctitate omnes alias puras creaturas ſuperare, tum ob ordinis decorem, ut ſicut fuit Per-*

*sona immunis ab originali in carne & anima, sive in causa & effectu, & sicut dantur Personæ utroque modô habentes originale, sic etiam esset Persona media, quæ haberet peccatum originale in causa; & in carne, non in effectu & anima.* Hucusque S. Doctor Seraphicus.

Ex his duabus S. Doctoris rationibus, prima sic aliter proponitur. Datur aliquis, qui defacto contraxit & debitum peccati originalis, & ipsum secundùm se peccatum originale, prout inficiens animam, ùt unusquisque nostrûm. Et rursus datur aliquis, qui nec debitum peccati originalis habuit, nec ipsum secundùm se tale peccatum, & talis fuit Christus. Ergo inter hæc extrema debet dari medium, extrema enim non intelliguntur, nisi per respectum ad medium. Porrò hujusmodi medium potest dupliciter cogitari. Primò, ut detur aliquis, qui ipsum peccatum formale originale contraxit, non tamen debitum talis peccati, & hoc medium non est dabile. Quia effectus necessariò supponit suam causam. Sed peccatum originale secundùm se, seu in anima est effectus, debitum illud contrahendi est causa. Ergo. Secundò. Potest medium tale cogitari, ut detur aliquis, qui contraxit debitum peccati originalis, non tamen contraxit ipsum peccatum in anima, & hoc medium est dabile, estque consentaneum, rationem hujus medii potiùs concedere Virgini DEIparæ, quàm ulli puræ creaturæ. Ergo dicendum est, hanc rationem hujus medii & tale privilegium concessum esse Virgini DEIparæ.

Addit inferiùs locô citatô idem S. Doctor. *Eos qui hanc sententiam* (id est de immaculata Virginis Conceptione) *tuebantur, habuisse viam, qua ostenderent DEIparam, etsi à peccato originali immunem, quoad animam indiguisse gratiâ Redemptoris, & defacto redemptam esse, etsi aliter, quàm nos; nam nos post casum erecti sumus, at DEIpara in ipso casu sustentata est, nè rueret, ut ità peccati originalis habuerit infectionem, non quòad effectum, sed quod causam solùm.*

Serm. etiam 2. de Assump. sic habet: *Dico primò, quòd Domina nostra fuit plena gratiâ in sua sanctificatione, gratiâ scilicet præservativâ contra fæditatem originalis culpæ, quam contraxisset in conceptione naturæ, nisi speciali gratia fuisset præservata, præventáque.*

Itèm Serm. 2. de Virgine MARIA. *In tantum DEO proxima fuit, tantáque sanctitate resplenduit, & sic in summo bonorum omnium culmen obtinuit, ut creatura aliqua non unita VERBO, nec perfectior, nec majoris boni capacior sit.* Subsumo. Sed talis non esset, si peccatum originale habuisset. Ergo.

In speculo verò Cap. 8. dicit: *majorem mundum posset facere DEUS, majorem quàm Matrem DEI facere non potest.* Atqui si Mater DEI non esset immaculatè concepta, majorem Matrem posset facere DEUS, nimirum Matrem, quæ esset immaculatè concepta. Ergo.

Probata prima parte assertionis, seu Conclusionis propositæ. Num. 36.

60. Probatur secunda pars ejusdem assertionis, nimirum, quòd Beata Virgo DEIpara in conceptione sua sit servata imunis à peccato originali intuitu meritorum JESU Christi sui Filii, Redemptoris generis humani. Primò Authoritate Scripturæ 1. ad Timotheum 2. dicitur. *Unus enim DEUS, unus & Mediator DEI & hominum, Homo Christus JESUS, qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ex quo textu sic arguitur. Christus JESUS Mediator DEI & hominum dedit semetipsum Redemptionem pro omnibus. Ergo dedit semetipsum Redemptionem etiam pro Matre sua gloriosa Virgine Maria, cùm exceptio Matris ab hac universalitate redemptorum, nec Christum deceat, nec Matrem ipsius, imò utrique esset ingloria. Ergo per hanc redemptionem, adeoque intuitu meritorum Christi, Virgo DEIpara in conceptione servata est immunis à peccato originali. Authoritate summorum Pontificum, præcipuè Alexandri VII. probantis, & laudantis pietatem Fidelium erga Beatissimam Matrem Virginē Mariam, *sententium ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus, fuisse speciali DEI gratia & privilegiô, intuitu meritorum JESU Christi ejus Filii, utpote generis humani Redemptoris, à macula peccati originalis præservatam immunem.* Quibus verbis Pontifex non aliter probat pietatem Fidelium sententium Beatam Virginem ab originali immunem præser-

ſervatam fuiſſe, niſi quatenus Fideles ſentiunt dictam præſervationem fuiſſe intuitu meritorum Chriſti, utpote humani generis Redemptoris. Ergo hac ratione præſervata eſt. Authoritate Patrum, S. Ambroſii dicentis: *Dominus redempturus mundum, operationem ſuam inchoavit à Matre, ut, per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima ſalutis fructum hauriret ex pignore.* S. Bernardi Serm. de Aſſump. ubi hæc habet: *plùs pro Virgine redimenda is venit, quàm pro alia omni creatura, juxta illud: vulneràſti cor meum ſoror mea ſponſa! pro amore tuo carnem ſumpſi, & vulneribus primis vulneràſti in cruce cor meum, nam primogenita Redemptionis Filii ſui Virgo Beata.* Id ipſum docet S. Bonaventura in 3. Diſp. 12. Quæſt. 2. adductus Num. 59. Tandem S. Thomas 3. parte Quæſt. 27. artic. 5. in ⊙ adductus num. 58. dum illa univerſali utitur. *Quantò aliquid magìs appropinquat principio in quocunque genere, tantò magìs participat effectum illius principii.* Et ex hac univerſali, dum infert Beatam Virginem in majori plenitudine obtinuiſſe gratiam, videtur implicitè aſſerere Beatam Virginem per hoc, quòd fuerit propinquiſſima Chriſto, tanquam principio meritorio, & morali Redemptionis noſtræ, tantò magis participaverit effectum talis principii, ex vi influxûs proprii principii meritorii, & moralis, accipiendo in majori plenitudine gratiam ſanctificationis, adeoque quòd hanc acceperit intuitu meritorum JESU Chriſti, Filii ſui Redemptoris generis humani.

61. Probatur ſecundò Ratione. Beata Virgo Maria potuit intuitu meritorum JESU Chriſti Filii ſui Redemptoris generis humani ſervari immunis à peccato originali; decuit illam hac ratione ſervari immunem. Ergo ſervata eſt immunis ab originali, intuitu meritorum JESU Chriſti Filii ſui Redemptoris generis humani.

Antecedentis prima pars probatur. Tum nullitate implicantiæ. Tum quia in tantum Beata Virgo non poſſet ſervari immunis ab originali intuitu meritorum Chriſti &c. In quantum merita Chriſti non haberent vim, virtutem, & efficaciam obtinendi Virgini DEIparæ præmium, vel ullum ſimpliciter, vel hoc determinatè, quod eſt conceptio immaculata. Sed merita Chriſti habent eam vim, virtutem, & efficaciam obtinendi præmium Virgini DEIparæ; cùm enim merita Chriſti ſint valoris infiniti ſimpliciter, adæquant, imò infinitè ſuperant quodcunque præmium poſſibile. Porrò dona gratiæ, & privilegia, quæ defactò ſunt conceſſa, ſunt præmia poſſibilia, idque non ſolùm ſecundùm ſe & materialiter, & ſpecificativè ſumpta, ſed etiam ſunt poſſibilia ſecundùm rationem ptæmii, ſeu ut ſint præmia meritorum Chriſti. In tantum enim quoad hanc rationem repugnarent, in quantum indè ſequeretur, quòd principium meriti caderet ſub meritum. Sed hoc non ſequitur, ùt oſtenſum eſt Diſp. 2. Num. 101. Ergo. Tum quia in tantum immaculata Virginis conceptio, & immunitas ejuſdem à peccato originali non poſſet haberi intuitu meritorum Chriſti, in quantum merita Chriſti applicata Virgini DEIparæ, non poſſent habere rationem Redemptionis reſpectu Virginis, quam tamen rationem habere deberent. Sed merita Chriſti applicata Virgini, in ordine ad obtinendam illi conceptionem immaculatam poſſunt habere, & habent rationem Redemptionis reſpectu Virginis. Ergo. Minor probatur. In tantum merita Chriſti applicata Virgini non poſſent habere rationem Redemptionis, in quantum Redemptio neceſſariò ſupponeret peccatum, quod tamen non daretur in Virgine. Sed Redemptio non neceſſariò ſupponit peccatum; etiamſi enim redemptio reſuſcitativa à morte animæ, curativa morborum animæ, & ſublativa poſt lapſum ſupponat neceſſariò mortem, à qua reſuſcitat redemptio, ſupponat morbum, quem curat, & lapſum, in quo ſublevat, & erigit, tamen redemptio præſervativa, & impeditiva mortis, morbi, & lapſûs non debet ſupponere præexiſtens in anima peccatum, tanquam mortem, morbum, & lapſum, ſed ad ſummum ſupponit debitum incidendi in morbum, debitum labendi, ſeu debitum incidendi in peccatum. Dari verò Redemptionem præſervativam facilè colligitur imprimis ex illo Pſal. 143. ubi David agens DEO gratias pro ſui liberatione, ſic eum alloquitur: *Redemiſti ſervum tuum à gladio maligno*, quô locô redemptio non a-

lia intelligitur, nisi redemptio præservativa, per quam DEUS servavit David illæsum à gladio Goliath, ùt hunc locum intelligit Cassiodorus, dum dicit: *non quòd vulneraverit illum priùs gladiô suô Goliath, sed quia præservavit eum Dominus de tali gladio, ait: redemisti servum Tuum.* Secundò, quia non solùm ille redimit, & censetur redimere urbem, qui captam ab hoste, & acceptam in servitutem, datô & persolutô pretiô liberat, eámque ab hoste recipit, sed etiam is, qui urbem ab hoste proximè capiendam periculo subducit, & persolutô anticipatè pretiô facit, nè urbs ab hoste capiatur, & ut hostis soluta obsidione ab urbe recedat. Illa redemptio est reparativa, & liberativa à formali captivitate, hæc redemptio est redemptio præservativa. Ergo pariter redemptio à peccato alia est curativa, & reparativa, seu peccati præexistentis expulsiva, alia redemptio est præservativa, & impeditiva peccati, nè eô inficiatur anima. Tertiò, quia redemptio habet se permodum medicinæ, sed hæc est alia curativa morbi præsentis, alia medicina præservativa, de qua S. Augustinus scribens in illa verba Psal. 85. *eruisti animam meam ex inferno inferiori, dicit: quemadmodum, si medicus videat imminentem ægritudinem fortè ex aliquo labore, & dicat tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis utere; nam si non feceris, ægrotabis; tu verò si feceris, & sanus fueris, rectè dices medico, liberâsti me ab ægritudine, non in qua eram, sed in qua futurus eram.* Ergo & redemptio alia est curativa, quâ post lapsum erigimur, alia præservativa, quâ sustentamur, nè labamur. Quartò, Quia etiam præservatio Beatæ Virginis DEIparæ, quâ hæc servata est immunis ab omni culpa actuali, & personali, sive mortali, sive veniali, fuit intuitu meritorum Christi Redemptoris generis humani, & merita Christi habent rationem Redemptionis Beatæ Virginis à culpis actualibus, quæ Redemptio non est nisi præservativa. Ergo & præservatio Virginis DEIparæ, quâ hæc servata est immunis à culpa originali, fuit intuitu meritorum Christi Redemptoris generis humani, ipsáque merita Christi habent rationem Redemptionis Beatæ Virginis DEIparæ à culpa originali, & hæc ejus Redemptio, est Redemptio præservativa. Quintò tandem. Intuitu meritorum Christi non solùm per remissionem peccatorum justificamur, sed etiam gratias accipimus, quibus adjuvamur, nè in peccatum prolabamur, ùt certum est ex Concilio Milevitano, quod refertur Disp. 5. de consecr. cap. *placuit*, damnante oppositam opinionem his verbis: *quicunque dixerit gratiam DEI, quâ per JESUM Christum justificamur, ad solam peccatorum commissorum remissionem valere, non etiam in adjutorium, nè admittantur, Anathema sit.* Ergo intuitu meritorum Christi non solùm alii Adæ posteri accipimus remissionem peccatorum, & justificamur, sed etiam Beata Virgo, quæ à peccato etiam originali, immunis fuit, intuitu eorundem meritorum Christi gratiam habuit, quâ fuit adjuta, nè peccatum originale contraheret.

62. Secunda deinde pars Antecedentis probatur, quòd scilicet decuerit B. Virginem DEIparam, intuitu meritorum Christi Redemptoris generis humani, servari immunem à peccato originali. Tum quia decuit Christum, DEI & MARIÆ Filium, ut, qui Redemptor generis humani in carne in mundum venerat, etiam Matrem redimeret, ipsámque sanctam Christi Matrem, ut sui liberationem ex gratia DEI privilegio speciali haberet, ut eandem deberet simul meritis Filii sui, eámque ex ipsis acciperet. Decuit itèm Christum Redemptorem, ut redemptio ejus esset copiosa, haberétque Christus multos redemptionis modos, eósque exerceret, unum satisfaciendo pro peccatis nostris, nósque sanguine suo reconciliando Patri, alterum redemptionis modum meritis suis obtinendo sanctissimæ Matri suæ, nè hujus voluntas, licèt per propagationem naturalem Virgo ab Adam descenderet, voluntati Adæ alligaretur, consequenter nè hæc in Adam peccaret, & ut sanctificaretur in primo instanti creationis suæ animæ, & infusionis in corpus. Tum quia decuit Matrem Filii DEI, ut, sicut dignitate superat omnes puras creaturas, ità modô redemptionis, quô redempta est, superaret puros homines omnes, hoc est: ut redimeretur excellentiori redemptionis modô, quàm redimantur omnes alii puri homi-

homines. Atqui modus redemptionis præservativæ est modus redemptionis excellentioris, & æstimabilioris, quàm modus redemptionis sanativæ, præsupponentis peccatum. Quia est præeligibilis modo redemptionis sanativæ, seu curativæ; quisque enim prudenter præeligere deberet illam redemptionem, ex vi cujus haberet, quòd nunquam peccaret, nunquam in anima moreretur, nunquam servus, & mancipium Diaboli efficeretur, nunquam, nè ad momentum quidem, esset hostis DEI, DEO odibilis & exosus, æternæ damnationis reus, deberet, inquam, hanc Redemptionem præeligere, præ redemptione, per quam peccatum præexistens in anima tollitur, qui in anima mortuus fuerat, resuscitatur, qui graviter concussus, & vulneratus, post lapsum erigitur & sanatur, ex hoste DEI, ipsi exoso, mancipio Diaboli, damnationis æternæ reo fit amicus DEI, hæres Regni cælestis, vocatur in libertatem Filiorum DEI. Præeligibilior est illa Redemptio, per quam habetur, quòd nihil fuerit in anima, quod DEI oculis aliquando displicuerit, quàm illa, quæ supponit in anima peccatum DEO summè displicens, quamvis postea sanguine Redemptoris deletum. Ergo Matrem DEI decuit, ut modò redemptionis præservativæ à suo Filio redimeretur, adeoque ut intuitu meritorum sui Filii in sua conceptione sanctificaretur, & servaretur immunis à peccato originali.

63. Consequentia tandem Enthymematis Num. 61. propositi, nimirum, si Mater DEI potuit intuitu meritorum Christi, tanquam totius generis humani Redemptoris, servari immunis à peccato originali, si decuit eam ità servari immunem, quòd defactò intuitu meritorum Christi, tanquam sui Redemptoris sit servata immunis ab eodem peccato, probatur potissimùm Authoritatibus. S. Augustini lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. *Quidquid tibi vera ratione melius occurrit, scias hoc fecisse DEUM rerum omnium Conditorem.* Subsumo. Sed si Beata Virgo intuitu meritorum Christi potuit servari immunis à peccato originali, & si decuit illam taliter servari, occurrit tibi aliquid vera ratione melius, scilicet occurrit talis præservatio, quæ vera ratione est melior, quàm sanctificatio post peccatum, vel præservatio independenter à merito Christi. Ergo scias DEUM hoc fecisse, nimirum intuitu meritorum Christi, Beatam Virginem à peccato originali servâsse immunem. Itèm Authoritate subtilis Doctoris Scoti, præcipui Propugnatoris piæ sententiæ, qui in 3. Disp. 3. Quæst. 1. dicit: *si Authoritati Ecclesiæ, vel Authoritati Scripturarum non repugnat, videtur id, quod excellentius est, attribuendum Mariæ.* Sed Mariam servatam esse immunem à peccato originali intuitu meritorum Christi, si id fieri potuit, & decuit Christum, & Mariam, est excellentius, nec Authoritati Ecclesiæ, aut Scripturarum repugnat. Ergo est attribuendum MARIÆ, adeoque hæc est servata immunis à peccato originali intuitu meritorum Christi, si taliter servari potuit, & si illam sic servari decuit. Potest his addi & Authoritas Eximii Doctoris Francisci Suarez. Qui Tom. 2. de Incarn. Disp. 3. sect. 5. sic habet: *privilegia Beatæ Virginis non sunt metienda ordinariis legibus, sed Divinâ Omnipotentiâ, suppositâ decentiâ, absque ulla Scripturarum oppositione.* Ex hoc principio, quod ex S. Thoma desumptum, inferendum videtur. Ergo privilegium præservationis Beatæ Virginis à peccato originali intuitu meritorum Christi, metiendum est Omnipotentiâ Divinâ, suppositâ decentiâ absque ulla Scripturarum oppositione, adeoque, cùm privilegium præservationis ab originali intuitu meritorum Christi sit possibile, & deceat Christum ac Virginem ejus Matrem, nec Scripturis opponatur, concedendum est DEI Matri. Rationes in probationem allatæ similis Consequentiæ Num. 54. possunt etiam facilè accommodari, & adhiberi in probationem, quæ præsenti numero assumitur probanda, éstque probata Authoritatibus.

## §. II.

### An Beata Virgo DEIpara habuerit debitum peccati originalis, & quale?

64. Præmitto. Differre ista, peccatum originale secundùm rationem suam formalem sumptum, & debitum peccati originalis. Peccatum originale est peccatum Adæ comestionis fructûs de ligno prohibito, ab ipso Adam physicè commissum, posteris ipsius per propagationem naturalem ab eo descendentibus, ratione alligationis voluntatum ipsorum voluntati Adæ, moraliter voluntarium, in ipsos origine, seu propagatione transfusum, demeritoriè causans in iisdem maculam habitualem, seu privationem gratiæ. Quare ad rationem peccati originalis quatuor hæc necessariò requiruntur. Primò peccatum inobedientiæ Adæ, de ligno scientiæ boni, & mali comedentis, contra prohibitionem DEI ab Adam physicè commissum. Secundò requiritur descensio ab Adam per propagationem naturalem, quæ propagatio fit per commistionem sexuum, maris & fæminæ, quâ ex semine viri suscepto, & à fæmina in utero ejus, concipitur is, qui dicitur ab Adam descendere, & in quem per talem propagationem transfunditur peccatum Adæ. Tertiò requiritur, ut voluntas posteri originem ab Adam ducentis fuerit alligata per pactum voluntati Adæ, tanquam sui capitis, per quod DEUS statuit, ut quidquid ille voluerit, & egerit, id ipsum velle censeantur ejus posteri, easque pœnas mereantur, quas ipse Adam promeritus est. Quartò requiritur, ut in anima infantis ab Adam descendentis habeatur macula peccati originalis, consistens in privatione Justitiæ originalis, & gratiæ, inducta demeritoriè per peccatum Adæ in prolem ab eo descendentem, per propagationem transfusum. Hæc quatuor taliter requiruntur ad rationem peccati originalis, ut quocunque ex his deficiente debeat deficere peccatum originale. Et sic, si actus peccaminosus ab Adam non fuisset physicè commissus, in posteris non fuisset peccatum originale. Si etiam homo aliquis non descenderet ab Adam per propagationem naturalem, sed vel crearetur, vel conciperetur, & nasceretur ex Virgine, sicut Christus conceptus, & natus est, is non haberet peccatum originale, quamvis Christus non ob hanc præcisè rationem caruit peccato originali, sed etiam ob alias causas, & maximè propter suam metaphysicam impeccabilitatem, ratione cujus humanitati ejus summè, quia metaphysicè, repugnat omne peccatum. Ulteriùs: si voluntas cujuspiam ex posteris Adæ, non sit alligata voluntati Adæ, tanquam capiti omnium nostrûm in ordine ad merendam, vel demerendam justitiam originalem, talis non contraheret peccatum originale, sicut nec nos illud contraxissemus, si voluntates nostræ non fuissent alligatæ voluntati Adæ. Et per hoc Virgo DEIpara non habuit peccatum originale, quia ipsius voluntas non fuit alligata voluntati Adæ, adeoque propter defectum talis alligationis, Adamo peccante ipsa in Adam non peccavit. Tandem ob defectum maculæ originalis in anima alicujus posteri Adæ, prout demeritoriè inducta per peccatum Adæ non daretur in anima peccatum originale. Etiamsi enim ad positionem aliorum requisitorum, nimirum ad positionem peccati Adæ, prout ab ipso physicè commissi, ad positionem propagationis naturalis explicatæ, & ad positionem alligationis voluntatis posterorum Adæ voluntati Adæ, per pactum Divinum cum ipso, sequatur necessariò secundùm præsentem Providentiam macula in anima eorum, qui per propagationem naturalem ab Adam descendunt, tamen in alia Providentia, si aliter DEUS statuisset, & aliud pactum cum Adam iniisset, ùt fieri potuisse multi censent, nec macula in concepta prole causata exstitisset, non fuisset in tali anima peccatum originale completè sumptum. Certè nunc in posteris Adæ tollitur peccatum originale per sublationem talis maculæ. Ergo peccatum originale saltèm inadæquatè constituitur dictâ maculâ, eáque necessariò requiritur ad esse peccati originalis.

65. Debitum peccati originalis est periculum, obnoxietas, necessitas, obligatio, seu convenientia quædam, ut contrahatur peccatum originale. Debitum hujusmodi fundatur in illis duobus requisitis, vel in alterutro illorum, scilicet in descendentia ab Adam per seminalem propagationem, & in alligatione voluntatis posteri propagati voluntati

luntati Adæ per pactum; quale DEUS cum Adam iniit. Si enim quis descendat ab Adam per propagationem seminalem, supposito, quòd DEUS decreturus est, seu decrevit, ut omnes per talem propagationem descendentes, peccante Adamo, & ipsi sint rei talis sui peccati; Is necessitatem habet, & debitum per quandam æquitatem ratione inclusionis in universalitate descendentium per talem propagationem, ut contrahat peccatum originale, nisi excipiatur, & eximatur ab hac universalitate, seu potiùs à lege de contrahendo peccato. Fundatur etiam debitum & necessitas contrahendi originale in alligatione voluntatis posterorum voluntati Adæ, idque fundatur multò magis. Quia imprimis propter talem alligationem, supposita propagatione seminali, Adamo peccante, etiam posteri ejus in Adam peccaverunt, & ratione hujus sui peccati debetur illis, ut cum macula originali sibi inhærente concipiantur. Deinde, cùm alligatio hæc, sumpta cum propagatione, aliisque, connectatur cum macula in prole, quæ concipitur; hæc connexio est quædam necessitas, & debitum, ut in anima prolis ponatur dicta macula, adeoque ut ponatur peccatum originale in prole, quæ concipitur, & ut in eam transfundatur. Debitum contrahendi peccatum originale dividitur in debitum remotum, & in debitum proximum. Debitum remotum est necessitas, & quædam convenientia, ut contrahatur peccatum originale, licèt incompleta, & dependens ab aliis conditionibus, per illásque complenda, proinde antequam compleatur, non necessariò inferens peccatum originale. Debitum proximum, est necessitas, & connexio cum peccato originali, ejúsque macula, necessitas inquam completa per alias conditiones, & requisitas dictum peccatum, ejúsque maculam inferens. Debitum remotum fundatur in propagatione naturali, per qualem ab Adam descendunt posteri ejus; ratione enim hujus propagationis habetur quædam necessitas & convenientia, ut contrahatur peccatum originale; licèt dependens à quibusdam conditionibus & requisitis, quibus nisi compleatur, non infert peccatum originale & maculam ipsius. Debitum proximum fundatur in alligatione per pactum voluntatis alicujus posteri Adæ descendentis ab ipso per propagationem naturalem voluntati ipsius Adæ sine exemptione & exceptione ejusdem posteri. Hac enim alligatione superaddita propagationi naturali Adæ habetur necessitas & connexio completa inferens peccatum originale, ejúsq; maculam. Debita hæc differunt, & à se invicem distinguuntur, quia sunt à se separabilia. Potest enim quis habere debitum remotum propter descensionem ab Adam per propagationem seminalem absque eo, quòd habeat debitum proximum ejusdem peccati; quia absque eo, quòd voluntas ipsius fuerit alligata voluntati Adæ; sed potiùs quòd voluntas ejus exempta, & excepta fuerit ab hac alligatione, nec fuerit alligata voluntati Adæ.

Hôc præmissô, quæritur in præsenti, an B. Virgo DEIpara, quam à peccato originali servatam fuisse immunem vidimus, §. præcedente, habuerit debitum contrahendi peccatum originale, & quale debitum, an non nisi remotum, an certè etiam proximum? Aliqui Theologi, etiam piæ sententiæ Propugnatores, inter quos est noster Platellius, docuerunt Beatam Virginem DEIparam, licèt non contraxerit peccatum originale, contraxisse tamen debitum peccati originalis non solùm remotum, seu etiam proximum. Alii tamen ex Propugnatoribus Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis DEIparæ docent, ipsam non habuisse, nec contraxisse debitum proximum peccati originalis; habuisse tamen debitum remotum ejusdem peccati. Ità Suarez, Aldrete, Esparza, P. Morawski, Verani, Marin, & alii, quos Marin citat. Tract. 17. de Incarnat. Disp. 17. Num. 25.

66. Dicendum est, Beatam Virginem DEIparam non contraxisse debitum proximum peccati originalis, sed à tali debito proximo præservatam fuisse intuitu meritorum Christi. Habuisse tamen debitum remotum talis peccati.

Probatur prima pars Conclusionis. Tum quia voluntas DEIparæ, per pactum cum Adam initum, non fuit alligata voluntati Adæ. Ergo Virgo DEIpara non contraxit debitum proximum

 pecca-

peccati originalis; hoc enim non contrahitur niſi per alligationem voluntatis DEIparæ, voluntati Adæ, ùt dictum eſt num. præcedente. Antecedens probatur. Quia, ùt ſuprà oſtenſum eſt num. 54. decuit voluntatem Beatiſſimæ Virginis DEIparæ, univerſorum Dominæ, Reparatricis generis humani, non alligari voluntati Adæ, tanquam capiti, nec decuit Adamum eſſe caput morale illius Virginis, quæ futura erat Regina Angelorum, & DEI Mater. Certè ſi indecorum eſſet viro gravi, prudenti, virtutem ſectanti, ſi voluntas ejus alligaretur voluntati alicujus hominis inconſiderati, in malum præcipitis, in omnem licentiam effuſi, talisque alligatio pro injuria ab illo viro prudente haberi poſſet; etiam minùs decorum eſſet voluntatem puriſſimæ, ſanctiſſimæ, legum omnium obſervantiſſimæ Virginis, in ordine ad rem graviſſimam, alligari voluntati Adæ, quem DEUS præſcivit totum genus humanum perditurum. Tum quia decuit, ut Beata Virgo modô perfectiſſimô præſervaretur immunis à peccato originali, eóque tali modô, qui ipſam, & Filium ejus maximè deceret. Sed modus præſervationis Virginis à peccato, absq; alligatione voluntatis ejus voluntati Adæ eſt lògè perfectior modô præſervationis, cum alligatione voluntatis Virginis voluntati Adæ; per hūc enim præſervationis modum cum alligatione voluntatis habetur, quòd Virgo DEIpara peccaverit in Adam, non contraxerit tamen maculam hujus, DEO in primo ſtatim inſtanti ejus Conceptionis & infuſionis animæ in corpus, ipſam ſanctificante, licèt inquam peccaverit in Adam, propter alligationem ſuæ voluntatis voluntati Adæ, quæ alligatio præſtat, ut Adamo peccante peccent illi, quorum voluntas eſt alligata Adamo. Modus autem præſervationis à peccato, per exemptionem Virginis ex pacto, non alligativam ejus voluntatis voluntati Adæ, & per ſanctificationem Virginis in primo inſtanti creationis animæ, præſtat, ut Beata Virgo nec peccaverit in Adam, nec maculam talis peccati in ſua Conceptione contraxerit, quod eſt longè excellentius, & DEI Matri, ejúsque Filio magis dignum. Tum quia modus hic præſervationis B. Virginis à peccato originali per exemptionem ipſius in pacto, & non alligationem voluntatis ejus voluntati Adæ, ità decet Chriſtum & Matrem ejus, ut ſimul ſit connaturalior.

Connaturalius eſt præſervari à macula peccati præſervando etiam ab ipſo peccato, quàm permiſſô peccatô præſervare, nè in inſtanti Conceptionis in anima prolis ſit macula peccati. Quia connaturalius eſt impedire effectum, impediendo etiam cauſam, quàm permiſsâ & non impeditâ causâ inferente effectum impedire talis cauſæ effectum. Porrò non facta alligatione voluntatis B. Virginis voluntati Adæ præſervare eandem à macula peccati in conceptione, eſt illam præſervari à macula peccati, præſervando etiam ab ipſo peccato, ſiquidem ſi voluntas B. Virginis non alligetur voluntati Adæ, fit, ut ipſo peccante non peccet B. Virgo. E cōtrà facta alligatione voluntatis &c. præſervatur quidē, aut præſervari poteſt Virgo DEIpara à macula originali, nè hæc inſit animæ ejus in primo inſtanti ſuæ creationis, cæterùm non præſervatur ab ipſô peccato; ſiquidē per alligationem voluntatis Virginis voluntati Adæ, fit, ut peccante Adamo etiam Virgo DEIpara peccet in Adam. Ergo Beata Virgo DEIpara hôc potiùs modô præſervata eſt à peccato originali, quòd eius voluntas non fuerit alligata voluntati Adæ; juxta regulam S. Auguſtini: *Quidquid vera ratione melius Tibi occurrit, ſcias DEUM rerum omnium Conditorem id feciſſe.* Id enim, quod ità decet B. Virginem, & Chriſtum, ut ſimul ſit connaturalius, eſt vera ratione melius. Tandem hæc pars Concluſionis probatur argumentô, quô uſi ſumus Num. 50. quod etiam in præſenti locum habet: Quod DEUS facere potuit, eúmque feciſſe decuit, hoc fecit. Sed potuit DEUS non alligare voluntatem Virginis DEIparæ voluntati Adæ, decuit ipſum, ut non alligaret. Ergo non alligavit.

67. Secunda pars Concluſionis, nimirum: quòd Beata Virgo à debito proximo contrahendi peccatum originale præſervata ſit intuitu meritorum Chriſti, Probatur. Tum quia Beata Virgo intuitu meritorum Chriſti præſervata fuit, nè peccaret in Adam. Quia fuit præ-

præservata intuitu talium meritorum, nè simpliciter & absolutè peccaret; Matris enim peccatum vergeret in dedecus Filii. Sed si Beata Virgo non fuisset præservata à debito proximo contrahendi originale, intuitu meritorum Christi, talium meritorum intuitu non fuisset præservata, nè peccaret in Adam. Si enim non fuisset præservata intuitu meritorum Christi à debito proximo contrahendi originale, non fuisset præservata, nè per pactum cum Adam voluntas ejus alligaretur voluntati Adæ; si autem non fuisset præservata ab hac alligatione, non fuisset præservata, nè peccaret in Adam. Siquidem peccante Adamo, peccaverunt in ipso omnes, quorum voluntates alligatæ fuerunt voluntati Adæ. Neque enim voluntates sic alligatæ habebant libertatem ad non peccandum, peccante Adamo. Tum quia Christus suis meritis obtinere potuit Matri suæ, nè contraheret debitum proximum peccandi, & nè in pacto alligativo voluntatum posterorum Adæ voluntati ejusdem Adæ includeretur B. Virgo, seu nè voluntas Beatæ Virginis alligaretur per pactum voluntati Adæ. Potuitque DEUS id ipsum conferre in præmium dictorum Christi meritorum. Quid enim est in eo repugnantiæ? Certè secundùm ipsos Adversarios non repugnat, ut Christus Virgini Matri suæ mereatur, ut eam DEUS ità alliget voluntati Adæ, ut quamvis illo peccante & ipsa peccet, tamen aliis posteris Adæ maculam originalem in Conceptione sua contrahentibus Virgo DEIpara in sua Conceptione talem maculam non contrahat. Et cur repugnabit, ut Christus Matri suæ mereatur, nè DEUS per suum pactum cum Adam alliget voluntatem ejusdem suæ Matris voluntati Adami? Decuit etiam, ut Christus mereretur immunitatem à contrahendo debito proximo peccati Matri suæ. Quia decuit, ut mereretur, nè per pactum suum cum Adam DEUS alligaret voluntatem Matris suæ voluntati ipsius Adam. Quia decuit, nè Mater ejus peccaret in Adam, tantum enim dedecus redundaret in Filium. Ergo Christus meruit defactò Matri suæ, nè contraheret debitum proximum peccati. Tum quia Christus Matrem suam redemit redemptione perservativa, ut probatum est Num. 61. & 62. Atqui si Matri suæ non fuisset meritus immunitatem à debito proximo, non redemisset eandem redemptione præservativa: Redemptio enim præservativa in eo consistit, quòd redimens suis meritis sustineat eum, quē sic redimit, nè labatur, sive incidat in peccatum. Manente autem debito proximo peccati, Virgo DEIpara per merita Christi non sustentabatur, nè laberetur in peccatum; siquidem debitum proximum peccati infert necessariò peccatum quoad actum, licèt non quoad maculam. Quia infert, ut voluntas alligata voluntati Adæ, Adamo peccante, etiam ipsa peccet in Adam, solúmque non infert necessariò maculam peccati consistentem in privatione gratiæ. Potiùs igitur redemptio non excludens debitum proximum peccati, esset redemptio curativa, sanativa, erigens Beatam Virginem post ipsius peccatum in Adam, remissiva talis peccati in primo instanti Conceptionis, seu creationis animæ, ipsiúsque infusionis in corpus, per sanctificationem ejusdem. Ergo Christus meruit suæ Matri præservationem à debito proximo contrahendi peccatum.

68. Tertia pars Conclusionis, nimirum: quòd B. Virgo DEIpara habuerit debitum remotum peccati Originalis, probatur. Tum quia tale debitum admitti in ipsa debet, ut Conceptio Virginis differat à Conceptione Christi, quæ Christi Conceptio ità est immaculata, & sinè peccato, ut nec habuerit, nec potuerit habere debitum contrahendi peccati, propter metaphysicam Christi impeccabilitatem; Conceptio verò Virginis DEIparæ talis fuit, ut, licèt etiam hæc conceptio fuerit immaculata, & immunis à peccato, habuerit tamen Virgo Beata debitum aliquod contrahendi peccati originalis. Tum ut redemptio Virginis à Christo faciliùs explicetur, & salvetur, supposita ipsius immaculata conceptione; Redemptio enim præservativa, quæ sola respectu Virginis DEIparæ admittitur, licèt non supponat præexistens Virginis peccatum, supponit tamen debitum peccati. Quia supponit periculum, seu necessitatem incidendi in peccatum, nisi per redemptionem succurratur. Tum quia ubi datur funda-

 men-

mentum, cui annectitur debitum remotum peccati originalis, ibi datur & ipſum remotum debitum talis peccati. Sed in B. Virgine fuit fundamentum, cui annectitur debitum remotum peccati originalis, nimirum quòd deſcenderet ab Adam per propagationem naturalem ex commiſtione ſexuum Maris & fœminæ, quali propagationi DEUS voluit eſſe annexum debitum peccati, quatenus conſtituit, ut omnes deſcendentes ab Adam per propagationem naturalem peccent in Adam; & in peccato concipiantur, niſi quis ipſorum præſervetur intuitu meritorum, & redemptionis Chriſti. Ergo. Tum quia ſi quid obſtaret, quominùs in Beata Virgine daretur debitum remotum peccati, hoc obſtaret, quòd in ipſa non admittatur debitum proximum peccati, ſeu quòd negatô debitô proximô peccati originalis deberet etiam negari debitum remotum. Sed hoc non obſtat; ex illa enim ratione in Virgine DEIpara negatur debitum proximum peccati originalis, quæ ratio non valet pro negando debito remoto. Nimirum, ex eo negatur Beata Virgo contraxiſſe debitum proximum peccati originalis, quia voluntas illius non fuit alligata voluntati Adæ, ſed intuitu meritorum Chriſti immunis à tali alligatione, quæ alligatio fundat debitum proximum peccati, & quia admiſſâ tali alligatione, & debito proximo peccati Virgo DEIpara peccâſſet in Adam, licèt in conceptione ſua propter præſervationem ex meritis Chriſti non contraheret maculam habitualem peccati originalis. Hæc autem ratio non valet pro negando debito remoto peccati. Non enim poteſt negari Beatam Virginem deſcendiſſe ab Adam per propagationem naturalem, cui propagationi tanquam ſuo fundamento, eſt annexum debitum remotum peccati. Neque etiam ſuppoſitô in Virgine DEIpara debitô remotô peccati, ſequitur ipſam peccâſſe in Adam. Etiamſi enim ſuppoſita alligatione voluntatis Virginis voluntati Adæ ſequatur, Adamo peccante, etiam Virginem DEIparam peccare in Adam, cùm Decretum alligativum voluntatum voluntati Adæ, debeat eſſe infruſtrabile, tamen ex eo, quòd Virgo DEIpara deſcendat per propagationem naturalem ab Adam, non apparet, qua ratione ſequatur, eandem Virginem peccâſſe in Adam; cum nullo interveniente pacto, ratione propagationis naturalis, Filii non debeant peccare, ſuis Parentibûs peccantibûs. Neque etiam ullum aliud inconveniens ſequitur ex admiſſo in Virgine DEIpara debito remoto peccati, quod enim? Tandem Beata Virgo potuit contrahere debitum remotum peccati originalis. Hoc debitum, nec Chriſtum ejus Filium, nec ipſam dedecuit, imò decuit, & conveniens fuit, ut haberet tale debitum; cùm ex hoc debito ipſius redemptio ſit eidem in ratione beneficii æſtimabilior. Nec opponitur talis debiti admiſſio Scripturis, Conciliis, ſummorum Pontificum Declarationibus, & Patribus. Ergo.

## Proponuntur Objectiones.

69. Objicitur inprimis, & probatur Beatam DEIparam contraxiſſe debitum proximum peccati originalis, primò. Quia ſi id admittatur, conciliantur Scripturæ, Propoſitiones univerſales cum Conſtitutionibus Pontificiis, maximè cum Conſtitutione Alexandri VII. nimirum ſalvatur, quòd Beata Virgo DEIpara in primo ſtatim inſtanti creationis animæ ſuæ, ſeu infuſionis in corpus, fuerit ſanctificata, & per hoc à macula peccati originalis præſervata immunis; atque immaculatè conceptâ; cui ſententiæ favet ſua conſtitutione Alexander VII. Salvatur prætereà, quòd, prout loquuntur Scripturæ, omnes in Adam peccaverint, adeòque quòd & B. Virgo per hoc, quòd contraxerit debitum proximum peccati, ejúsque voluntas fuerit alligata voluntati Adæ, peccaverit in Adam, cùm hæc ſtare poſſint peccâſſe in Adam, & maculam peccati in Conceptione non contraxiſſe. Ergo.

Secundò, quia difficiliùs oſtenditur, qua ratione B. Virgo DEIpara, intuitu meritorum Chriſti, præſervata fuerit à debito proximo peccati, quàm oſtendatur, qua ratione, admiſsô debitô proximô peccati originalis in B. Virgine, hæc ipſa fuerit præſervata à macula peccati originalis. Quia difficiliùs ordo, & ſeries Decretorum circa Incarnationem explicatur, ut ſalvetur præſervatio Ma-

tris DEI à macula originalis peccati, quàm explicetur series eorundem, ut salvetur præservatio Matris DEI à macula originalis peccati. Admissô enim debitô proximô peccati originalis cogitari potest talis series. Quòd DEUS in primo signo decernat Adami, ejúsque Posterorum, qui sint puri homines, existentiam. In signo secundo, DEUS constituit Adam in caput suorum omnium posterorum, à se per naturalem propagationem descendentium, eique præcipit, nè comedat de ligno scientiæ boni & mali, cum gravibus comminationibus suæ indignationis, & pænarum ineundo cum illo pactum, ejúsque voluntati alligando voluntates posterorum, ità, ut si Adam observet hoc præceptum, omnes posteri censeantur illud observâsse; si transgressus fuerit, omnes illud in ipso transgrediantur, peccent, & ad pænas subeundas teneantur. In tertio signo, DEUS permittit lapsum Adæ, & transgressionem præcepti, de non comedendo fructu vetito, in quo ipso signo intelligitur non solùm Adam ipse peccâsse, sed intelliguntur etiam omnes ejus posteri ab eo per propagationem naturalem descendentes, peccâsse in ipso. In quarto signo decernitur Incarnatio in remedium peccati Adæ, & posterorum ejus; intelligitur existentia Christi, & meritorum ejus, & per ipsa merita allatum remedium peccato commisso ab Adam, & in ipso à posteris ejus. Intelligitur etiam intuitu meritorum Christi præservatio Beatæ Virginis à macula originalis peccati, ut sinè illâ concipiatur ex speciali privilegio nemini alteri ex puris hominibus concesso vel concedendo. Secundùm hanc seriem & coordinationem Decretorum DEI per se facilem bene intelligitur, quòd B. Virgo contraxerit debitum proximum peccati, & nihilominùs à macula peccati originalis præservata fuerit. Negatô è contrà in Virgine DEIpara debitô proximô peccati originalis non potest explicari exemptio B. Virginis à pacto inito cum Adam, quæ sit intuitu meritorum Christi, & præservatio ejusdem Virginis ab alligatione voluntatis ipsius voluntati Adæ. Hæc enim exemptio, & præservatio deberet intelligi in eo signo, in quo intelligitur pactum à DEO initum cum Adam, nimirum deberet intelligi in secundo signo; non potest autem intelligi in hoc signo, quia non potest intelligi sinè meritis Christi, quæ merita non possunt intelligi in eo signo, sed debent intelligi in quarto signo, in quo primùm intelligitur existere Christus; ante Christum enim, ejúsque existentiam non debent intelligi merita Christi, utpote dependentia à Christo, & ejus existentia. Ad declinandam igitur hanc difficultatem videtur in Virgine DEIpara admittendum esse debitum proximum peccati cum ejusdem præservatione in instanti Conceptionis, à macula habituali peccati originalis, intuitu meritorum Christi.

Tertiò. Quia in tantum Beata Virgo careret debitô proximô peccati originalis, in quantum voluntas ejus non fuisset alligata voluntati Adami. Sed fuit alligata. Ergo. Minor probatur. In tantum voluntas DEIparæ non fuisset alligata voluntati Adæ, in quantum hujusmodi alligatione supposita, sequeretur MARIAM Virginem peccâsse in Adam. Sed id non sequitur, aliàs debitum proximum peccati esset ipsum peccâsse in Adam; non est autem, nec esse potest, quia debitum peccati non est ipsum peccatum; unum enim ex connexis realiter, non est alterum ex connexis, v. g. fundamentum connexionis non est terminus ejusdem, sed hæc ab invicem distingui debent. Cùm ergo debitum proximum peccati sit connexum cum peccato, non potest esse ipsum peccatum.

Quartò. B. Virgo non fuit exempta à pacto, verùm voluntas ejus fuit alligata voluntati Adæ, non minùs, atque voluntates aliorum Adæ posterorum fuerunt alligatæ voluntati Adæ. Ergo. Antecedés probatur. Si intuitu meritorum Christi, B. Virgo fuisset exempta à pacto, seu non inclusa pacto, nec voluntas ejus esset alligata voluntati Adæ, etiam voluntates aliorum posterorum Adæ, intuitu eorundem meritorum, non deberent alligari voluntati Adæ. Si enim propter merita Christi Beata Virgo esset immunis ab alligatione voluntatis suæ voluntati Adæ, non essent verò ab hac immunes alii posteri, Christus, & merita ejus essent causa, cur posteri Adam

 pecca-

peccarent in Adam; ideò enim peccarent, quia Chriſtus non applicuit illis ſua merita, ut voluntates illorum non alligarentur voluntati Adæ, conſequenter Adamo peccante non peccâſſent etiam alii poſteri, ſicut propter applicata à Chriſto ſua merita Matri Diviniſſimæ, volũtas ipſius non fuit alligata voluntati Adæ, & propter hujus alligationis defectum, peccante Adamo Virgo DEIpara non peccavit in Adam.

70. Objicitur deinde, & probatur Beatam Virginem DEIparam non habuiſſe debitum etiam remotum peccati. Primò. Ad rationem debiti remoti requiritur, ut ratione propagationis naturalis deſcendentis ab Adam ſit quædam neceſſitas, & convenientia contrahendi peccatum, niſi quis ab eo præſervetur. Ergo ad rationem debiti remoti requiritur negatio præſervationis à peccato. Sed Beata Virgo non habuit negationem præſervationis, ſiquidem fuit præſervata à peccato. Ergo non habuit debitum remotum peccati originalis.

Secundò Beata Virgo DEIpara non fuit incluſa in pacto, nec voluntas ejus per pactum fuit alligata voluntati Adæ. Ergo non habuit debitum remotum. Conſequentia probatur. Quia per debitum remotum à quibusdam Theologis intelligitur pactum celebratum cum Adam, ùt habet Marin Tract. 17. de Incarnatione Diſp. 7. Num. 27. quibus & ipſe aſſentitur cum aliqua limitatione; docet enim pactum DEI cum Adam, eſſe debitum remotè remotum peccati originalis. Debitum proximè remotum eſſe incluſionem in pacto hujus determinatè Perſonæ. Debitum proximum eſſe ipſum peccâſſe in Adam.

## Reſpondetur ad Objectiones.

71. Primæ Objectionis Nego Aſſumptum. Probationem primam Diſtinguo. Si admittatur in Virgine DEIpara debitum proximum peccati originalis, conciliantur propoſitiones univerſales Scripturæ cum Conſtitutionibus aliquibus, non tamen cum quibusvis, nec cum Concilio Tridentino, nec cum doctrina Auguſtini, aliorúmque Patrum, & Theologorum, & tale quid admittitur, quod repugnet rationi Theologicæ. Concedo Antecedens. Si admittatur in Virgine debitum proximum peccati, conciliantur propoſitiones univerſales cum quibusvis Conſtitutionibus, cum Concilio Tridentino, cum Doctrina Auguſtini, aliorúmque Patrum & Theologorum, nec quidquam admittitur repugnans rationi Theologicæ. Nego Antecedens, & Conſequentiam. Et Dico: admiſsô debitô proximô peccati originalis, conciliari propoſitiones univerſales Scripturæ cum quibusdam Conſtitutionibus Apoſtolicis, nimirum cum Conſtitutione Alexandri VII. quod ipſum omitto: non tamen cum quibusdam aliis, quia non conciliantur cum brevi Iñocentii XI. ad Leopoldum I. Imperatorem edito Annô Domini 1678. die 18. Decembris, quo Pontifex cenſet *Beatam MARIAM in Adam non peccâſſe* dum in officiolo Conceptionis recitari jubet. *Te pulchram ornavit ſibi ſponſam, quæ in Adam non peccavit*, locò illius, quod in eodem officiolo habebatur. *Te pulchram ornavit ſibi Sponſam, in qua Adam non peccavit.* Non conciliantur etiam eædem propoſitiones univerſales Scripturæ cum Concilio Tridentino. Hoc enim illam Scripturæ propoſitionem, *omnes in Adam peccaverunt*, ex qua deducit, & ſuô Decretô definit ab omnibus Adæ poſteris contrahi peccatum originale, non vult accipi in ea univerſalitate, *ut etiam B. Virgo DEIpara comprehendatur*, dum Seſſ. 5. Decretô de peccato originali declarat: *non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam Virginem MARIAM DEI Genitricem.* Non conciliantur ulteriùs hæ ipſæ propoſitiones cum Doctrina S. Auguſtini. Hic enim lib. de Natura & gratia, propoſitiones Scripturæ univerſales de peccatis vult intelligi cum exceptione B. Virginis, dum dicit: *Excepta ſancta MARIA Virgine, de qua propter honorem Domini, nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, haberi quæſtionem volo.* Pariter non conciliantur cum doctrina aliorum Patrum, ùt Anſelmi, Bonaventuræ &c. Prætereà propter hanc conciliationem univerſalium Scripturarum circa originale peccatum cum Conſtitutione Alexandri VII. dum in Virgine admit-

admittitur debitum proximum peccati originalis, admittitur aliquid tale, quod repugnat rationi Theologicæ; ipsum enim debitum proximum est tale, quod repugnat rationi Theologicæ. Siquidem illô admissô necesse est admittere, quòd Beata Virgo, peccante Adamo, peccaverit in Adam, quod maximè horrent piæ sententiæ Propugnatores.

Omissum suprà volui, quòd cum Scripturis universaliter de peccato in Adam loquentibus, concilietur Constitutio Alexandri VII. admissô in DEIpara debitô proximô peccati. Tum quia Alexander VII. in eadem sua Constitutione innovat Constitutiones Sixti IV. Pauli V. Gregorii XV. suorum Prædecessorum editas in favorem piæ sententiæ, asserentis animam B. MARIÆ Virginis in sua creatione, & in corpus infusione Spiritûs Sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præservatam, quibus verbis illam sententiam piam appellat, quæ hæc duo asserit, *primum, quòd B. Virgo in sua Conceptione fuerit sanctificata, alterum, quòd B. Virgo fuerit præservata à peccato originali*, quorum unum non nisi asserit, & admittit sententia, quæ in Beatissima vult dari debitum proximum peccati, nimirum asserit, quòd anima illius in sua creatione, & in corpus infusione Spiritûs Sancti gratiâ fuerit donata; non asserit, nec potest asserere alterum, quòd B. Virgo præservata fuerit à peccato originali. Quomodo enim ab hoc fuit præservata, quæ in Adam peccavit? peccavit verò ratione debiti proximi, seu ratione alligationis voluntatis suæ voluntati Adam peccantis. Ergo. Tum quia Pontifex in hac sua Constitutione refert se ad veterem Christi Fidelium pietatem, quæ certè ea, sicut & nunc est, quòd sentirent Virginem DEIparam non solùm in animæ suæ creatione sanctificatam fuisse, sed etiã non peccâsse in Adam. Ergo Pontifex si non explicitè & expressè, tamen implicitè & tacitè non vult admitti in Beata Virgine MARIA debitum proximum peccati originalis, ex quo sequitur illam defactò peccâsse in Adam.

72. Secundæ Probationis. Omisso Antecedente, neganda est Consequentia, nimirum, quòd debeat admitti debitum proximum peccati originalis in B. DEIpara Virgine ex eo quòd illô admissô, faciliùs explicetur ejusdem B. Virginis immunitas à macula habituali peccati originalis, quàm explicetur negatô talî debitô. Cùm enim multæ veritates sint difficiles, fieri potest, ut difficiliùs aliqua veritas ostendatur conjuncta alteri veritati, quàm conjuncta opinioni non æquè subsistenti. Potest deinde negari Probationis dictæ Antecedens. Non enim difficiliùs ostenditur immunitas B. Virginis à macula peccati originalis, si totum suscipiatur salvandum, quod salvari debet, etiamsi dici possit, salvari faciliùs, si aliquid in parte non nisi salvetur, prætermittatur verò, quod præcipuum est, aut etiam negetur, quod tamen negari non deberet, ùt fit, dum salvatur sanctificatio B. Virginis in sua Conceptione, & negatur, quòd non peccaverit in Adam. Præterea potest distingui idem Antecedens. Difficiliùs ostenditur, qua ratione B. Virgo præservata sit à debito proximo peccati, quod tamen omnino ostendi debet, quàm ostendatur &c. Concedo Antecedens. Difficiliùs ostenditur, qua ratione B. Virgo præservata sit à debito proximo peccati, neque id ostendi debet, quàm ostendatur &c. Nego Antecedens, & Dico. Quamvis difficulter aliquid ostendatur, si tamen ostendi debeat, superanda hæc difficultas; secùs si non debeat ostendi. Porrò ostendi debet, qua ratione B. Virgo præservata sit à debito proximo peccati, quia hoc in ea nulla ratione admitti debet; cùm repugnet ejus summæ sanctitati, quia infert per infallibilem Cõsequentiam, quòd B. Virgo peccaverit in Adam. Sic arguendo: Quando ponuntur omnia essentialia requisita ad esse peccati B. Virginis in Adam, tunc ponitur & ipsum peccatum ejusdem in Adam. Sed quando ponitur peccatum Adæ, & debitum proximum peccati in B. Virgine, seu alligatio voluntatis B. Virginis voluntati Adæ, ponuntur essentialia omnia requisita ad esse peccati B. Virginis in Adam. Quæ enim respectu aliorum posterorum sunt essentialia requisita, quibûs positis intelliguntur peccare in Adam, eadem sunt proportionatè requisita, ad quorum positionem debet intelligi B. Virgo peccare in Adam.

 Porrò

Porrò alii posteri per hoc præcisè peccârunt in Adam, quod peccaverit Adam, & quòd ejus voluntati sint alligatæ voluntates posterorum. Ergo. Ad ulteriorem Probationem Antecedentis Dico. Seriem & coordinationem actuum, & Decretorum DEI, aliam instituendam esse, & non eam, quæ per objectionem instituitur. Nimirum hæc coordinatio fieri debet juxta doctrinam traditam N. 47. 52. & 59. Disp. 2. Ut in primo signo intelligatur scientia simplicis intelligentiæ, quâ videat omnia possibilia esse, quæ creaturus, & facturus est. In secundo signo intelligatur scientia Media, ùt habetur dicta Disp. num. 47. in coordinatione 3tia. In tertio signo intelligatur Decretum de creatione mundi, Adami, & posterorum ejus, qui deinde in tempore existunt, quo nihil adhuc statuatur de creatione B. Virginis, intelligitur præceptum impositum Adæ, de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali. Constitutio ejusdem Adami in caput suorum posterorum, pactum DEI cum ipso, quo voluntati illius alligabantur voluntates posterorum, quos exstituros in hoc signo decrevit. De Matre DEI, ejus existentia, productione per propagationem naturalem, alligatione voluntatis illius voluntati Adæ, nihil in hoc signo statuitur, sicut nec statuitur quidquam de existentia Christi. In quarto signo intelligitur Adam peccare, per esum fructûs vetiti, & in eo omnes posteri inclusi in pacto. In quinto signo decernitur Incarnatio, & existentia Christi, intelliguntur merita ipsius, illórumque applicatio generi humano, & singulariter Virgini Matri suæ, hujus electio, & productio intuitu meritorum Christi, non alligatio voluntatis ejus voluntati Adæ, licèt per propagationem naturalem DEUS voluerit illam descendere ab Adam, ac immaculata ipsius Conceptio, & quoad hoc, quòd non præcesserit peccatum dictæ Virginis in Adam, & quòd in primo suæ Conceptionis instanti, sanctificata fuerit; secundùm hanc seriem & coordinationem actuum Divinorum Beata Virgo MARIA in quarto signo, siquidem necdum intelligitur esse, non intelligitur quoque exempta à pacto, vel illi alligata & inclusa, non intelligitur præservata. Esse enim præservatam, esse exemptam à pacto, &c. supponunt illam esse simpliciter, seu supponunt, quòd sit exstitura, quod in quarto signo non habetur, sed habetur in quinto signo, post decretam Christi existentiam, merita ipsius, eorúmque applicationem v. N. 59. Disp. 2.

73. Tertiæ Probationis. Nego Minorem tam primi, quàm secundi Argumenti. Probationis ulterioris Nego Sequelam. Et Dico, supposita alligatione voluntatis Virginis DEIparæ voluntati Adæ, supposito etiam peccatô Adæ, seu quòd hic peccaverit, Beatam Virginem non potuisse non peccare in Adam per hoc, quòd peccatum Adæ, supposita alligatione voluntatis posterorum voluntati Adæ, non est peccatum solius Adæ, sed est peccatum tam Adæ, quàm posterorum ejus ab Adam physicè commissum, à posteris ejus moraliter. Sola tamen alligatio voluntatis alicujus posteri voluntati Adæ secundùm se non est peccatum, quia est indifferens, ut illâ positâ ponatur, vel non ponatur peccatũ Adæ, sinè quo non intelligitur peccatum posterorum in Adam. Adverto, alligationem hanc voluntatis omnino fuisse necessariam, ut peccante physicè Adamo, posteri ejus peccarent in ipso moraliter. Non esse tamen dictam alligationem peccatum, quia in denominatione peccati in Adam, venit in obliquo, & per modum conditionis alligatio. Porrò non id, quod venit in obliquo in denominatione peccati, est peccatum, sed id, quod venit in recto. Sicut dictamen conscientiæ practicum proponens primam regulam morum, licèt sit necessariò requisitum ad rationem peccati formalis, quatenus peccatum formale non est, si desit tale dictamen, tamen ipsum hoc dictamen non est peccatum formale, sed potiùs actus voluntatis contraveniens dictamini, est peccatum formale. Adverto secundò. Inter debitum proximum peccati, seu inter alligationem voluntatis alicujus posteri voluntati Adæ, & inter ipsum peccatum esse connexionem partis cum toto, similem connexioni, qua dictamen conscientiæ connectitur cum peccato formali ùt tali, adeoque inter hæc solùm esse

&

& sufficere distinctionem realem inadæquatam.

74. Quartæ Probationis Nego Antecedens, & ulterioris Probationis Sequelam. Hujus Sequelæ Probatio potest in Adversarios in pluribus instantiis retorqueri. Nimirum hôc modô: si B. Virgo propter merita Christi præservata fuisset à peccatis actualibus, & non fuissent ab iisdem præservati alii homines propter eadem merita, Christus ejúsque merita essent causa, ob quam alii homines distincti à B. Virgine, peccarent peccatis actualibus sive venialibus, sive mortalibus. Ergo cùm hoc dici non debeat, non debet quoque dici, Beatam Virginem Mariam propter merita Christi, fuisse præservatam à peccatis actualibus. Et iterum, si aliqui homines ex meritis Christi acciperent gratias efficaces ad vincendas tentationes, ad servanda præcepta; alii verò ex dictis meritis non acciperent hujusmodi gratias, sed acciperent gratias inefficaces, Christus, ejúsque merita essent causa, quòd aliqui homines succumberent tentationi, transgrederentur præcepta. Atqui Sequela non est admittenda, aliàs specialis DEI providentia, & benevolentia si exerceretur circa aliquos, deberet exerceri circa omnes. Ergo. Et rursus, si ex meritis Christi bonus Latro in cruce accepisset gratiam veræ & fructuosæ pœnitentiæ, gratiam finalem, & paradisi adeundi securitatem, quæ ex meritis Christi non accepisset Latro malus, Christus, ejúsque merita essent causa perditionis mali Latronis, ejúsque à paradiso exclusionis. Atqui hoc non est dicendum. Ergo. Directè Probationem Sequelæ Distinguo. Si propter merita Christi, Beata Virgo esset immunis ab alligatione suæ voluntatis voluntati Adæ; non essent verò ab hoc immunes alii posteri Adæ, Christus & ejus merita essent causa indirecta, negativa, eáque indifferens, atque etiam causa per accidens hujus, quòd alii posteri Adæ peccaverint in Adam. Concedo Sequelam. Christus, & ejus merita essent causa directa, positiva, determinata, & causa per se hujus, quòd alii posteri Adæ in Adam peccaverint. Nego Sequelam. Distincta similiter Minore, Nego Consequentiam, & Dico, admitti posse Christum, ejúsque merita esse causam indirectam, negativam, indifferentem, & causam per accidens peccati posterorum Adæ. Cùm ipse de se dicat, si non venissem, & locutus non fuissem, peccatum non haberent. Est Christus, causa indirecta peccati posterorum. Quia non respicit directè peccatum ex alligatione voluntatum secuturum, sed indirectè, quia merè passivè ad illud se habendo. Est causa negativa, quia causat peccatum non per influxum positivum, sed præcisè per hoc, quòd non causet immunitatem ab alligatione voluntatum &c. Est causa indifferens peccati, quia est causa alligationis indifferentis, ut ad illius positionem peccet Adam, & præceptum transgrediatur, vel ut illud observet, adeoque, ut in Adam peccent, vel non peccent posteri. Tandem Christus & merita ejus, sunt causa per accidens peccati, quia merita Christi, neque ex natura sua sunt ordinata ad peccatum sive Adæ, sive posterorum ejus in ipso, neque ex intentione Christi fuerunt ordinata in hunc finem, ut poneretur peccatum. Cùm Christus non applicando sua merita ad obtinendam immunitatem ab alligatione voluntatum posterorum voluntati Adæ, nullam propensionem & inclinationem habeat ad peccatum, sed potiùs hoc aversetur, nolitque illud esse vel fuisse. Ex eo adhuc Christus fuit causa per accidens peccati posterorum Adæ, quia ità non impedivit suis meritis alligationem voluntatum &c. ut nulla lege, nulla obligatione teneretur ad impediendam alligationem prædictam voluntatum posterorum Adæ voluntati ipsius Adæ. Porrò causa non impediens effectum, quem non tenetur impedire, non impediens itèm principia effectûs, quæ pariter non tenetur impedire, non est causa per se, sed est causa per accidens ipsius effectûs.

Dices. Christus ejúsque merita sunt causa per se, cur B. Virgo non peccaverit in Adam, causando ipsius immunitatem ab alligatione suæ voluntatis voluntati Adæ. Ergo idem Christus, ejúsque merita sunt causa per se peccati posterorum in Adam per hoc, quòd non causaverint immunitatem posteris ab alligatione voluntatis ipsorum voluntati Adæ. Respondeo Negando Consequen-

ſequentiam. Ratio Diſparitatis eſt, Ideo Chriſtus, ejúſque merita ſunt cauſa per ſe, cur Beata Virgo non peccaverit in Adam, obtinendo immunitatem ab alligatione voluntatis ipſius voluntati Adæ. Quia Chriſtus merendo immunitatem à prædicta alligatione, intendebat directè & determinatè immunitatem Virginis à peccato, tale aliquid cauſando, ad quod neceſſariò ſequitur ejuſdem Virginis immunitas à peccato in Adam, etiamſi Adam peccet. Et quia Chriſtus, dum ità meretur, per poſitivum influxum ſuorum meritorum operatur cum inclinatione & complacentia in immunitate Virginis à peccato. E contra, dum Chriſtus non applicat ſua merita ad obtinendam immunitatem aliorum poſterorum ab alligatione voluntatis ipſorum voluntati Adæ, non intendit directè & determinatè peccatum poſterorum, ſed ſe habet indifferenter ad peccatum; cùm ipſa alligatio, quam non impedit, non inferat neceſſariò peccatum Adæ, ad cujus nonniſi poſitionem habetur peccatum poſterorum in Adam, nullam habet inclinationem ad peccatum, nullam in illo complacentiam. Habet ſe merè permiſſivè & negativè, ſi non ad alligationem voluntatum &c. certè ad peccatum, quatenus non impedit alligationem, quam non tenetur impedire.

75. Objectionis ſecundæ Nego Aſſumptum. Primæ Probationis Diſtinguo Antecedens. Ad rationem debiti remoti requiritur, ut ratione propagationis naturalis, ſit quædam neceſſitas & convenientia contrahendi peccatum, niſi eximatur quis, & liberetur à peccato; requiritur, inquam, taliter, ut conditio illa, ſi non liberetur à peccato, afficiat terminum, quem reſpicit talis neceſſitas, nimirum contractionem peccati. Concedo Antecedens. Requiritur taliter, ut conditio appoſita afficiat neceſſitatem peccati, ſeu debitum, & denotet debitum non contrahi, ſi ſit exemptio à peccato. Nego Antecedens. Vel ſic Diſtinguo. Ad rationem debiti remoti requiritur neceſſitas contrahendi peccatum, niſi quis ab eo præſervetur per conditionem appoſitam, ſignificando meram indifferentiam ad contrahere, vel non contrahere peccatum. Concedo Antecedens. Per Conditionem ſignificando requiſitum ad rationem debiti illud complens & conſtituens in eſſe talis debiti. Nego Antecedens, & Conſequentiam.

76. Probationis ſecundæ Nego Conſequentiam. Ad ulteriorem Probationem Dico: Etiamſi aliqui Theologi debitum remotum conſtituant in pacto inito cum Adam, tamen longè communiùs ab aliis conſtituitur in deſcenſione ab Adam poſterorum per propagationem naturalem, licèt aſſumptibili pro conditione per pactum &c. Quia debitum remotum tenet ſe ex parte objecti, habétque ſe per modum conditionis objectivæ, cui per pactum alligatur incluſio poſterorum, ut illi nonniſi poſteri ex vi pacti contracturi ſint peccatum originale, qui per propagationem naturalem deſcendunt ab Adam. Eſt debitum illúdque remotum, quia eſt debitum inadæquatum, debétque compleri per pactum, quô in ratione debiti adæquati & completi, adeoque in ratione debiti proximi completur per pactum initum cum Adam. Debitum proximum conſiſtit in pacto incluſivo quorumvis poſterorum, & alligativo voluntatis ipſorum voluntati Adæ. Et cùm incluſio, vel excluſio alicujus poſteri fiat per ipſummet pactum, & non per actum à pacto diſtinctum, non rectè in pacto conſtituitur debitum remotum peccati; ſicut in incluſione in pacto, non rectè conſtituitur debitum proximum talis peccati; aut debitum proximè remotum. Ipſum etiam peccare in Adam, non rectè dicitur eſſe debitum proximum peccati; neque enim eſt debitum ſuiipſius, quia debent hæc diſtingui, peccatum, & debitum ejuſdem peccati, neque etiam eſt debitum cujuſpiam alterius peccati, quia in præſenti nullum aliud peccatum intelligitur, præter peccatum in Adam.

Adverto nihilominus, in præſenti materia poſſe admitti triplex debitum, unum remotum annexum deſcenſioni ab Adam per propagationem naturalem; alterum proximum conſiſtens in alligatione voluntatis poſterorum incluſorum in pacto voluntati Adæ, quod debitum eſt debitum reſpectu peccati in Adam. Tertium debitum conſiſtit in ipſo pecca-

to posteri peccantis in Adam, quòd tale peccatum est debitum respectu maculæ in anima prolis, in conceptione contractæ.

## PUNCTUM II.

## An Beata Virgo MARIA fuerit immunis ab omni peccato actuali personali, ídque ratione alicujus impeccabilitatis sibi convenientis?

77. Quamvis Ecclesia necdum definiverit, quòd credi debeat tanquam fidei articulus, quòd Beata Virgo DEIpara in sua Conceptione fuerit immunis à peccato originali, tamen eadem Ecclesia firmiter tenet, & vult à fidelibus credi, quòd Virgo Beata nullum unquam peccatum actuale, etiam veniale, in tota vita sua commiserit, ùt habetur in Concilio Tridentino Sess. 6. Can. 23. ubi sic dicitur: *Si quis hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali DEI privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, Anathema sit.*

Dogma hoc fidei deducitur ex illo Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in Te.* Estque expressa SS. Patrum doctrina. S. Augustinus lib. de natura & gratia, de Beata MARIA Virgine sic habet: *Scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quòd concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* S. Hieronymus in Psal. 77. *Beata Virgo pulchra dicitur nubes diei, quia non fuit in tenebris, sed semper in luce.* S. Bernardus Epist. 174. inquit: *decuit, ut absque omni peccato duceret vitam, quæ munus vitæ omnibus obtineret, Mediatrix pro actualibus hominum delictis.* S. Thomas Doctor Angelicus hanc ipsam propugnat veritatem 3. parte Quæst. 27. art. 4. in ☉ eámque hac ratione probat: *quia non esset idonea Mater DEI*, quam sequelam ulteriùs evincit quatuor rationibus, quas propositas habes superiùs Num. 54. Quæ illic dicta sunt, hic ea non repeto.

78. Quæri à quibusdam solet, Beata Virgo MARIA à quo tempore caruit peccatô actuali, an à tempore, quô in utero suo Virgineo concepit Filium DEI, an verò à sua conceptione, & primo rationis & libertatis usu? Sed dicendum & tenendum est, eam caruisse omni peccatô actuali statim à sua conceptione & primo rationis ac libertatis usu, ùt patet ex Concilio Tridentino, quod ità negat quenquam semel justificatum posse totâ vitâ suâ omnia peccata etiam venialia vitare, nisi ex speciali DEI privilegio, ut asserat Ecclesiam id tenere de Beata Virgine MARIA, nimirum quòd illa ex speciali DEI privilegio totâ vitâ suâ, adeoque à primo conceptionis suæ instanti, potuerit vitare, & defacto vitaverit omnia actualia peccata etiam venialia. Et ratio est, quia sicut multa alia privilegia ratione Maternitatis DEI, decebant Virginem DEIparam, illique debebantur, ità & privilegium immunitatis, per totam vitam à quovis peccato actuali, ratione Maternitatis DEI, decebat Virginem Matrem, eique debebatur. Nec obstat, quòd Beata Virgo nonnisi à conceptione Filii DEI, in suo utero fuerit Mater DEI, non verò à sua conceptione, in utero S. Annæ. Quare privilegia, quæ illi ratione Maternitatis DEI debebantur, tunc primùm eidem conferri debebant, quando cœpit esse Mater DEI. Non obstat, inquam. Etiamsi enim Beata Virgo MARIA, non fuerit Mater DEI in actu exercito, nisi à tempore, quô in suo utero concepit Filium DEI, tamen fuit Mater DEI in electione Divina, & destinatione ad tantam Dignitatem. Sicut ergo alia privilegia debebantur Virgini DEIparæ ratione destinationis ad tantum munus, cùm primum B. Virgo talium privilegiorum fuit capax, ità & privilegium illud speciale, ex vi cujus Beata Virgo fuit immunis à quovis peccato actuali, debebatur eidem, cùm primum illius capax fuit. Sed fuit illius capax à primo instanti suæ conceptionis, & à primo usu rationis & libertatis. Ergo tunc statim hoc privilegium illi debebatur, adeoque debebatur, antequam Virgo conciperet Christum. Quia debebatur, ut præpararetur ad id, ad quod fuit electa, hoc est, ut esset idonea Mater DEI.

79. Qui in B. Virgine DEIpara peccatum quærunt hæretici, arguunt illam de sequentibus peccatis. Primò de peccato incredulitatis, quod ipsam dicunt commisisse, dum Angelo Incarnationem nuncianti dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Secundò, arguunt illam de peccato incuriæ, quando amisit Jerosolymis Filium tunc duodennem. Tertiò, arguunt de peccato cujuspiam desperationis, vel alterius inordinati affectûs commissi tunc, dum Christo diceret: *Fili quid fecisti nobis sic?* Quartò arguunt adhuc Beatam Virginem cujusdam inconsiderationis vel negligentiæ in intelligenda doctrina Christi, ùt habetur Lucæ 2. *Ipsi verò* (id est Parentes Christi) *non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.* Quintò, tandem arguunt Virginem DEIparam de peccato cujusdam vanitatis in quærendo Christi miraculo, cùm in nuptiis Canæ Galilææ Christo Filio suo diceret: *Vinum non habent.*

80. Verùm frustrà hi latratus; non hosce timebit pulchra ùt luna canes, quæ sinè labe micat. Christus ipse à Calvino arguitur de peccato, nimirum de blasphemia, cùm in cruce inter dolores clamans diceret: *DEUS DEUS meus, ut quid dereliquisti me!* Et quid mirum erit, quòd etiam ipsius Matris DEI puritas & innocentia à quibusdam blasphemiis & convitiis impugnetur. Directè ad primam objectionem respondet Ambrosius lib. 1. in Lucam: *MARIA cùm dicit: quomodo fiet istud? non de esse itâ dubitavit, sed qualitatem ipsius effectûs quæsivit.* Id ipsum sentit S. Bernardus, Serm. 4. super missus est, ubi dicit: *non dubitat de facto, sed modum requirit, & ordinem; neque enim, quærit an fiet istud. sed quomodo?* Ad secundam objectionem Respondeo. Beatam Virginem DEIparam & Sanctum ejus Sponsum, non rectè argui de aliqua incuria, seu negligentia in custodiendo Christo; non incuriâ ipsorum contigit illa Christi duodennis amissio, sed voluntate ipsius Christi declinantis à comitatu Parentum, aliorúmque cognatorum, & per prudentem dissimulationem Parentum innixam fortissimæ persuasioni de magna Christi Sapientia & prudentia, & quòd optimum esset futurum, quidquid facere vellet. Ad tertiam Dico. Verba illa, illámque Virginis postulationem: *Fili quid fecisti nobis sic?* esse verba pietatis, & tenerrimi in Filium amoris, non verba desperationis, aut alicujus inordinati affectûs. Ad quartam objectionem Dico: In eo, quòd MARIA, & S. Joseph non intellexerint aliqua Christi verba, non culpam aliquam ipsorum intervenisse, sed voluntatem Christi volentis, ut aliqua Doctrina ipsius propter profunditatem mysterii ad aliquod tempus lateret Virginem Matrem. Ad quintam objectionem Dico: Illa verba Virginis Matris in nuptiis ad Filium: *Vinum non habent*, fuisse discretam insinuationem indigentiæ Neosponsorum, non molestam petitionem, aut imperium, nec ullum alium actum culpabilem, ùt sentit S. Bernardus serm. 6. in Cantica: *Non precatur, non imperat: sed tantùm defectum vini nunciat, quia cum beneficiis & ad liberlitatem propensis non gratia violenter exprimenda, sed solùm est occasio proponenda.* Nec ex illis verbis Christi dictis ad Beatam Virginem: *Quid mihi & tibi Mulier?* rectè infertur Christo displicuisse petitionem Matris; nam ùt censet S. Augustinus Quæst. 136. ad Gentes: *Non verbô Matrem objurgavit, qui factô honoravit.* Quò verò sensu intelligi debeant illa verba: *Quid mihi & tibi Mulier?* Exposuit S Epiphanius Hæref. 5. *Quid mihi & Tibi est Mulier? Quid ad me, vel ad Te attinet, Mater, vinum providere nunc in hoc convivio?*

Cùm igitur ex fide certum sit Beatam DEI Matrem nullo unquam peccato actuali peccâsse, quæritur ulteriùs à Theologis, an hæc immunitas à peccato actuali, seu personali fuerit ex aliqua impeccabilitate, & quali? Difficultatem hanc tribus sequentibus resolvam paragraphis.

## §. I.

### An Beata Virgo DEIpara fuerit impeccabilis peccatô actuali & personali, & qualis fuerit hæc ipsius impeccabilitas?

81. Præmitto. Nomine impeccabilitatis, intelligi impotentiam, ex vi cujus Beata Virgo non potuit peccare. Im-

Impeccabilitas, seu impotentia peccandi dividitur in metaphysicam, physicam, & moralem. Impeccabilitas metaphysica est, ex vi cujus repugnat metaphysicè alicui omne peccatum, ità ut per nullam potentiam possit peccare. Talis impeccabilitas fuit in humanitate Christi, cui ratione unionis hypostaticæ ità repugnat omne peccatum, ut per nullam potentiam possit peccare. Impeccabilitas physica est illa, ex vi cujus per potentiam ordinariam peccatum repugnat cuipiam, licèt non repugnet per absolutam. Talem impeccabilitatem defendunt Scotistæ in humanitate Christi, prout unita VERBO, quam volunt esse impeccabilem ratione visionis beatæ. Quia tamen, ùt putant, Humanitas prout unita VERBO exigit non nisi exigentiâ physicâ visionem beatam, cui exigentiæ per absolutam potentiam contraveniri potest, censent humanitatem, prout unitam VERBO in sensu diviso visionis beatæ posse absolutè peccare. Impeccabilitas moralis est, ex vi cujus potest quis peccare non solùm metaphysicè, sed etiam physicè, & per potentiam ordinariam; non potest verò ratione difficultatis alicujus in peccando, & potentis inclinationis ad non peccandum, ità ut non sit prudenter sperabile, eum, qui talem inclinationem habet, non esse peccaturum.

Dividitur secundò impeccabilitas in antecedentem, & consequentem. Impeccabilitas antecedens est, quæ se tenet ex suppositione antecedente, seu ex parte actûs primi. Hæc aliquando habetur per defectum alicujus necessariò requisiti ad peccandum, ùt si v. g. desit cognitio indifferenter proponens objectum vel si non adsit concursus DEI indifferens. Aliquando habetur per aliquid positivum, v. g. per principium ex se determinatum ad unum sublativum libertatis; ubi enim nulla datur libertas, ibi peccatum actuale esse non potest. Et sic in voluntate per qualitatem necessitantem necessitate ad unum, v. g. ad actum honestum exclusivum peccati, qualis actus est actus amoris DEI super omnia, habetur impeccabilitas antecedens. Impeccabilitas consequens est impeccabilitas proveniens ex suppositione consequente, hoc est, ex suppositione exercitii libertatis incompossibilis cum peccato, illúdque seipso excludentis, vel ex suppositione alicujus constituti per tale exercitium, aut illud supponentis. Talis impeccabilitas est impeccabilitas habita ratione auxilii efficacis, suam efficaciam desumentis ab actu bono saltèm conditionatè futuro, incompossibili cum peccato. Adverto primò. Impeccabilitatem antecedentem posse esse vel metaphysicam, vel physicam, vel moralem. Quia ex parte actûs primi potest esse aliquid vel metaphysicè, vel physicè, vel moraliter connexum cum exclusione peccati. Impeccabilitas consequens est plerumque impeccabilitas metaphysica, cùm plerumque exercitium libertatis, ex cujus suppositione impossibile est poni peccatum, sit metaphysicè incompossibile cum peccato, ejúsque metaphysicè exclusivum. Quòdsi fuerit solùm exclusivum physicè, erit impeccabilitas physica. Proportionatè discurrendum de exercitio libertatis solùm moraliter exclusivo peccati, quòd impeccabilitas ex suppositione talis exercitii sit impeccabilitas consequens moralis. Adverto secundò. Impeccabilitatem antecedentem, præsertim metaphysicam tollere libertatem ad peccatum, adeoque qui habet hujusmodi impeccabilitatem, non esse liberum ad peccandum, si præsertim non sit in potestate habentis talem impeccabilitatem, illam à se amovere, ejúsque sensum divisum facere. Impeccabilitas consequens, cùm habeatur ex vi liberæ determinationis, non tollit libertatem, sed illam formaliter dicit, vel supponit; siquidem habetur per exercitium libertatis exclusivum peccati.

Dividitur tertiò impeccabilitas in intrinsecam, & extrinsecam. Impeccabilitas intrinseca est, quæ habetur ratione principii intrinseci ipsi operanti, exclusivi peccati, seu connexi cum exclusione peccati. Talis impeccabilitas est impeccabilitas Christi, quæ habetur in ipso ratione unionis hypostaticæ, & ratione visionis beatæ intrinsecæ humanitati Christi, excludentis potentiam peccandi. Impeccabilitas extrinseca est, quæ habetur per aliquid extrinsecum, ratione cujus excluditur potentia peccandi, v. g. habetur vel per prote-

ctionem DEI extrinſecam, quæ removet occaſiones peccandi, vel per negationem concurſûs DEI indifferentis ad peccandum, vel non peccandum; ſive per Decretum, quô DEUS decerneret ſe ad nullos actus peccaminoſos concurſum præſtiturum, ſed daturum non niſi concurſum ad actus bonos; vel indifferentes.

82. Hôc præmiſſô certum eſſe videtur Beatam Mariam Virginem habuiſſe aliquam impeccabilitatem. Tum quia, quòd non peccaverit unquam tam mortaliter, quàm venialiter, non eſt factum ex caſu aliquo fortuito, & merè contingenter, ſed factum eſt ex aliqua neceſſitate non peccandi, ſeu ex impotentia peccandi. Aliqua enim talis impotentia nulli perfectioni Beatiſſimæ repugnat, imò ipſam decet. Tum quia Beata Virgo DEIpara vitavit omnia peccata etiam venialia per totam vitam ex ſpeciali DEI privilegio, ut docet Tridentinum. Ergo hoc privilegium Virgini Matri conceſſum, in Beatiſſima fuit quædam neceſſitas non peccandi, adeoque ratione illius Beata Virgo habuit impotentiam peccandi, ſeu impeccabilitatem. Quæritur itaque in præſenti, qualem Beata Virgo impeccabilitatem, an metaphyſicam, an phyſicam, an moralem? Itèm an antecedentem, an conſequentem, an utramque? Tandem, an Beata Virgo habuerit impeccabilitatem intrinſecam, an extrinſecam, an utramque?

83. Dicendum eſt primò. Beatam Virginem DEIparam non fuiſſe impeccabilem impeccabilitate metaphyſica, & phyſica, fuiſſe impeccabilem impeccabilitate antecedente morali.

Prima pars probatur. Tum quia non repugnat ſimpliciter Matrem DEI fuiſſe peccatricem; ſi enim non repugnat, ut VERBUM Divinum aſſumeret naturam humanam in ante peccatricem, multò minùs repugnat, ut idem VERBUM carnem ſumeret ex Matre peccatrice. Ergo Virgo DEIpara non fuit impeccabilis impeccabilitate antecedente metaphyſica, & phyſica. Neq; enim fuit impeccabilis taliter ratione maternitatis ſimpliciter, cùm non repugnet ſimpliciter Matrem DEI fuiſſe in ante peccatricem. Neque fuit impeccabilis ratione maternitatis hujus determinatè, quâ Virgo Beata fuit, & eſt de præſenti Mater DEI. Quia talis impeccabilitas non pertinet ad excellentiam Virginis Matris, cùm ſufficiat impeccabilitas antecedens moralis, itèm impeccabilitas ex ſuppoſitione conſequente, & impeccabilitas extrinſeca, imò impeccabilitas antecedens metaphyſica diminuat excellentiam Virginis, quia libertatem, meritum, laudabilitatem, & gloriam Virginis. Tum quia, ſi Beata Virgo eſſet impeccabilis impeccabilitate antecedente metaphyſica vel phyſica, eſſet impeccabilis vel ob defectum alicujus neceſſariò requiſiti ad peccandum, v. g. propter defectum cognitionis indifferenter proponentis objectum præceptum, aut ob defectum concurſûs in actu primo indifferentis ad peccandum, vel eſſet impeccabilis propter aliquod poſitivum ſublativum poteſtatis ad peccandum, v. g. ratione alicujus qualitatis ſeipſa excluſivæ peccati, aut connexæ cum actu, qui ſit incompoſſibilis cum peccato. Sed ex neutro hoc capite Virgo Beata eſt impeccabilis impeccabilitate antecedente metaphyſica, ſive phyſica. Non ob defectum alicujus neceſſariò requiſiti ad peccandum, v. g. ob defectum cognitionis indifferentis. Hanc enim cognitionem Beata Virgo habuit, nec eſt ratio talem cognitionem in ipſa negandi, utpote neceſſariam ad exercendam libertatem. Non etiam Beata Virgo fuit impeccabilis ob defectum concurſûs Divini, quia neque hic concurſus defuit; hunc enim concurſum nulli enti libero DEUS ſubtrahit, ſed nec ſubtrahere poteſt ſalva ejus libertate. Porrò Beata Virgo fuit perfectè libera, quia libertas hæc fuit illi neceſſaria ad meritum. Non fuit etiam Beata Virgo impeccabilis ratione alicujus poſitivi ſublativi libertatis, & poteſtatis ad peccandum, v. g. ratione qualitatis alicujus determinantis Beatam Virginem ad actum excluſivum peccati. Quia talis qualitas non dabatur, nec debuit dari in Beata Virgine, utpote ſublativa, vel diminutiva libertatis, quæ perfecta concedi illi debet, cùm ea ſit Virgini glorioſior, & ad augenda ejus merita neceſſaria. Certè Beata Virgo non fuit impecca-

peccabilis ratione alicujus qualitatis sibi infusæ permodum habitûs, dictinctæ ab actibus ejusdem. Quia talis qualitas minuit & tollit libertatem, ac merita Virginis DEIparæ; neque fuit impeccabilis ratione actuum suorum vitaliũ; v. g. ratione visionis intuitivæ DEI, vel amoris fruitivi; quia Beata Virgo, quamvis habuerit aliquando hos actus, & tunc, dum illos haberet, ratione ipsorum fuerit metaphysicè impeccabilis, tamen non perpetuò hi actus in Beata Virgine permanebant. Ergo Beatam Virginem non poterant reddere totâ vitâ impeccabilem metaphysicè. Tum quia si Beata Virgo esset impeccabilis impeccabilitate antecedente metaphysica, aut physica, esset impeccabilis ratione maternitatis DEI. Sed non est ratione hujus; maternitas enim non est impeccabilitas metaphysica, aut physica, etiamsi enim hæc sit sanctitas, & forma sanctificans, idque modo excellentiore, quàm gratia habitualis, tamen non est impeccabilitas metaphysica, nec physica, cùm ratio sanctitatis in maternitate DEI possit subsistere; etiamsi non sit hujusmodi impeccabilitas, & cùm non possit esse dicta impeccabilitas, nisi cum sublatione libertatis, meriti, & alicujus gloriæ ipsius Beatissimæ. Tum quia impeccabilitas per speciale DEI privilegium non est impeccabilitas metaphysica, nec physica. Privilegium enim non est sublativum potentiæ naturalis nec libertatis, sed perfectivum ejusdem, potéstque ratio privilegii specialis, ad evitanda quævis peccata, etiam venialia, subsistere absque eo, quòd tollat potentiam ad ea evitanda. Quodsi privilegium sit speciale, hoc est, distinctum ab aliis privilegiis, adeoque etiam ab ipsa maternitate DEI, non apparet ratio, ob quam debeat esse exclusivum metaphysicè, aut physicè omnis potentiæ peccandi.

84. Secunda pars probatur. Quòd Beata Virgo DEIpara fuerit impeccabilis impeccabilitate antecedente morali. Tum quia hujusmodi impeccabilitas relinquit libertatem Virginis DEIparæ sufficientem ad meritum, insuper hæc impeccabilitas decuit Matrem Beatam, éstque illi gloriosa, nec Scripturis, ac Doctrinæ Ecclesiæ repugnat. Ergo est admittenda. Tum quia in DEIpara fuerunt principia talis impeccabilitatis, nimirum Beata Virgo habuit scientiam per se infusam; quâ perfectè cognoscebat turpitudinem peccati, motiva retrahentia à peccato, inanitatem motivorum invitantium ad peccatum, pulchritudinem virtutis, motiva invitantia ad actus honestos peccatis oppositos, cum illisque incompossibiles, habuit plenitudinem gratiæ, habitus infusos virtutum valde intensos, habitus etiam ex frequentatione actuum Virtutum, præcipuè charitatis ortos, valde intensos, & ex his omnibus vehementem inclinationem ad actus non nisi honestos, eósque exclusivos actuum oppositorum inhonestorum; qua inclinatione non fuit ullatenus sperabile, quòd Beata Virgo DEIpara esset aliquando peccatura. Ergo Beata Virgo habuit impeccabilitatem antecedentem moralem. Tum quia in Virgine DEI Matre, ipsa maternitas DEI fuit impotentia moralis antecedens in ratione talis impotentiæ suprema, ùt dixi Num. 31. exigitiva tum protectionis Divinæ externæ removentis à DEIpara occasiones peccandi, avertentis tentationes &c. exigitiva itèm carentiæ fomitis, auxiliorum semper congruorum, & efficacium. Ergo Beata Virgo habuit impeccabilitatem antecedentem moralem.

85. Dicendum est secundò: Beata Virgo fuit impeccabilis impeccabilitate consequente.

Probatur. Quia fuit impeccabilis ex suppositione exercitii suæ libertatis, nimirum ex suppositione, quòd erat liberè cooperatura omnibus gratiæ auxiliis, quæ illi conferenda erant ad vincendum peccatum. Neque enim DEUS alia gratiæ auxilia decrevit conferre Virgini Matri, nisi quæ prævidit futura congrua & efficacia, seu quibus Beata Virgo bene usura, & cooperatura erat cum victoria, & omnis peccati exclusione. Talia enim auxilia, quæ essent congrua & efficacia, decebant Virginem Matrem, eíque ratione maternitatis DEI aliquomodo debebantur.

Hæc impeccabilitas quatenus dicit suppositionem exercitii libertatis Beatæ Mariæ Virginis, seu liberæ coopera-

 tionis

tionis gratiæ Divinæ, est impeccabilitas metaphysica, quia impossibile est metaphysicè peccare eum, qui est non peccaturus, ex suppositione: quòd non sit peccaturus, & in sensu composito omissionis, seu non positionis peccati. Sicut est impossibile, ut non sedeam ex suppositione, quòd sedeam, vel quòd sim sessurus, seu ex suppositione ponendæ sessionis; cùm impossibile sit componi sessionem cum negatione sessionis. Eadem impeccabilitas quatenus respicit, & exigit selectionem, & collationem auxiliorum non nisi congruorum, est solùm impeccabilitas moralis, quia solùm moraliter impossibile fuit talia pro Virgine Matre non seligi, nec decerni auxilia, quatenus decuit DEIparam, eique moraliter debebatur ratione Maternitatis DEI, ut ipsi ea non nisi conferrentur auxilia ad non peccandum, quæ fuerant prævisa futura congrua & efficacia, seu conjungenda cum negatione peccati.

86. Dicendum est tertiò. Beatam Virginem DEIparam habuisse impeccabilitatem tam intrinsecam, quàm extrinsecam.

Probatur. Habuit Beata Virgo impeccabilitatem intrinsecam. Quia habuit tot principia intrinseca, ratione quorum impossibile ipsi fuit peccare. Tale imprimis principium fuit scientia per se infusa, gratiæ habitualis plenitudo, habituum virtuosorum intensio, auxiliorum gratiæ actualis efficacia. Ergo. Habuit quoque eadem Beata Virgo impeccabilitatem extrinsecam, qua ratione quorundam principiorum extrinsecorum habuit impotentiam peccandi, nimirum ratione protectionis DEI extrinsecæ removentis occasiones periculosas peccandi, avertentis tentationes, ratione Decreti Divini, tales decernentis circumstantias, in quibus Beata Virgo non erat peccatura. Ergo.

## Proponuntur Objectiones.

87. Objicitur primò, & probatur, quòd Beata Virgo fuerit impeccabilis impeccabilitate antecedente metaphysica, aut physica saltèm. Tum quia ex una parte non implicat hujusmodi impeccabilitas; ex altera parte decuit, ut Beata Virgo talem haberet impeccabilitatem, quia decuit, ut esset quàm simillima Christo suo Filio, qui ratione Personæ Divinæ, & ratione unionis hypostaticæ fuit impeccabilis metaphysicè. Ergo cùm gloriosissimè sentiendum sit de Virgine DEIpara, sentiendum est eam fuisse impeccabilem metaphysicè, aut physicè, & habuisse talem impeccabilitatem antecedentem. Tum quia Maternitas DEI in Virgine DEIpara fuit impeccabilitas metaphysica aut physica, quia fuit dictæ maternitatis metaphysica, aut physica incomponibilitas cum peccato. Si enim gratia habitualis, eáque sanctificans, secundùm quosdam est metaphysicè incomponibilis cum peccato mortali, secundùm alios est physicè incomponibilis cum eodem maternitas DEI, quæ est perfectior sanctitas, quàm gratia sanctificans, debet esse incomponibilis metaphysicè, vel saltèm physicè cùm peccato. Confirmatur. Justus, seu habens gratiam sanctificantem in tantum non nisi potest peccare mortaliter, in quantum potest per peccatum mortale amittere gratiam sanctificantem, ejúsq; facere sensum divisum; non potest verò peccare mortaliter per potentiam metaphysicam, vel physicam peccatum conjungendo cum gratia. Pari ergo modo Virgo DEI Mater deberet posse peccare per peccatum amittendo Maternitatem DEI, ejúsque sensum divisum faciendo; non potest verò taliter peccare, ut potentiâ metaphysicâ, vel physicâ possit conjungere peccatum cum Maternitate. Et quia DEI Mater per suum peccatum non potest amittere Maternitatem, nec illius sensum divisum facere, postquam semel habita est, siquidem ad præteritum non datur potentia, nimirum ut, quod fuit, & præcessit, non fuerit; cùm etiam non debeat posse componere peccatum cum Maternitate DEI, sequitur Matrem DEI simpliciter, & absolutè fuisse impeccabilem mataphysicè, aut physicè saltèm. Tum quia impotentia metaphysica, sive physica habetur vel per defectum principii, vel requisiti necessarii ad peccandum, vel per positivum aliquid metaphysicè connexum cum exclusione peccati. Sed in Beata Virgine utrumque hoc habebatur, nimirum fuit defectus

principii, seu requisiti necessarii ad peccandum, quia Beata Virgo non habuit concursum in actu primo indifferentem ad peccandum; siquidem DEUS habuit Decretum de subtrahendo concursu generali ad omnem actum peccaminosum. Fuit etiam in Beata Virgine positivum aliquid connexum cum exclusione peccati, idque fuit positivum & permodum habitûs, quia fuit principium supernaturale instrumentaliter concurrens cum potentia naturali generativa ad producendam unionem hypostaticam, quod principium à me aliàs admissum est. Fuit etiam aliud positivum connexum cum exclusione peccati per modum actûs, quia fuit actus perfectissimæ charitatis DEI, in cujus continuo exercitio fuit B. Virgo; qui actus ità est connexus cum exclusione peccati, ut dicat impotentiam metaphysicam non peccandi. Ergo. Tum quia ex eo in Beata Virgine non daretur impeccabilitas antecedens metaphysica, quia hæc tolleret, vel minueret libertatem Virginis Matris, ipsiúsque meritum. Sed hæc ratio non evincit. Nam humanitatis Christi impeccabilitas admittitur metaphysica ratione Personæ Divinæ VERBI ipsam terminantis, & ratione unionis hypostaticæ, etiamsi hæc impeccabilitas tollat libertatem ad actus rigorosè præceptos, consequenter minuat merita Christi. Ergo & in Matre Beatissima potest admitti impeccabilitas metaphysica, etiamsi hæc minuat, aut tollat libertatem ejusdem, ipsiúsque minuat merita.

88. Objicitur secundò, & probatur, Beatam Virginem non fuisse impeccabilem impeccabilitate antecedente morali. Tum quia Beata Virgo habuit perfectissimam libertatem ad merendum. Sed supposita impeccabilitate morali antecedente, non haberet perfectissimam libertatem ad merendum; impeccabilitas enim moralis antecedens, cùm sit necessitas moralis non peccandi, minuit libertatem ad merendum, quia excludit libertatem moralem peccandi, vel non peccandi. Ergo. Tum quia Beata Virgo non fuit impeccabilis impeccabilitate antecedente metaphysica. Ergo neque fuit impeccabilis impeccabilitate antecedente morali. Consequentia probatur. Ideò B. Virgo non fuit impeccabilis impeccabilitate antecedente metaphysica, quia hac impeccabilitate supposita, non habuisset perfectam libertatem; non habuisset enim libertatem ad observandas leges obligantes in conscientia. Atqui etiam supposita impeccabilitate antecedente morali Beata Virgo non habuisset libertatem perfectam, cùm etiam impeccabilitas antecedens moralis sit sublativa alicujus libertatis. Ergo. Tum quia etiam DEUS non necessitatur moraliter ad optimum extra se, quia per talem necessitatem minueretur ipsius libertas. Ergo neque Beata Mater DEI necessitabatur necessitate antecedente morali ad non peccandum, quia per talem necessitatem minueretur ipsius libertas. Tum quia in Beata Virgine admitti debet, quod est ipsi gloriosius, nec repugnat Scripturis, aliisque fidei principiis. Sed Beatam Virginem vitâsse omnia venialia absque omni necessitate antecedente ad hæc vitanda, est gloriosius Beatæ Virgini; siquidem quò plus tribuitur necessitati, eò minus tribuitur merito & laudabilitati, nec id repugnat Scripturis & aliis Fidei principiis. Ergo Beata Virgo vitavit omnia venialia absque necessitate antecedente etiam morali. Ergo hanc necessitatem non habuit, adeoque non habuit impeccabilitatem moralem antecedentem.

89. Objicitur tertiò, & probatur Beatam Virginem non fuisse impeccabilem impeccabilitate consequente. Tum quia impeccabilitas consequens, quæ sit purè consequens, non datur. Omnis enim impeccabilitas consequens involvit impeccabilitatem antecedentem moralem, imò etiam metaphysicam, quia impeccabilitas consequens habetur per hoc, quòd Beatæ Virgini conferantur nō nisi auxilia congrua, & efficacia ad non peccandum, quæ suam efficaciam habent ab exercitio libertatis Beatæ Virginis. Atqui talis auxiliorum collatio involvit impeccabilitatem antecedentem moralem, ac etiam metaphysicam; quia involvit, & dicit Decretum DEI selectivum, & collativum certorum auxiliorum, quod decretum etiamsi prout exigitum à Maternitate DEI possit dici impeccabilitas moralis Virginis, tamen prout tendit in auxilia congrua & efficacia, est impeccabilitas antecedens metaphy-

taphyſica. Eſt impeccabilitas antecedens, quia tenet ſe pro priori ad actus excluſivos peccati, ſeu ex parte actûs primi peccandi. Eſt etiam impeccabilitas metaphyſica, quia Decretum hoc utpote efficax, ratione ſuæ infruſtrabilitatis, eſt metaphyſicè connexum cum actu honeſto, ſeipsô excluſivo peccati. Tum quia impeccabilitas, quæ habetur ratione confirmationis in gratia, non eſt impeccabilitas conſequens, verùm eſt impeccabilitas antecedens, eáque non moralis, ſed phyſica, aut metaphyſica. Confirmatio enim in gratia, eſt donum DEI ſpeciale, diſtinctum à perſeverantia finali in gratia, ídque cùm confirmatio in gratia Beatiſſimæ fuerit donum ſpecialius, quàm in aliis ſanctis confirmatis, itidem gratia debet eſſe donum antecedens non moraliter ſolùm, ſed phyſicè, aut metaphyſicè excludens peccatum. Atqui impeccabilitas Beatæ Virginis habetur, & haberi debet ratione confirmationis in gratia. Ergo, &c.

## Reſpondetur ad Objectiones.

90. Primæ objectionis Nego Aſſumptum. Primæ Probationis primam partem Antecedentis Diſtinguo. Non implicat impeccabilitas antecedens metaphyſica, aut phyſica, ſalva libertate ad actus præceptos lege obligante in conſcientia. Nego primam partem Antecedentis. Non implicat impeccabilitas antecedens metaphyſica ſublativa libertatis ad actus præceptos lege obligante in conſcientia. Concedo hanc partem Antecedentis. Alteram partem ejuſdem Antecedentis vel ſimpliciter Nego, vel ſimiliter Diſtinguo. Decuit: ut Beata Virgo haberet impeccabilitatem antecedentem metaphyſicam etiam ſublativam libertatis ad actus præceptos lege obligante in conſcientia, Nego ſecundam partem Antecedentis. Decuit: ut B. Virgo haberet impeccabilitatem antecedentem metaphyſicam vel phyſicam non ſablativam libertatis ad actus præceptos lege obligante in conſcientia. Nego ſuppoſitum poſſe dari impeccabilitatem antecedentem metaphyſicam, vel phyſicam, quæ ſit non ſublativa libertatis ad actus præceptos lege obligante in conſcientia. Et Nego Conſequentiam, ac Dico: Non eſſe poſſibilem impeccabilitatem antecedentem metaphyſicam aut phyſicam, quæ non ſit ſublativa libertatis ad actus præceptos cum obligatione in conſcientia. Hæc enim impeccabilitas tollit, & excludit potentiam transgrediendi præceptũ, quam potentiam dicit eſſentialiter libertas ad actum præceptum. Quia hujusmodi libertas conſiſtit in indifferentia, ſeu in potentia ad utrumlibet, hoc eſt: tam in potentia ponendi actum præceptum, ejúſque poſitione ſervandi legem præcipientem & obligantem, quàm etiam conſiſtit in potentia omittendi actũ præceptum, ejúſque omiſſione transgrediendi legem. Licèt ſit poſſibilis impeccabilitas antecedens metaphyſica abſque libertate ad actus præceptos lege obligante in conſcientia; cæterùm talis impeccabilitas non decuit Virginem DEIparam, quia ipſam non decuit carentia libertatis ad actus præceptos lege obligante in conſcientia. Cùm potiùs decuerit eam libertas, quam exercere poſſet non ſolùm circa actus non præceptos, ſed etiam circa actus præceptos, quia ipſam decuit, ut per utroſque hos actus mereretur, dum illos poneret. Decebat etiam Virginem DEIparam, ut utrique hi actus præmiarentur, nec ulli impræmiati abirent. Cùm præſertim Beata Virgo poneret actus obedientiæ legibus Divinis, taléſque actus eliceret frequentiſſimè.

91. Secundæ Probationis Nego Antecedens, cum ulteriori probatione. Paritati petitæ à gratia habituali Nego Conſequentiam, & Dico, gratiam habitualem eſſe diverſam ſanctitatem, & diverſæ rationis à ſanctitate, quæ eſt Maternitas DEI, & differre in his, quòd gratia habitualis non poſſit phyſicè vel metaphyſicè componi cum peccato mortali. Maternitas DEI ſit componibilis phyſicè vel metaphyſicè ex ſuppoſitione antecedente cum peccato; non ſit verò componibilis moraliter ac etiam metaphyſicè ex ſuppoſitione conſequente. Quòd gratia habitualis ſolùm cum peccato mortali non ſit componibilis, Maternitas DEI nec cum mortali, nec cum veniali ſit componibilis. Quòd gratia habitualis ſit ſanctitas, quæ per peccatum mortale amitti poteſt, poſſitque homo, qui talem gratiam adeptus eſt, peccatum mortale com-

committere; Maternitas verò DEI per nullum peccatum amitti potest, nec illa, quæ semel exstitit Mater DEI, potest moraliter vel etiam metaphysicè ex suppositione consequente committere ullum peccatum.

Confirmationis Nego Consequentiam, & Dico, Virginem DEIparam nec potuisse taliter peccare, ut amitteret Maternitatem DEI, illiúsque sensum divisum faceret per commissum à se peccatum; nec taliter potuit peccare, ut conjungeret & componeret Maternitatem cum peccato. Amittere Maternitatem DEI non potuit ex suppositione antecedente, & impotentia metaphysica, ùt bene probat objectio, conjungere illam non potuit cum peccato impotentia morali antecedente, & impotentia metaphysica consequente.

92. Tertiæ Probationis Nego Minorem. Probationem ulteriorem Nego quoad utramque partem. Nego imprimis, quòd in B. Virgine fuerit defectus principii necessariò requisiti ad peccandum. Et in particulari Nego, quòd B. Virgo non habuerit concursum DEI in actu primo indifferentem ad peccandum. Nego etiam, quòd DEUS habuerit Decretum de subtrahendo concursu generali ad omnem actum peccaminosum B. Virginis. Et Dico, DEUM habuisse Decretum de conferendo B. Virgini concursu generali indifferente in actu primo ad peccandum, vel non peccandum, quamvis & per scientiam Mediam, & per scientiam Visionis viderit concursum illum, quem daturus est in actu primo indifferentem, per impletionem legis Divinæ à Beata Virgine ponendam, reddendum in actu secundo determinatum ad non peccandum. Nego deinde alteram partem Antecedentis ulterioris Probationis. Nimirum Nego in Beata Virgine fuisse aliquid positivum permodum habitûs metaphysicè connexum cum exclusione peccati. Talis enim positivi admittendi nec ullum est fundamentum, nec est ulla necessitas, imò est necessitas, ut non detur. Quia est necessitas libertatis à Virgine Beata exercendæ circa actus præceptos, & ut per observationem legum Divinarum mereatur. Principium supernaturale instrumentaliter concurrens ad producendam unionem hypostaticam, licèt in Virgine DEIpara admittam, Nego tamen hoc principium fuisse connexum cum exclusione omnis peccati. Quemadmodum nec Maternitas DEI est connexa metaphysicè cum dicta exclusione peccati. Quod attinet ad positivum permodum actûs exclusivum peccati, Dico: quòd licèt in Beata Virgine fuerit actus charitatis, & in ejus exercitio permanserit Virgo Beata, connexus cum exclusione peccati, tamen ratione illius Beata Virgo fuit impeccabilis impeccabilitate antecedente metaphysica, idque ex eo, quia dictus charitatis actus, cùm fuerit liber & meritorius, exercitium illius à Beata Virgine poterat interrumpi; quòd verò non fuerit interruptum, factum id est per suppositionem consequentem exercitæ libertatis. Quare B. Virgo DEIpara impeccabilis ratione actûs charitatis eliciti, & continuati, fuit impeccabilis metaphysicè ex suppositione consequente, non verò ex suppositione antecedente.

93. Quartæ Probationis Minorem, & ulterioris Probationis Nego Consequentiam. Disparitas est. Tum quia in Christo Domino admitti debet impeccabilitas antecedens metaphysica, non solùm ratione visionis beatæ, qua anima Christi à primo suæ creationis instanti semper fruebatur, sed etiam ratione subsistentiæ Divinæ VERBI prout unitæ humanitati; hæc enim seipsâ est exclusiva potentiæ proximæ peccandi, & constitutiva actûs primi determinati ad non peccandum connexi metaphysicè cum carentia peccati. E contrà in Beata Virgine neque fuit visio DEI intuitiva perpetua, sed si fuit illi aliquando concessa, fuit concessa ad breve non nisi tempus. Quare ratione visionis DEI Beata Virgo non potuit habuisse impeccabilitatem metaphysicam, ex vi cujus per totam vitam vitaverit omnia venialia. Neque habuit aliquam formam æquivalentem subsistentiæ Divinæ; si enim talis forma aliqua esset, esset Maternitas DEI. Atqui hæc non est talis forma, ut ratione illius Mater DEI sit impeccabilis metaphysicè impeccabilitate antecedente, ut aliàs probatum est Num. 83. & Num. 90. Ergo. Tum quia licèt in Christo Domino per impecca-

peccabilitatem metaphysicam, ratione cujus non poterat metaphysicè transgredi præcepta obligantia in conscientia, sublata fuerit aliqua libertas, nimirum libertas in observandis hujusmodi præceptis, ità ut per ipsorum observationem non mereretur, tamen in Beata Virgine per similem impeccabilitatem non debebat tolli libertas, debuitque B. Virgo mereri per observationem præceptorum obligantium in conscientia. Cujus ipsius ratio est. Quia merita Christi cùm fuerint valoris simpliciter infiniti, & infinitè excesserint quodvis præmium, poterant talia merita admitti numerô seu multitudine pauciora, nec fuit opus, ut quivis actus Christi essent liberi & meritorii. E contrà merita Beatæ Virginis fuerunt valoris simpliciter finiti, nec debebantur ipsis quæcunq; præmia. Quare merita dictæ Virginis sua multiplicitate debebant aliquatenus supplere & compensare aliorum meritorum vim & virtutem meritoriam limitatam, adeoque in Beata Virgine non debet negari libertas ad observanda præcepta obligantia in conscientia, nec debet negari observationem talium præceptorum fuisse meritoriam, potiùsque debet negari impeccabilitas metaphysica antecedens, hujus libertatis sublativa.

94. Secundæ objectionis Assumptum, & primæ Probationis Nego Majorem, vel certè hanc Distinguo. Beata Virgo habuit perfectissimam libertatem ad merendum in ea ratione, quæ requiritur ad perfectionem meriti. Concedo Majorem. In ratione impertinente ad perfectionem meriti. Nego Majorem, & Distincta similiter Minore, Nego Consequentiam, ac Dico, Beatam Virginem habuisse perfectissimam libertatem ad merendum in ea ratione, quæ requiritur ad merendum, hoc est: libertatem extendentem se ad omnes actus, qui in puris creaturis possunt, & solent esse liberi, ac meritorii. Deinde habuit perfectissimam libertatem ad merendum, hoc est, instructam & constitutam principiis & requisitis conducentibus ad merendum, iisque non remissis, sed in gradu intenso, quamvis Beata Virgo non habuerit perfectissimam libertatem impertinenter se habentem ad perfectionem meriti, ad quam impertinenter se habet impeccabilitas moralis antecedens, seu necessitas moralis non peccandi. Omissa deinde Majore Nego Minorem, & Dico, quamvis libertas merendi minuatur per necessitatem moralem non merendi, tamen libertas merendi non minuitur per necessitatem moralem non peccandi; cùm hac necessitate supposita potentia libera merendi sit expeditior ad merendum, debeátque sperari meritum. Quòd si aliqua libertas minuitur per necessitatem moralem non peccandi, minuitur libertas peccandi; per hoc verò, quòd hæc minuatur, crescit libertas merendi.

Neque valet, si Dicas. Eadem est libertas ad merendum, quæ est libertas ad peccandum. Ergo si per necessitatem moralem non peccandi minuitur libertas peccandi, per eandem necessitatem minuitur quoque libertas ad merendum. Non valet, inquam. Nego enim eandem esse adæquatè utramque hanc libertatem, & eôdem modô se habere, comparatè ad utrumque hujus libertatis exercitium supposita necessitate morali ad unum, nimirum ad non peccandum. Libertas enim dicta ità est potentia ad utrumlibet, ut per ordinem ad merendum sit potentia non impedita, per ordinem ad peccandum sit impedita necessitate morali antecedente non peccandi.

95. Secundæ Probationis Nego Consequentiam. Hujus Probationis Sequelam Distinguo. Ideò Beata Virgo non fuit impeccabilis impeccabilitate antecedente metaphysica, quia hac supposita non habuisset perfectam libertatem, quatenus ad certæ rationis & speciei actus nullam haberet libertatem, qui in aliis puris creaturis solent esse liberi, Concedo Causalem. Quia supposita impeccabilitate hujusmodi non haberet perfectam libertatem quoad modum non nisi aliquem eiusdem libertatis. Nego Causalem, & Distinguo Minorem. Atqui etiam supposita impeccabilitate morali antecedente Beata Virgo non habuit perfectam libertatem per hoc: quòd ad certæ speciei & rationis actus nullam haberet libertatem. Nego Minorem. Non habuit perfectam libertatem quoad modum libertatis, quatenus in quosdam actus, eósque malos & dedecentes Beata

Virgo

Virgo non esset æquè inclinata ac propensa, atque est inclinata in actus oppositos, nimirum in actus bonos & honestos. Concedo Minorem,& Nego Consequentiam, ac Dico, quòd Beata Virgo, si haberet antecedentem metaphysicam impeccabilitatem, per hoc non haberet libertatem perfectam, quia nullam simpliciter libertatem haberet ad certæ speciei & rationis actus ; nimirum nullam haberet libertatem ad actus præceptos sub obligatione in conscientia. Si verò B. Virgo habuit solùm impeccabilitatem antecedentem moralem, ad nullos actus libertatem amisit, quales in puris creaturis liberi esse solent. Sed solùm non eôdem modô libertatem exercere potuit,quia non ad omnes actus æqualem dispositionem habuit ; ad quosdam enim actus fuit propensa & inclinata, eósque cum magna facilitate elicuit, ad aliquos fuit aliquomodo impedita, in iisque eliciendis tantam difficultatem habuit, ut non esset sperabile, quòd eos aliquando eliceret, quamvis etiam ad hos eam potestatem & potentiam haberet, quæ requiritur, & sufficit ad libertatem actûs oppositi.

96. Tertiæ Probationi potest imprimìs negari Causalis Antecedentis. Alia enim Causalis est allata Disp. 1. Num. 54. Nimirum hæc, quòd in DEO necessitas moralis ad optimum esset simul necessitas metaphysica. Cùm ergo repugnet in DEO necessitas metaphysica antecedens ad aliquid extra se, repugnat etiam in DEO necessitas moralis antecedens. Potest deinde distingui Causalis Antecedentis. Ideò DEUS non necessitatur ad optimum necessitate antecedente morali, quia per talem necessitatem minueretur in DEO libertas, quæ tamen non diminuta posset in DEO dari absq; hoc, quòd deberet in ipso dari potentia moralis ad peccandum. Concedo Causalem. Ideò DEUS non necessitatur moraliter ad optimum, quia per talem necessitatem minueretur ejus libertas, quæ non diminuta non posset dari, nisi admissâ in DEO potentiâ aliquâ ad peccandum. Nego Causalem Antecedentis, & Distinguo similiter Causalem Consequentis. Ergo neque Beata Virgo necessitabatur moraliter ad non peccandum, quia per talem necessitatem minueretur ejus libertas exclusâ potentiâ morali peccandi. Nego Causalem Consequentiæ. Ergo Beata Virgo non necessitabatur moraliter ad non peccandum,quia per talem necessitatem minuitur libertas constituta potentiâ merendi, & potentiâ morali causandi, Concedo Causalem. Sed Nego suppositum Consequentis, quòd in Virgine DEIpara debeat negari necessitas moralis non peccandi, nè minuatur ejus libertas illa, quæ constitueretur potentiâ merendi, & potentiâ morali antecedente peccandi. Tertiò hujus Probationis potest negari Consequentia, potéstque hæc disparitas assignari. In DEO non dari necessitatem moralem ad optimum,quia per hanc minueretur libertas ad actus bonos, & quorum neuter esset peccaminosus. In Virgine verò DEIpara per necessitatem moralem ad non peccandum minueretur libertas ad actus, quorum unus esset bonus, & meritorius, alius peccaminosus. Quæ libertas minui potest, siquidem moralis potentia peccandi dedecet DEIparam.

97. Quartæ Probationis Nego Minorem, & Dico, Beatæ Virgini DEIparæ gloriosius esse vitare venialia ex aliqua necessitate, ex illa nimirum necessitate, quæ stat cum libertate ejusdem Virginis, requisita ad meritoriè vitanda venialia, qualis necessitas est necessitas moralis non peccandi ; cùm tali necessitate admissa salvetur & ratio meriti, seu meritoriæ vitationis venialium, & admittatur in Virgine DEIpara aliqua impeccabilitas ; quod utrumque evehit excellentiam Maternitatis DEI. Probationem ulteriorem Minoris Distinguo. Quò plus tribuitur necessitati sublativæ libertatis requisitæ ad meritum, eò minus tribuitur merito & laudabilitati. Omitto Probationem. Potiùs enim tribuendo aliquid tali necessitati nihil tribuitur merito. Quò plus tribuitur necessitati non sublativæ libertatis, sed cum illa componibili, minus tribuitur merito & laudabilitati,subdistinguo, si non suppleatur aliunde,nec compensetur. Concedo, vel omitto Antecedens ; si aliunde suppleatur & compensetur, Nego Probationem. Porrò in Beata Virgine admittitur necessitas moralis ad non peccandum, tribuitúrque plus, vel aliquid ne-

necessitati, sed necessitati non sublativæ libertatis, verùm cum ipsa componibili, ità ut ipsum plus datum necessitati compensetur, & suppleatur per præstantiam, & intensionem auxiliorum. per formæ dignificantis excellentiam, ex quibus crescit meritum, ejúsq; laudabilitas. Adverto, si ipsa necessitas ad non peccandū est libera & evitabilis voluntati ipsam habenti, per hoc, quòd tali necessitati aliquid tribuatur, etiam ipsi merito plus accrescit, & tribui debet. Et sic SS. Martyres sua sponte, & liberè se Tyranno sistentes, & ad vincula pro Christo, ac etiam ad mortem se offerentes, quæ patiebantur in vinculis constituti patiebantur ex quadā necessitate, quæ necessitas non minuit meritum passionis ipsorum, sed auxit, & elevavit, quia ipsa illa necessitas fuit ipsis libera, evitabilis, & summè laudabilis. Porrò necessitas moralis in B. Virgine ad non peccandum fuit eidem libera & evitabilis. Quia ipsa Maternitas DEI, cùm fuerit dependens ab assensu Virginis illis verbis expresso: *ecce Ancilla Domini, fiat mihi &c.* & ex merito Virginis, quæ Maternitas, vel est necessitas moralis ad non peccandum, vel eidem annexa & debita; ipsa proinde necessitas moralis ad non peccandum fuit Virgini Matri libera & evitabilis, adeoque ex hac ipsa necessitate crescebat, & augebatur meritum Virginis, non minuebatur.

98. Objectionis Tertiæ Nego Assumptum. Prima probatio non est contra meam assertionem. Neque enim ego assero illam impeccabilitatem, quæ fuit in B. Virgine, fuisse impeccabilitatem purè consequentem, seu consequentem cum exclusione impeccabilitatis antecedentis moralis; sed potiùs censeo impeccabilitatem Beatæ Virginis fuisse partim antecedentem moralem, partim consequentem metaphysicam, ità ut antecedens moralis impeccabilitas habeat se præsuppositive, consequens metaphysica habeat se consecutivè. Nego nihilominus, quòd impeccabilitas consequens B. Virginis involvat impeccabilitatem antecedentem metaphysicam. Licèt verò impeccabilitas consequens Beatæ Virginis præsupponat Decretum selectivum & collativum auxiliorum gratiæ congruorum, seu efficacium, hoc tamen Decretum non est impeccabilitas Virginis antecedens metaphysica. Non diffiteor Decretum hoc esse antecedens, & tenere se pro priori ad actus exclusivos peccati, verùm est antecedens secundùm quod est collativum auxilii in actu primo indifferentis, non est antecedens secundùm infallibilitatem metaphysicam evitationis peccatorum. Sed hæc habetur per exercitium libertatis Beatæ Virginis, ipsiúsque voluntatis liberam in actu secundo determinationem, ideoque hæc infallibilitas evitationis peccatorum est impeccabilitas consequens. Unde patet io Decreto selectivo auxiliorum congruorum distinguenda hæc duo esse, unum, quòd sit decretū de dando auxilio, alterum, quòd sit decretum de dando auxilio congruo seu efficaci. Quatenus est decretum de dando auxilio, est indifferens in actu primo, ut ponatur, vel non ponatur actus exclusivus peccati, & secundùm hanc rationem antecedit actum, non infert tamen infallibiliter. Quatenus est decretum de dando auxilio congruo & efficaci, seu quod DEUS videt per scientiam mediam futurum congruum & efficax, est determinatum, ut sit actus exclusivus peccati; hæc tamen determinatio non est ex parte actûs primi, sed est ex parte actûs secundi, quia habetur per exercitium libertatis creatæ, seu per liberam positionem actûs excludentis peccatum. Hoc ipsum Decretum, secundòm quod est Decretum de dando auxilio congruo, infert infallibiliter actum exclusivum peccati, sed infert illum infallibiliter infallibilitate habita ex suppositione consequente, non ex suppositione antecedente. Quia infert illum infallibilitate habita ex suppositione exercitii libertatis & liberæ positionis actûs sub hoc enritativè auxilio. Idem Decretum dici potest impeccabilitas metaphysica, sed impeccabilitas consequens, quia habita ratione exercitii libertatis. Videri possunt ea, quæ in tractatu de DEO à me impresso habentur Disp. V. num. 126.

99. Secundæ Probationis Nego Majorem, & Dico: Confirmationem Beatæ Virginis in gratia dicere & complecti hæc tria: primò impeccabilitatem moralem antecedentem intrinsecam. Secundò impeccabilitatem quasi extrinsecam consistentem in protectione providen-

dentiæ Divinæ avertentis occasiones peccatorum. Tertiò dicit impeccabilitatem consequentem, seu ex suppositione consequente, consistentem in serie non interrupta auxiliorum B. Virgini collatorum nonnisi congruorum, & efficacium. Cùm enim congruitas & efficacia auxiliorum habeatur per suppositionem consequentem, etiam impeccabilitas conveniens ratione talis seriei auxiliorum nonnisi congruorum est impeccabilitas consequens. Ad probationem Majoris Dico: Confirmationem in gratia à perseverantia finali differre per hoc, quòd confirmatio in gratia dicat & perseverantiam finalem, & aliquid plus, nimirum confirmatio in gratia dicit protectionem Divinæ Providentiæ longiori vitæ tempore occasiones peccandi mortaliter avertentis, nec permittentis tentationes valde molestas & difficiles. Quòd itèm dicat seriem auxiliorum congruorum & efficacium inchoatam bene ante mortem, nec ullo unquam mortali peccato interruptam, sive interrumpendam. P. Vasquez insuper requirit revelationẽ confirmationis, de illaque facta certitudinem; quæ tamen revelatio non videtur esse ipsa confirmatio, sed est intimatio confirmationis indicans tempus, à quo DEUS protectione sua defensurus est eum, quem confirmat, & à quo tempore incipiet series auxiliorum congruorum sine interruptione conferendorum. Perseverantia finalis dicit protectionem Divinam in ultima cum morte lucta, & in ultimo vitæ agone, dicit etiam auxiliũ congruum & efficax in articulo mortis conferendũ, independenter ab eo, quòd is, qui habet donum perseverantiæ, habeat longiorem auxiliorum gratiæ Divinæ congruorum, seu efficacium finem. Confirmatio B. MARIÆ Virginis in gratia à confirmatione aliorum Sanctorum differt primò per immunitatem B. MARIÆ Virginis à macula peccati originalis, & quòd B. Virgo à primo instanti creationis animæ suæ, & infusionis in corpus fuerit sanctificata. Secundò, quòd ab hoc statim instanti habuerit protectionem Providentiæ Divinæ, se singulariter defendentis, & avertentis occasiones peccandi. Tertiò, quòd ab eodem instanti inchoata sit series auxiliorum gratiæ Divinæ congruorum, & efficacium per totam vitam nunquam interrupta. Quartò, quòd alii sancti confirmati in gratia ex vi suæ confirmationis solùm mortaliter peccare non potuerint, potuerint verò peccare venialiter, nec talia evitaverint peccata. Confirmationi verò Beatæ Virginis fuit annexum speciale illud privilegium, ratione cujus B. Virgo per totam vitam suam vitatura erat, & de facto vitavit omnia peccata etiã venialia. Majore omissa, potest negari Minor, potestque dici, quòd impeccabilitas Beatæ Virginis possit aliter explicari, & non per confirmationem in gratia.

## §. II.

## An Beata Virgo MARIA habuerit fomitem peccati, passiones, & tentationes?

100. Præmitto. Secundùm dicta Disput. 4. Num. 78. Fomitem peccati esse appetitum sensitivum inclinantem ad actus inordinatos, circa objectum sensibile rectæ rationi repugnantes, eamque prævenientes. S. Thomas 3tia parte Quæst. 27. art. 3. in ⊙. dicit *fomitem peccati esse inordinatam concupiscentiam sensibilis appetitûs.* Alii censent fomitem peccati esse inclinationem appetitûs sensitivi ad actus inordinatos rectam rationem prævenientes. Hæc inclinatio dicitur fomes ex eo, quia ex occursu objecti sensibilis tam facilè concipit peccatum, illúdque nutrit, sicut fomes facilè concipit, & nutrit ignem. Dividitur fomes peccati in fomitem in actu primo, qui est appetitus sensitivus inclinans in actu primo ad actus inordinatos rectæ rationi repugnantes, seu est concupiscentia habitualis, & inclinatio permodum habitûs ad motum inordinatum rectam rationem prævenientem; & in fomitem in actu secundo, qui est ipse actus appetitûs sensitivi, concupiscentia & inclinatio actualis, seu actus appetitûs sensitivi tendens in objectum sensibile, rectam rationem præveniens, eique repugnans. Dividitur præterea fomes à quibusdam, secundùm diversas rationes fomiti convenientes, nimirum in fomitem spectatum quòad difficultatem ad bonum, & in fomitem sumptum quòad inclinationem, & pronitatem ad malum. Alii adhuc

huc fomitem distinguunt quòad id, quod pertinet ad corruptionem naturæ, & quòad id, quod pertinet ad corruptionem personæ.

Quid nomine passionis intelligi debeat, constat ex dictis citatô Num. 78. Disp. 4. hæc in præsenti non repeto. Illud tamen adverto. Per passiones à quibusdam intelligi actus appetitûs sensitivi, iræ, tristitiæ, timoris indeliberatos & rationem prævenientes. Actus verò appetitûs sensitivi deliberati, & ex rectæ rationis præscripto, & voluntatis imperio eliciti ab iisdem dici solent propassiones.

Per tentationes intelliguntur impulsiones ad peccatum. Hæ aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Internæ consistunt in suasionibus per cogitationes, & motus inordinatos ad peccatum invitantes & impellentes. Tentationes externæ fiunt per extrinsecam propositionem objecti mali, v. g. per mala aliorum exempla, consilia, locutionem dæmonis, & similia.

Circa fomitem peccati in Beata Virgine diversus est Theologorum sensus. Quidam docent in Beata Virgine in primo sanctificationis ipsius instanti fuisse fomitem peccati, tam in actu primo, quàm in actu secundo, mansisse tamen ligatum ad tempus Incarnationis, seu Conceptionis Filii DEI, in quo totaliter fuit sublatus. Alii putant fomitem hunc fuisse in Beata Virgine quòad difficultatem in bono, non tamen quòad inclinationem ad malum. Alii censent fomitem peccati fuisse in Beata Virgine, quantum ad id, quod pertinet ad corruptionem naturæ, non fuisse, quantum ad id, quod pertinet ad corruptionem personæ. Alii è contrà docent in Beata Virgine à primo ejus animationis instanti fomitem tam in actu primo, quàm in actu secundo, secundùm nullam suam rationem verè sibi convenientem fuisse, idque non ligatum præcisè fuisse, sed penitus extinctum. Alii castigatiùs loquuntur, & dicunt præfatum fomitem non extinctum, sed impeditum fuisse, seu nunquam in Beata Virgine extitisse.

101. Dicendum primò est: fomitem peccati tam in actu primo, quàm in actu secundo in Beata Virgine fuisse simpliciter impeditum à primo statim animationis suæ instanti, seu non extitisse, non verò præcisè ligatum fuisse, nec propriè exstinctum. Fuit verò simpliciter impeditus, tam quòad difficultatem in bono, quàm quòad inclinationem, & pronitatem ad malum. Itèm tam quòad id, quod pertinet ad corruptionem personæ, quàm quòad id, quod pertinet ad corruptionem naturæ.

Prima pars probatur ratione communi sæpius à me proposita. In primo instanti sanctificationis B. Virginis DEIparæ, quæ sanctificatio fuit in primo instanti animationis sui purissimi corporis, fomes peccati tam in actu primo, quàm in actu secundo potuit impediri, nè aliquando esset; decuit, ut taliter impediretur, neque id repugnat Scripturæ & Patribus. Ergo dictus fomes in primo instanti sanctificationis Beatæ Virginis fuit impeditus. Prior pars Antecedentis probatur. Tum nullitate implicantiæ, tum quia DEUS sicut potuit Matrem Filii sui servare immunem à peccato originali, ità potuit eandem servare immunem à fomite peccati, tam in actu primo, quàm in actu secundo. Tum quia Beata Virgo in primo instanti suæ animationis potuit habere protectionem extrinsecam Divinam impedientem occurrentiam objectorum, in quæ appetitus sensitivus tendendo per motus inordinatos prævertere rationem. Potuit itèm Beata Virgo habere in primo instanti suæ animationis scientiam per se infusam clarè proponentem objecti sensibilis malitiam, nè illam sequeretur, & objecti boni honestatem, ut illam prosequeretur; potuit itèm habere prævenientes sanctas illustrationes, in circumstantia occurrentium objectorum sensibilium inclinantium ad actus inordinatos, ut hi non possent prævenire tales illustrationes, adeoque rectam rationem. Potuit præterea habere auxilia nonnisi congrua & efficacia ad continuam eámque perfectissimam rerum Divinarum contemplationem conjunctam cum ferventissimo, & continuo actu amoris DEI. Ergo fomes peccati tam in actu primo, quàm in actu secundo, in primo instanti animationis B. Virginis, in ipsa nè esset, potuit impediri; hæc enim omnia enumerata sunt impeditiva fomitis sive in actu

actu secundo utrumque excludentia. Probatur deinde posterior pars ejusdem Antecedentis. Tum quia Beatam Virginem decuit, ut careret omni peccato tam originali, quàm actuali personali. Ergo decuit eandem, ut careret etiam inclinatione ad peccatum, seu fomite. Hic enim *respectu peccati originalis est effectus ejusdem*, ùt docet Concilium Tridentinum sess. 5. Can. 5. *respectu peccatorum actualium est causa ad hæc inclinans, & impellens.* Tum quia Beatam Virginem decet puritas, quâ sub DEO major intelligi non potest, ùt vult S. Anselmus. Ergo decet illam carentia fomitis tam in actu primo, quàm in actu secundo. Cùm major sit puritas carere non solùm originali & actuali peccato, sed etiam fomite, & inclinatione ad peccatum. Tum quia primi Parentes nostri, cùm essent adhuc in statu primæ innocentiæ, caruerunt fomite peccati. Ergo & Beatam Virginem, quæ ab omni peccato immunis in statu innocentiæ semper exstitit, & permansit, decuit, ut etiam ipsa careret fomite peccati. Consequentia etiam patet. Quia quod non repugnat, & decet Virginem DEIparam, si Doctrinæ Patrum, & Ecclesiæ non contraveniat, est admittendum in Virgine DEIpara, cùm de illa sentiendum sit quàm gloriosissimè. Ergo siquidem carentia fomitis in Virgine DEIpara non repugnat, eámque deceat, nec Doctrinæ Patrum, & Ecclesiæ contraveniat, carentia hæc fomitis in DEIpara est admittenda.

102. Secunda pars Conclusionis, Quòd fomes peccati à primo instanti sanctificationis B. Virginis non fuerit ligatus, probatur. Tum quia gloriosius est Virgini DEIparæ illam caruisse omnino fomite peccati, quàm hunc habuisse ligatum. Tum quia ligatum esse fomitem peccati, est appetitum sensitivum non fuisse impeditum per principia intrinseca, sed præcisè per extrinsecam DEI protectionem fuisse custoditū & coërcitum, nè suo actu ferretur in bonum rectæ rationi dissonum præveniente tali actu rectā rationem, ejúsq; directionem. Fuisse verò fomitem impeditum, nè esset, est appetitum sensitivum à primo statim sui esse, & existentiæ instanti habuisse extrinsecam DEI protectionem, custodientem, & avertentem occasiones, nè dictus appetitus prorumperet in actum rectæ rationi difformem, eámque prævenientem, sed per principia intrinseca incompossibilia cum actu inordinato appetitûs sensitivi rectam rationem perveniente, redditum fuisse impotentem ad talem actum, & per hoc impeditum, nè unquam poneretur, aut posset poni actus inordinatus appetitûs sensitivi rectam rationem præveniens. Atqui Virgo DEIpara à primo suæ animationis instanti habuit non solùm extrinsecam protectionem DEI præcaventem, nè appetitus ipsius sensitivus prorumperet in actum rectæ rationi dissonum, eámque prævenientem, sed etiam habuit principia intrinseca, incompossibilia cum quovis actu inordinato appetitûs sensitivi rectam rationem præveniente. Talia enim principia fuerunt scientia per se infusa, illustrationes sanctæ prælucentes ad bonum, ad illúdque potenter inclinantes in occursu objecti sensibilis, gratia habitualis perfectissima, habitus virtutum non solùm infusi, sed etiam acquisiti valde intensi fortissimè inclinantes ad actus honestos, & rectæ rationi conformes, auxilia congrua & efficacia non interrupta unquam serie à primo instanti animationis Beatæ Virginis continuata; hæc siquidem principia poterant conferri, & decebant Virginem DEIparam, ut quàm remotissima esset ab omni peccato, etiam materiali. Conveniens etiam fuit, ut DEUS disponens omnia fortiter, & suaviter, mediáque ordinans ad suos fines per talia principia Virginem DEIparam disponeret, & ordinaret ad finem præservandi illam ab omni peccato, quæ essent media maximè opportuna ad talem finem, & quæ essent connaturalia, & fini obtinendo convenientissima. Ergo.

103. Tertia pars probatur. Quòd hic fomes *non fuerit propriè extinctus.* Tum quia quod propriè extinguitur, supponitur aliquando luxisse, arsisse, exstitisse. Et sic flamma non extinguitur propriè, quæ nunquam arsit, lumen non extinguitur propriè, quod nunquam luxit, vita non extinguitur illius, qui nunquam vixit. Sed fomes peccati in Virgine DEIpara nunquam exstitit. Ergo fomes hic in Virgine DEIpara non fuit propriè exstinctus. Tum

 quia

quia in Beata Virgine non fuit propriè extinctum peccatum originale, ſed fuit impeditum, nè contraheretur, nec à Virgine Beata contractum. Sed Beata Virgo ab hoc peccato ſervata fuit immunis. Ergo nec fomes peccati in eadem Virgine fuit propriè extinctus, ſed fuit impeditus, & non contractus, ſeu Beata Virgo à fomite peccati fuit ſervata immunis. Adverto. Hôc terminô: *fomes peccati extinctus* à pleriſque Theologis intelligi fomitem impeditum, ſeu non contractum; quia tamen hôc ipsô terminô utuntur illi, qui docent Beatam Virginem in peccato originali conceptam eſſe, adeoque & fomitem peccati, tanquam effectum peccati originalis habuiſſe, ac deinde per ſanctificationem ſubſequentem ab originali mundatam eſſe, ſimúlque in ea fomitem extinctum fuiſſe. Nè videamur cum illis ſentire, abſtinendum eſt à dicto termino *extincti fomitis*, & dicendum in Beata Virgine fomitem impeditum fuiſſe, nè unquam eſſet, ſeu in ipſa nunquam fuiſſe fomitem peccati.

104. Quarta pars, quòd in Beata Virgine non fuerit fomes peccati, tam quoad inclinationem ad malum, quàm quoad difficultatem in bono, probatur. Tum quia glorioſius eſt Virgini non fuiſſe in illa fomitem peccati quoad utramque hanc rationem. Tum quia fomes quoad rationem unam alicubi exiſtens infert fomitem, quoad alteram rationem ex prædictis, vel ſupponit. Carentia etiam fomitis quoad rationem unam infert carentiam alterius rationis. Nimirum fomes peccati quoad inclinationem ad malum infert, vel ſupponit difficultatem in bono, cùm ipſa inclinatio ad malum faciat difficultatem in bono, nec fieri poſſit, ut quis habeat & ſentiat difficultatem in bono, & non habeat inclinationem ad oppoſitum malum. Carentia etiam, inclinationis ad malum infert, vel ſupponit carentiam difficultatis in bono; per hoc enim, quòd quis careat inclinatione ad malum, caret difficultate in bono. Cùm inclinatio ad malum maximè vel unicè faciat difficultatem in bono, vicíſsimque qui caret difficultate in bono, caret inclinatione ad malum, potiſſimùm etiam ex eo, quia per illa principia intrinſeca tollitur difficultas in bono, per quæ excluditur inclinatio ad malum, ejúſque carentia habetur. Ergo ſi in Beata Virgine non fuit fomes peccati quoad inclinationem ad malum, non fuit quoq; fomes peccati quoad difficultatem in bono, vel ſi fuit fomes quoad difficultatem in bono, fuit quoq; & quoad inclinationem ad malum.

105. Quinta pars probatur. Quòd in Beata Virgine non fuerit fomes tam quoad id, quod pertinet ad corruptionem naturæ, quàm quoad id, quod pertinet ad corruptionem Perſonæ. Quia in Beata Virgine neque natura ipſius, neque Perſona fuit obnoxia corruptioni inclinanti ad malum. Tum ex eo, quia glorioſius eſt Virgini DEIparæ in ea fomitem totaliter ſumptum non fuiſſe, adeoque in ipſa neque corruptionem fuiſſe naturæ, neque corruptionem Perſonæ. Tum quia corruptio naturæ hominis, eſt corruptio animæ & corporis utriuſque ſimul, vel alterutrius; hæc enim veniunt nomine naturæ, quia hæc ſunt primum principium motûs, & quietis in homine, & hæc terminant ſubſiſtentiam, & perſonalitatem hominis. Perſona verò eſt individua naturæ rationalis ſubſiſtentia, eſt ultimus terminus, & complementum naturæ rationalis. Sed nulla fuit corruptio inclinans ad peccatum tam in anima, quàm in corpore Beatæ Virginis, quia nulla fuit inordinatio, ſicut non fuit in primis parantibus, cùm adhuc eſſent hi in ſtatu primæ innocentiæ: Quòdſi fuiſſet aliqua inordinatio, & corruptio in natura Beatæ Virginis, hæc derivaretur etiam in Perſonam ejuſdem ſanctæ Virginis. Sicut enim actiones ſunt ſuppoſitorum, hoc eſt, actiones poſitæ à natura tribuuntur ſuppoſitis, ſeu Perſonis, ità affectiones naturæ, inclinationes dicentes reſpectum ad operationes ejuſdem naturæ tribuuntur, & tribui debent ſuppoſitis, ſeu Perſonis. Tum quia in tantum in Beata Virgine fuiſſet corruptio in his, quæ pertinent ad naturam, in quantum natura eſt cauſa traducendi originale peccatum in prolem. Sed ex hac ratione in Beata Virgine non fuit corruptio naturæ, quia natura ſecundùm ſe uniuſcujuſq; in individuo hominis, non fuit cauſa traducendi peccatum originale in prolem, ſed potiùs fuit voluntas

luntas Adæ, ejúsque peccatum prout habentis alligatas voluntates prolis per propagationem naturalem à se descendentis. Ergo.

106. Assertio Num. 101. proposita etiam Patrum Authoritate roborari potest. S. Cypriani sermone de Nativitate Cap. 2. ubi dicit: *Lex carnis Virginem non infestavit, nulla rebellio affixit spiritûs quietem.* S. Joannes Damascenus orat. de Assump. negat, *Beatam Virginem habuisse cum terrenis affectionibus aliquid commune.* Hesychius Conc. 2. de B. Virgine Tom. 7 Bibliot. sanct. sic habet: *Maria est præclarum naturæ nostræ ornamentum, quam concupiscentiæ fumus non attigit, nec vermis voluptatis læsit.* Richardus à S Victore lib. 1. de Emanuele cap. 29. docet: *Beatam Virginem esse terram illam sanctam, ex cujus finibus DEUS abstulit omnia bella, hoc est, rebellionem appetitûs sensitivi ipsi rectæ rationi, dum caro concupiscit adversùs spiritum.*

107. Dicendum est secundò. In appetitu sensitivo Beatæ Virginis fuisse affectus, & actus iræ, tristitiæ, timoris, & similes directionem rationis, & imperium voluntatis subsequentes, quales actus propassiones dici solent, non fuerunt tentationes internæ, imò probabiliter nec externæ.

Prima pars probatur. Tum quia Beata Virgo ad salutationem Archangeli Gabrielis turbata est, & timuit, ut idem Angelus dicere debuerit: *Nè timeas MARIA.* Eadem sanctissima Virgo tristabatur, & dolebat de amisso Jerosolymis duodenni suo Filio Christo. Tristabatur pariter, & dolebat in passione Christi, dum à Lictoribus & Crucifixoribus ipsius videret indignè, & crudeliter tractari amabilissimum suum Filium. Hi tamen affectus, & actus non præveniebant rationem, siquidem in Beata Virgine non fuit fomes in actu secundo, qui consistit in hujusmodi actibus, prout rationem prævenientibus. Ergo. Tum quia, si dicti actus timoris, tristitiæ, iræ, doloris, rationem subsequentes non darentur in Beata Virgine, in tantum non darentur, in quantum eam dedecerent. Sed hi actus non dedecebant Beatam Virginem; cùm enim hi actus fierent ex directione rectæ rationis, & ex imperio voluntatis, nihil in se habebant indecentiæ & inhonestatis, imò dicti actus fuerunt honestissimi, salutares, & meritorii, & propter moderationem, quâ fiebant, & quia inter præstantissimos, & heroicos censeri poterant, per hoc, quòd fierent ex sublimium Virtutum, & maximè Charitatis motivis, & imperio.

108. Secunda pars probatur. Tentationes internæ sunt cogitationes, & motus inordinati ad peccatum inclinantes, & impellentes. Sed tales cogitationes, & motus non fuerunt in Beata Virgine. Tum quia hi actus non fuerunt componibiles cum sanctis illustrationibus invitantibus ad actus oppositos cum efficacia & congruitate auxiliorum gratiæ Divinæ, assidua rerum Divinarum meditatione, & continuò ferventi actu Charitatis. Tum quia in Christo Domino non fuerunt hujusmodi cogitationes, tanquam ipsum dedecentes, ùt vult S. Gregorius homil, 16. in Euangelia, ubi dicit: *quòd Christus Dominus nihil contradictionis in seipso tolerabat. Quòd omnis Diabolica tentatio foris, non intus fuerat.* Ergo neq; in Beata Virgine fuerant hujusmodi cogitationes & motus; qui enim actus dedecebant Christum, dedecebant & Matrem ejus, adeoque ex merito Christi Filii sui, & speciali privilegio DEI, ab his fuit immunis Virgo Beata.

109. Tertia pars probatur potissimùm ab Authoritate Richardi à S. Victore Cap. 26 in Cantica dicentis: *Virgo tenebrarum Principibus terribilis fuit, ut ad eam accedere, eámque tentare non præsumpserint. Deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes, & fervor devotionis, stupebant immunem à peccatis.* In eundem sensum loquitur S. Bernardinus Senensis, qui serm. 3. art. 3. cap. 2. dicit: *effugabantur Dæmones à Virginis ardenti charitate, sicut muscæ ab igne.* Tum etiam Ratione Theologica. Quia etiamsi Beata Virgo potuerit tentationi externæ subjacere, cùm & ipse Christus permiserit se tentari externè à Diabolo, tamen nec ullum fundamentum habetur eam sic fuisse aliquando tentatam, sicut habetur ex Euangelio de Christo, nec fuit ulla necessitas ejusmodi tentationis, prout videtur fuisse necessitas, ut Christus tentaretur, ut ex ejus exemplo, quô vicit tentationes, fideles discerent, qua ratione

tione ab ipsis essent vincendæ tentationes. Et insuper videtur gloria Virginis fuisse, quòd serpens ab ea in sua conceptione contritus ad ipsam nunquam ampliùs accedere auderet, nec horrendum illud spectrum in conspectum ipsius veniret, id excellentia ejus exposcente. Sicut spectat ad excellentiam, & Majestatem terrenorum Principum, ut mancipia & viles animæ ad conspectum eorundem, nisi de annutu ipsorum, admittantur.

## Proponuntur Objectiones.

110. Objicitur primò, & probatur. Quòd in Beata Virgine fuerit fomes peccati. Tum quia Beata Virgo fuit subjecta legibus universalibus. Ergo fuit subjecta etiam illi legi carnis & membrorum, de qua Apostolus ad Rom. 7. sic loquitur: *Aliam legem sentio in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, captivantem in lege peccati, quæ est in membris meis.* Atqui hæc lex est fomes peccati. Ergo Beata Virgo fuit subjecta fomiti peccati, talémque fomitem habuit. Tum quia Beata Virgo fuit obnoxia morti, morbis, doloribus, frigori, siti, aliísque corporis ærumnis. Ergo etiam fuit obnoxia fomiti peccati. Cùm non minùs fomes peccati sit effectus peccati originalis, atque mors, morbi, dolores, & quævis corporis ærumnæ sunt effectus ejusdem. Tum quia ante immortalitatem carnis Christi resurgentis nullus adeptus est carnis immortalitatem. Ergo neque ante Christi carnem, in quo nullum fuit peccatum, seu ante carnis assumptionem à VERBO, caro Virginis Matris ejus fuit absque fomite peccati, qui dicitur lex carnis, seu membrorum. Ergo videtur dicendum, quòd hic fomes in Beata Virgine fuerit ligatus ante conceptionem ipsius Christi, in ejus verò conceptione, in qua primùm debuit refulgere peccati immunitas, credendum est, ex prole quòd redundaverit in Matrem totaliter fomite subtracto. Tum quia fomes peccati in actu primo est appetitus sensitivus, seu potentia appetitiva, cujus objectum est bonum sensibile rationi dissonum. Sed dabatur in Beata Virgine appetitus sensitivus, seu potentia appetitiva, cujus objectum est bonum sensibile rationi dissonum. Ergo. Tum quia non potest intelligi, quomodo, & qua ratione in Virgine DEIpara sublatus est fomes peccati, seu quid sublatum, & per quid. Non potest enim dici, quòd fomes hic fuerit sublatus per aliquam qualitatem diversam à gratia sanctificante, & habitibus infusis, cùm hæc qualitas non sit explicabilis, & videtur esse gratis conficta. Non potest etiam dici, quòd hic fomes sublatus fuerit per gratiam sanctificantem, vel habitus infusos; siquidem & gratia & habitus infusi possunt componi cum inclinatione appetitûs ad bonum sensibile rationi dissonum, prout defactò componuntur in Viatoribus justis, seu in gratia DEI existentibus. Tum quia id, quod pertinet ad perfectionem Virtutis non debet negari in Beata Virgine. Sed fomes peccati pertinet ad perfectionem virtutis; hic enim est quædam infirmitas, secundùm quam Apostolus patiebatur stimulum carnis. Atqui infirmitas pertinet, & confert ad perfectionem virtutis juxta illud: *Virtus in infirmitate perficitur.* Ergo.

111. Objicitur secundò, & probatur. Quòd Beata Virgo habuerit passiones, per passiones intelligendo motus inordinatos prævenientes rationem. Tum quia timor ille & perturbatio, quâ Beata Virgo fuit perturbata, audita salutatione Gabrielis Archangeli prævenerat rationem Virginis, & ipsius cogitationem; priùs enim Beata Virgo turbata est in sermone Angeli, ùt habet sacer textus, tum deinde cogitabat, qualis esset ista salutatio. Ergo. Tum quia dolor, & tristitia ex passione, & morte Filii sui videtur prævenisse rectam rationem. Unde etiam tristitia illa fuit immoderata, & Virgo dicitur tunc ex vehementia doloris deliquia, & spasmum passa. Tum quia mors ipsa Virginis putatur à quibusdam Patribus fuisse ex violento amoris affectu, adeoque ex aliqua passione, non directa per rationem, nec moderata. Ergo.

112. Objicitur tertiò, & probatur. Quòd Beata Virgo extrinsecè tentata fuerit à Diabolo. Tum quia hæc tentatio prænunciata & significata est illis Scripturæ verbis Gen. 3. *ipsa conteret caput Tuum, & Tu insidiaberis calcaneo ejus.* Tum

Tum quia Chriſtus Dominus tentatus fuit externè à diabolo. Ergo conveniens fuit, ut & Mater ejus ſimiliter tentata fuiſſet. Cùm non appareat eſſe ratio, cur hæc debuerit eſſe immunis ab externa tentatione diaboli, ſi ipſe Chriſtus permiſit ſe externè ab eo tentari.

## Reſpondetur ad Objectiones.

113. Primæ Objectionis Nego Aſſumptum. Antecedens primæ Probationis Diſtinguo. Beata Virgo fuit ſubjecta legibus univerſalibus, pœnalibus, & ipſam dedecentibus, Nego Antecedens. Fuit ſubjecta legibus univerſalibus, non tamen pœnalibus, aut pœnalibus quidem, non tamen ullam indecentiam inferentibus in Beatam Virginem. Concedo Antecedens, & Nego Conſequentiam, ac Dico, Beatam Virginem ſubjectam fuiſſe legibus univerſalibus, non tamen pœnalibus. Cùm enim pœna eſſentialiter ſupponat culpam; pœna enim non infertur, nec inferri debet, niſi pro delicto, cùm in Beata Virgine nulla unquam fuerit culpa, non potuit hæc ulli pœnæ, & legi purè pœnibili ſubjecta eſſe. Addidi purè pœnali, ſi enim aliqua lex non ſit purè pœnalis, ſed ità obliget, ut etiam non in pœnam deberet id ſubiri, quod infligitur in pœnam, talis lex obligare poteſt. Porrò fomes peccati ità eſt lex pœnalis, ut ſit purè pœnalis; neque enim daretur in ullo noſtrûm, ſi non præceſſiſſet peccatum originale, cujus effectus eſt; ut docet Tridentinum. Prætereà dedecet Virginem Matrem DEI, quia inclinat ad peccata actualia, quæ inclinatio ſicut Chriſtum, ità & Matrem ejus dedecet.

114. Secundæ Probationis Nego Conſequentiam. Hujus Probationem Diſtinguo. Non minùs mors, morbi, dolores, ærumnæ corporis ſunt effectus peccati originalis, atque fomes peccati eſt effectus ejuſdem. Et in aliis æqualiter ſe habent. Nego Probationem. Non minùs morbi, mors, &c. ſunt effectus peccati originalis, atque fomes peccati, in aliis tamen inæqualiter ſe habent. Concedo Probationem, & Dico: Mortem, morbos, dolorem, & ſimilia non æqualiter ſe habere ad peccatum, atque fomes peccati; nam fomes peccati ità eſt effectus peccati originalis, ut ſit inclinatio ad peccata actualia, cauſa determinata eorundem. Mors verò, morbi, dolores, & ſimilia, ità ſunt effectus peccati originalis, ut non ſint inclinatio ad peecata actualia, nec cauſa determinata eorundem. Deinde fomes peccati ità eſt pœna, & effectus peccati originalis, ut ſi hoc peccatum non exſtitiſſet, etiam fomes peccati in appetitu ſenſitivo non fuiſſet. Mors verò, morbi, dolores, & ſimilia, non exiſtente peccato origiuali, poſſent adhuc dari propter qualitatum contrariarum in homine pugnam; propter corporis, totiúſque hominis corruptibilitatem intrinſecam, & propter agentium extrinſecorum efficaciam, & activitatem; quamvis contra hæc in ſtatu innocentiæ, ſeu juſtitiæ originalis, ac naturæ integræ facilius remedium haberetur per comeſtionem fructûs arboris vitæ, &c. quàm nunc habeatur in ſtatu naturæ lapſæ. Adverto, Probationem ſecundam multum probare. Probat enim in Chriſto fuiſſe fomitem peccati, quemadmodum in eo fuerunt mors, dolores, defatigatio, ſitis, & ſimilia. Probat itèm in Beata Virgine fuiſſe peccata actualia, quemadmodum in ea fuerunt mors, dolores, & ſimilia.

115. Tertiæ Probationis Nego Conſequentiam. Ulterior Probatio iterum multum probat. Probat enim, quòd Conceptio Beatæ Virginis, utpote exiſtens ante Filii DEI Incarnationem non fuerit ſinè peccato. Quòd itèm Beata Virgo non fuerit immunis à peccatis actualibus ante Chriſti in ejus utero Conceptionem, ſed hanc immunitatem traxerit à prole ſua ſanctiſſima. Probat ulteriùs, quòd Beata Virgo ſicut è mente objicientis facta eſt immunis, & pura à fomite peccati in primo ſtatim inſtanti, quô Chriſtus conceptus eſt, ità in primo ſtatim inſtanti, quô Chriſtus reſurrexit, adepta ſit corporis ſui immortalitatem, quod tamen falſum eſt; cùm Beata Virgo poſt Chriſti Reſurrectionem pluribus annis vixerit mortalis, & paſſibilis. Directè Nego Conſequentiam, Diſparitas eſt. Tum quia pertinebat ad Chriſti Dignitatem & Excellentiam, ut ipſe eſſet primus reſurgentium, ut Cœ-

lum morte sua reseraret hominibus, eósque ad cœlum, & immortalem vitam assumeret; non pertinuit verò ad ejusdem Christi excellentiam, ut à physica ipsius existentia inciperet summa puritas & sanctitas Matris ejus, imò pertinebat, ut ante physicam Incarnationis Filii DEI existentiam futuræ Matri Filii DEI concederetur ea puritas & sanctitas, quâ major sub DEO dari non posset, ut per hanc fieret idonea Mater DEI. Tum quia in his, quæ dependent ab arbitrio & beneplacito DEI, ac etiam à voluntate Christi, quòd aliquid ità factum est, & non aliter, alia ratio non potest, nec debet reddi, nisi quia sic DEUS, & Christus voluit. Quia ità DEO, & Christo visum est. quia ità placuit. Atqui concessio immortalitatis corporis, concessio itèm immunitatis à fomite peccati sunt ea, quæ dependent ab arbitrio & beneplacito DEI, ac etiam à voluntate Christi sua merita applicantis Matri suæ Virgini ad obtinendam eidem immunitatem à fomite peccati à primo statim conceptionis & animationis instanti, non applicantis verò eadem merita ad obtinendam cuiquam immortalitatem corporis, priusquàm ipse Christus eam consecutus fuisset per suam resurrectionem. Ergo hujus, quòd Matri DEI concessa sit immunitas à fomite peccati ante VERBI Divini Incarnationem, à primo instanti suæ conceptionis, non sit verò concessa immortalitas corporis sive eidem Virgini, sive ulli alteri ante Christi resurrectionem, non est quærenda alia ratio, nisi à beneplacito DEI, & voluntate Christi, quia ità DEO placuit, & quia Christus applicuit sua merita ad obtinendam suæ Matri immunitatem à fomite peccati, ut haberet Matrem purissimam, & idoneam; non meruit verò immortalitatem corporis cuiquam ità, ut illam consequeretur ante Christi resurrectionem. Tum quia DEUS voluit homines & Matrem Filii sui per certum & à se constitutum tempus esse viatores, & in statu meriti, ipsius Filii DEI Incarnati, seu Christi imitatores, quem pati oportuit, & ità intrare in gloriam. Atqui ut hæc voluntas DEI impleretur, necesse fuit homines esse mortales, & morti subjectos, esse passibiles, adeoque morbis, & doloribus obnoxios per tempus à DEO constitutum. Non fuit verò necesse omnes sinè omni exceptione esse peccatores, habere inclinationem ad peccatum, seu habere fomitem peccati. Ergo. Tum quia ad privilegia concessa DEIparæ sufficit illa Christi prioritas, quæ est propria causæ moralis & meritoriæ; non requiritur verò prioritas temporis, & durationis existentiæ Christi. Ergo etiam hæc prioritas sufficit ad privilegium immunitatis Beatæ Virginis à fomite peccati. Atqui respectu dictæ immunitatis dabatur prioritas Christi propria causæ moralis, & meritoriæ; cùm hanc immunitatem Virgo DEIpara habuerit propter merita Christi, & intuitu meritorum ejus, quemadmodum intuitu eorundem habuit Maternitatem DEI, plenitudinem gratiæ, immunitatem à peccato originali, & quibusvis peccatis actualibus. Ergo hæc prioritas sufficiebat, nec alia requirebatur. Eadem prioritas suffecisset etiam ad obtinendam immortalitatem corporis Virgini Beatæ; sed hanc Christus suis meritis non intendit propter majus Virginis meritum, ad quæ merita augenda, necessaria fuit Virginis DEIparæ passibilitas, & mortalitas, ut per hæc Mater DEI conformior esset Filio suo passibili, & qui duram mortem subiturus erat.

116. Quartæ Probationis Nego Majorem. Fomes enim peccati in actu primo non est ipse appetitus sensitivus permodum potentiæ, cujus objectum sit bonum sensibile rationi dissonum; sed fomes peccati in actu primo est inclinatio habitualis dictæ potentiæ ad actum ejusdem potentiæ prævenientem rectam rationem ejúsque directionem, & voluntatis imperium. Quæ inclinatio, quia non fuit in Christo Domino, etiamsi in illo fuerit potentia appetitiva boni sensibilis in suis actibus perfectè subjecta rectæ rationi. Quia itèm similis inclinatio non fuit in primis nostris Parentibus ante ipsorum peccatum, in quibus tamen fuit potentia appetitiva boni sensibilis, ideò nec in Christo Domino, nec in primis Parentibus ante ipsorum peccatum fuit fomes peccati. Pariter in Beata Virgine, etiamsi fuerit appetitus sensitivus in actu primo, seu potentia appetitiva boni sensibilis, quia

tamen in eadem non fuit inclinatio habitualis ad bonum sensibile appetendum actu rectam rationem præveniente, quia talis inclinatio ipsam dedecuit, ideò in Beata Virgine non fuit fomes peccati in actu primo. Potest etiam omissa Majore Negari Minor, quoad eam partem, quòd in Beata Virgine fuerit potentia appetitiva, cujus objectum esset bonum sensibile rationi rectæ dissonum ùt tale. Objectum enim dissonum rectæ rationi duo dicit: objectum sensibile, & dissonantiam hujus objecti rectæ rationi. In Beata verò Virgine licèt fuerit appetitus objecti sensibilis, tamen non fuit dicti objecti dissonantia rectæ rationi; deberet enim dari aliquod objectum sensibile, quod dissonaret rectæ rationi; non fuit verò tale objectum, quia nec fuit dissonum rectæ rationi cum actu appetitûs sensitivi præveniente rectam rationem. Quia nulli actus appetitûs sensitivi in Beata Virgine poterant prævenire rectam rationem. Nec itèm fuit respectu Beatæ Virginis objectum dissonum rectæ rationi taliter, ut hæc præcederet actum appetitûs sensitivi, quia hôc ipsô in Beata Virgine daretur peccatum actuale. Actus enim dissonus rectæ rationi prævenienti, & voluntatem dirigenti, cùm sit actus dissonus dictamini conscientiæ, est actuale peccatum.

117. Quintæ Probationis Nego Antecedens, & Dico: utrumque ostendi posse, & illud, quod sublatum est, dum in Beata Virgine impeditus fuit fomes peccati, & per quid sublatus, seu impeditus fuit idem fomes peccati. Nimirum dum impeditus est fomes peccati, impeditum & exclusum est id, quod est fomes peccati, & quia fomes peccati est inclinatio ad sensibilia prorumpere faciens appetitum in suum actum præveniendo rectam rationem, fomes peccati eatenus impeditus fuit, quatenus impedita, & exclusa fuit inclinatio appetitum sensitivum prorumpere faciens in ipsius actum cum præventione rectæ rationis. Et quia ulteriùs inclinatio ad peccatum consistit in propositione, & cognitione vivaci & intensa objecti sensibilis, & motivorum impellentium ad prosecutionem talis objecti, ità ut actum prosecutivum ejusdem objecti appetitus sensitivus eliciat non expectata cognitione retrahente à talis objecti prosecutione, & proponente motiva dissuadentia talem prosecutionem, in qua cognitione consistit recta ratio, impeditur inclinatio ad actum circa objectum sensibile prævenientem rectam rationem, quando impeditur vivax illa propositio, & cognitio objecti sensibilis, & motivorum ad illud prosequendum invitantium; aut quando impeditur, nè hæc cognitio præveniat cognitionem rectæ rationis invitantem ad objectum oppositum honestum, &c. quod utrumque impediri potest. Ad secundum, quod erat: per quid impeditur fomes peccati? Respondeo, & Dico: per quæcunque impeditur inclinatio appetitûs sensitivi prævenientis rectam rationem, per id impeditur fomes peccati. Impeditur verò inclinatio dicta tum extrinsecè, tum intrinsecè. Extrinsecè impeditur per protectionem Divinam avertentẽ occursum objecti sensibilis & motivorum, talisque objecti propositionem, ad alia objecta cognoscenda divertendo potentiam cognoscitivã &c. Internè impeditur per scientiam per se infusam, per sanctas illustrationes objectum honestum proponentes immissas intellectui, dum occurrit, & proponitur appetitui sensitivo objectum sensibile rectæ rationi dissonum, excitantes ad prosequendum objectum honestum, & præferendum objecto sensibili dissono. Impeditur itèm internè eadem inclinatio per seriem auxiliorum congruorum, & semper efficacium gratiæ actualis ad actus honestos excludentes actus prosecutivos objecti sensibilis rectæ rationi dissoni. Itèm impeditur per gratiam habitualem & habitus infusos valde intensos, per habitus itèm acquisitos, per frequentationem actuum honestorũ oppositorum prosecutioni objecti sensibilis, tandem impeditur per continuum exercitium actuum intensorum perfectæ charitatis. Non impediebatur verò in Beata Virgine fomes peccati, & inclinatio ad illud per qualitatem distinctam à gratia habituali, & cæteris, quæ immediatè enumerata sunt, quia talis qualitatis adstruendæ nulla est necessitas, nullum fundamentum. Nec ad impediendam dictam inclinationem, & fomitem peccati

sufficiebat quivis gradus gratiæ habitualis, sed requirebatur plenitudo gratiæ, & alia proximè enumerata; quæ quia dabantur in B. Virgine à primo rationis ejus usu, ideò in illa fuit impeditus fomes peccati. Quia verò in justis hæc non dantur, in ipsis non est impeditus, nec extinctus fomes peccati, etiamsi detur in ipsis gratia habitualis.

118. Sextæ Probationis Distinguo Majorem. Id quod pertinet ad perfectionem virtutis, tanquam causa, sinè qua non potest haberi dicta perfectio, non debet negari in B. Virgine. Concedo Majorem. Id quod pertinet ad perfectionem virtutis permodum occasionis, ejúsque dedecentis, non debet negari in Beata Virgine. Nego Majorem, Et Distinguo Minorem. Sed fomes peccati pertinet ad perfectionem virtutis, tanquam causa, sinè qua non potest haberi perfectio. Nego Minorem. Sed fomes peccati pertinet ad perfectionem virtutis permodum occasionis, ejúsque dedecentis. Concedo Minorem, & Nego Consequentiam. Potest etiam idem Argumentum sic Distingui. Quod pertinet ad perfectionem virtutis, & sinè quo non potest haberi aliqua determinatè perfectio, neque ulla alia illi æquivalens, vel illam excedens & superans, id non debet negari in Beata Virgine. Concedo Majorem. Quod pertinet ad perfectionem virtutis ità, ut sinè ipso possit haberi perfectio alterius rationis priori illi perfectioni non solùm æquivalens, sed etiam illam longè excedens, illud non debet negari in Beata Virgine. Nego Majorem, & Distinguo Minorem. Sed fomes peccati pertinet ad perfectionem virtutis taliter, ut sinè fomite non possit haberi ulla alia perfectio virtutis æquivalens, vel longè excedens perfectionem, quæ haberetur ratione fomitis. Nego Minorem. Sed fomes peccati pertinet ad perfectionem virtutis taliter, ut sinè ipso possit haberi perfectio virtutis æquivalens, aut etiam excedens, & superans perfectionem, quæ possit haberi occasione fomitis. Concedo Minorem, & Nego Consequentiam.

119. Secundæ Objectionis Nego Assumptum. Primam Probationem Distinguo. Timor, & perturbatio Virginis ad salutationem Archangeli prævenerat aliquam rectam rationem, & cogitationem Virginis, Concedo Antecedens. Prævenerat omnem rationem, & cogitationem etiam illam, quæ necessaria fuit ad directionem ipsius timoris, ac perturbationis. Nego Antecedens, & Consequentiam, & Dico, quòd timorem Virginis, & perturbationem licèt subsecuta sit cogitatio illa, quâ Virgo cogitabat, qualis esset Angeli salutatio, ipséque timor hanc cogitationem prævenerit, tamen non prævenit omnem cogitationem rectæ rationis sufficientem ad directionem talis timoris, quia non prævenit illam cogitationem rectæ rationis, quæ Beatæ Virgini dictabat, timendum esse ad tanti mysterii annuntiationem, & consulendum esse omni meliori modo integritati pudoris & castitatis, & cavendum ab illusione, sed ex talis actûs directione timebat, & turbabatur Virgo Beata.

120. Secundæ Probationis Nego Antecedens. Ad ulteriorem Probationem Dico, opinionem de deliquiis, & spasmo Virginis in passione Christi, non esse conformem Euangelio, quod testatur Virginem DEIparam sub cruce Christi stetisse, sub qua debuisset prolabi, si deliquia & spasmum passa fuisset; illud certum est, quòd in passione & morte Filii B. Mater dolorem ingentem senserit expressum illâ Simeonis Prophetiâ. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Hic tamen dolor non præveniebat rectam rationem Virginis, sed potiùs ex hujus directione ponebatur. Dictabat enim recta ratio Beatæ Virgini compatiendum esse Christo patienti, dolendum esse super morte Filii sui, ejúsque unigeniti à Patre, indigna passi. Idem Virginis dolor fuit conjunctus cum actu fortitudinis ipsius, & conformitatis cum voluntate DEI, qui actus supponunt dirigentem rectam rationem proponentem motiva harum virtutum, & ipsorum honestatem.

121. Tertiæ Probationis Negant Antecedens aliqui, & dicunt: Beatam Virginem obiisse ex obedientia ad imperium DEI ipsam in alteram vitam evocantis; quomodo dicitur mortuus esse Moyses. Idem Antecedens putant aliqui posse concedi, & censent Beatam Virginem non

non ex violento, sed ex vehementi & valde intenso amoris affectu mortuam fuisse, sicut S. Paulus primus Eremita, ordinis Eremitarum primus Author & Fundator Sanctissimus in oratione genuflexus cervice erecta, manibus in altum extensis, ex amoris DEI, & devotionis, an alio sancto affectu? his immortuus spiritum reddidit Creatori. Sicut itèm S. Philippi Nerei cor tanto charitatis DEI æstuabat ardore, ut cùm intrà fines suos contineri non posset, illius sinum confractis atque elatis duabus costulis mirabiliter DEUS ampliaverit, ùt habetur in Lectionibus de eodem sancto. Sicut præterea habetur de quibusdam verè contritis & pœnitentibus, quòd præ magnitudine doloris & contritionis inter singultus & lacrymas morte extincti vivere desierint. Neque censenda est B. DEI Mater ex intenso charitatis affectu mortua, fuisse mortua ex passione non directa per rectam rationem nec moderata. Tum quia nec alii Sancti, ùt S. Paulus Eremita & sancti Pænitentes ex amoris DEI, contritionis aut alterius actûs virtutis intensione mortui censendi sunt ex passione mortui fuisse, cùm talis mors ipsorum fuerit maximè meritoria, adeoque plenissimè libera. Tum quia charitas illa, ex qua Virgo Beata putatur esse mortua, fuit ex directione rectæ rationis dictantis DEUM amandum esse perfectissima charitate, etiamsi ex hac mori necesse esset. Tum quia charitas illa in B. Virgine nullatenus potuit esse passio præveniens rectam rationem. Passio enim debet esse prosecutio objecti sensibilis rationi dissoni. Porrò actus Charitatis DEI cùm tendat in DEUM, qui est objectum summè immateriale, adeoque insensibile, est itèm objectum rectæ rationi maximè consonum, talis actus non est prosecutio objecti sensibilis, ejúsque rectæ rationi dissoni. Passio itèm propriè dicta debet prævenire rectam rationem, quam tamen actus charitatis DEI non potest prævenire, quia non potest prævenire cogitationem proponentem DEUM, ùt amabilem super omnia, ejúsque Bonitatem summam tanquam motivum charitatis; cùm nihil sit volitum nisi cognitum. Porrò talis circa DEUM cognitio est propriissimè recta ratio.

122. Tertiæ objectionis Nego Assumptum. Ad primam Probationem Dico: per illa Genes. verba: *ipsa conteret caput Tuum, & Tu insidiaberis calcaneo ejus.* Non externam tentationem Beatæ Virginis à Diabolo ipsi visibiliter apparente prænunciatam fuisse, sed contritionem capitis serpentis infernalis insidiantis calcaneo B. Virginis, hoc est, primo in mundum, seu in vitam mortalem ipsius ingressui per immaculatam purissimæ ejusdem Virginis conceptionem.

123. Secundæ Probationis Nego Consequentiam. Ad ulteriorem Probationem Dico: esse, & apparere rationem, cur Beata Virgo fuerit immunis & libera etiam ab externa Diaboli tentatione. Nimirum illa ipsa ratio est, propter quam Beata Virgo non est externè passa in corpore suo flagella, spinas, crucifixionem, violentam à persecutoribus sibi illatam mortem, licèt hæc omnia Christus pati pro nobis dignatus est. Est verò istorum ratio hæc, quia Christus se permisit externè tentari, permisit sacrum suum corpus flagris dirissimè concidi, caput suum spinis coronari, se in crucem agi, & crudelissima morte occidi, quod ipsum fides docet, & sanctum Evangelium clarissimè testatur. Non permisit verò Virginem suam Matrem externè tentari à Diabolo, nec illam in sacro suo corpore à persecutoribus quidquam pati. Talis enim permissionis nullum est fundamentum, nulla necessitas.

## §. III.

### An DEUS per suam scientiam pro statu conditionato viderit Beatam MARIAM Virginem omnibus auxiliis supernaturalibus consensuram.

124. Præmitto, doceri à Theologis: Quòd DEUS per scientiam actuum creatorum liberorum sub conditione contingente futurorum videat creaturas liberas certis auxiliis, si illis conferantur, consensuras, certis auxiliis dissensuras. Et per hoc censent DEUM specialem

exercere benevolentiam circa aliquas creaturas, quòd pro eis illa seligat auxilia, ac etiam conferat, quibus eas consensuras videt. Circa alias consent DEUM ordinariam exercere providentiam, quòd illis conferat auxilia sufficientia, seu talia, quibus illas creaturas dissensuras videt. Per talium auxiliorum scientiam & collationem explicatur, quâ ratione DEUS salva libertate creaturarum liberarum voluntates flectat, quò vult, & qua ratione aliquorum misereatur, quibus vult misereri, aliquos verò induret. Ex hac Doctrina communi, occasione accepta instituitur quæstio à quibusdam, cùm hoc dependeat à libertate creata, quòd voluntas creata sit his ac illis auxiliis consensura, aliis verò dissensura, utrùm possibilis sit creatura rationalis, quæ pro sua libertate omnibus auxiliis indifferentibus sit consensura? & iterum, an sit possibilis creatura rationalis, quæ pro sua itidem libertate omnibus auxiliis indifferentibus sit dissensura? Instituitur itèm quæstio: an utraque vel alterutra talis creatura de facto detur, & quæ illa sit? specialiter verò quæritur, an Beata Virgo fuerit talis creatura, quæ omnibus auxiliis indifferentibus erat consensura, & quam DEUS per scientiam futurorum liberorum conditionatorum viderit pro statu conditionato omnibus auxiliis consensuram? Non apparere implicantiam metaphysicam in talia creatura libera, quæ videatur omnibus auxiliis indifferenribus dissensura, etiamsi attenta Authoritate Scripturæ videatur implicare saltèm implicantia morali, aut saltèm quòd nulla ex existentibus talis detur, docui in tract. de DEO Disp. 4. num. 224. Eòdem modò discurrunt aliqui de creatura, quæ videatur omnibus auxiliis indifferentibus consensura; nimirum censent etiam in hac creatura non apparere ullam implicantiam metaphysicam. Addunt nihilominùs, rarissimam, & vix unam & alteram dari posse, quæ videatur omnibus auxiliis consensura, sed communiter & ferè ordinariè videntur creaturæ liberæ certis auxiliis consensuræ, certis dissensuræ. Ulteriùs, dari creaturas rationales, quæ omnibus auxiliis visæ sunt consensuræ, docent præcipui Theologi. P. Bartholomæus Caregnio citatus Disp. 4. num. 48. Humanitatem Christi talem esse creaturam, quam DEUS prævidit tam ingenuæ & religiosæ indolis, ut posita sub præcepto Divino de subeunda morte cum quocunque auxilio indifferente, esset semper obtemperatura, hánceque humanitatem fuisse assumptam à VERBO Divino, utpote quæ maximè deceret Personam VERBI. P. Joannes Marin Tract. 17. de Incarnat: Disp. 7. num. 43. & sequentibus censet, quòd etiam Beata Virgo pro statu conditionato prævisa fuerit à DEO, omnibus auxiliis supernaturalibis indifferentibus consensura, licèt simul visa sit infinitis auxiliis naturalibus dissensura.

125. Dicendum est. Probabile esse Beatam Virginem MARIAM prævisam esse à DEO, quòd omnibus auxiliis supernaturalibus indifferentibus esset consensura pro statu conditionato, licèt simul visa sit quibusdam naturalibus dissensura.

Probatur primò Authoritate Synodi 7. Act. 3. asserentis, quòd *Beata Virgo faerit immaculata & omni naturâ sensibili & intellectuali purior*. S. Anselmi de Concept. Virginis cap. 18. dicentis: *Decuit Beatam Virginem ea puritate nitere, quâ major sub DEO nequit intelligi.* S. Chrysostomi, Qui Serm. de Nativ. apud Metaphr. de Beata Virgine, sic loquitur: *Quid majus, aut illustris aliquando illâ inveniri potuit - - Quidnam illâ sanctius - - Inter res creatas visibiles & invisibiles majus, aut excellentius inveniri nonpotest.* Ex his authoritatibus sic arguitur: Beata Virgo MARIA est tantæ puritatis, ut sit omni creaturâ sensibili & intellectuali purior, ut ejus puritate major sub DEO nec intelligi, nec inveniri possit. Atqui, si Beata Virgo non fuisset prævisa omnibus auxiliis supernaturalibus consensura, non esset omni creaturâ sensibili & intellectuali purior, non ea puritate & sanctitate niteret, quâ major & excellentior sub DEO dari non posset. Purior enim illa natura creata esset, & majore puritate & sanctitate niteret, quæ omnibus auxiliis supernaturalibus consensura pro statu conditionato prævideretur. Ergo.

126. Probatur secundò Ratione Theologica. Fieri potuit, ut futura DEI Mater omnibus gratiæ Divinæ auxiliis super-

ſupernaturalibus pro ſtatu conditionato conſentiret, videretúrque à DEO conſenſura. Decuit, ut conſentiret, & videretur conſenſura, neque id repugnat Scripturæ & Patribus. Ergo defacto Beata Virgo omnibus auxiliis ſupernaturalibus pro ſtatu conditionato erat conſenſura, DEUSque prævidit omnibus auxiliis ſupernaturalibus pro hoc ſtatu eam conſenſuram. Prima pars Antecedentis probatur. Tum nullitate implicantiæ. Tum quia, ut implicet talis creatura, deberent in eo involvi duo contradictoria, quòd aliqua creatura omnibus auxiliis indifferentibus ſupernaturalibus eſſet ex ſua propria determinatione conſenſura. Sed nulla contradictoria in eo involvuntur, quæ enim? Ergo. Tum quia de ratione libertatis creatæ eſt, potentiam liberam poſitis ex parte actûs primi omnibûs comprincipiis & requiſitis indifferentibûs, agere vel non agere, ſeu poſſe eligere unum ex his, ad quæ eſt indifferens, & ad unum ſe determinare. Ergo de ratione libertatis creatæ eſt, poſſe conſentire & huic, & illi, & alteri cuivis auxilio ſupernaturali, & nulli eorum diſſentire. Ergo non implicat creatura libera, quæ pro ſuo libitu & arbitrio omnibus auxiliis ſupernaturalibus conſentiat. Tum quia nullum exercitium libertatis verum, & reale, ac propriè tale implicat. Sed conſenſus ex propria determinatione voluntatis liberæ, omnibus auxiliis ſupernaturalibus indifferentibus, eſt exercitium verum & reale ac propriè tale libertatis, non ſecus ac conſenſus quibusdam, & diſſenſus aliis, ex propria determinatione voluntatis liberæ, eſt exercitium verum, & reale, ac propriè tale libertatis, quia eſt electio & determinatio, quia ſub auxiliis indifferentibus voluntas creata ſe determinat ad aſſentiendum iisdem auxiliis. Ergo. Tum quia, ſi non eſſet poſſibilis creatura, quæ omnibus auxiliis ſupernaturalibus indifferentibus eſſet conſenſura, deberet in quavis poſſibili creatura liebera ità dari libertas ad aſſentiendum quibusdam auxiliis, ut ſimul detur neceſſitas ad diſſentiendum nonnullis. Sed non datur neceſſitas in quavis creatura libera ad diſſentiendum nonnullis auxiliis indifferentibus, neque enim ad id datur neceſſitas antecedens, cùm hæc repugnet libertati diſſensûs, neque datur neceſſitas conſequens, hæc enim cùm deberet eſſe ipſe diſſenſus alicui auxilio liberè poſitus, non apparet implicantia, ut aliqua creatura libera nullam talem neceſſitatem diſſensûs conſequentem habeat, ſed unicè habeat neceſſitatem conſequentem aſſensûs, hoc eſt, ut liberè aſſentiatur omnibus & ſingulis auxiliis indifferentibus ſupernaturalibus. Tum quia, ſi poſſibile eſt medium participans ex aliquibus extremis quidpiam, debent eſſe poſſibilia & ipſa extrema, inter quæ eſt illud ipſum medium. Sed conſentire quibusdam auxiliis, diſſentire aliis, eſt medium participans ex extremis, illúdque eſt poſſibile, extrema ſunt omnibus auxiliis conſentire, & omnibus auxiliis diſſentire, ex quibus medium participat ex uno, quatenus aſſentitur aliquibus auxiliis, ex alio participat, quatenus alicui auxilio diſſentit. Ergo hæc extrema ſunt poſſibilia, adeoque poſſibilis creatura, quæ omnibus auxiliis ſupernaturalibus indifferentibus ſit conſenſura pro ſtatu conditionato.

127. Secunda pars Antecedentis, nimirum quòd Beatam Virginem MARIAM decuit, ut hæc pro ſtatu conditionato conſentiret omnibus auxiliis ſupernaturalibus indifferentibus, probatur. Tum quia Beatam Virginem decuit tanta puritas, qua major ſub DEO cogitari non poteſt. Sed conſenſus omnibus auxiliis ſupernaturalibus indifferentibus, etiam pro ſtatu conditionato, eſt tanta puritas, qua major in hac ratione cogitari non poteſt, cùm diſſenſus, vel uni auxilio, ſit aliqua impuritas vel certè aliquis puritatis defectus. Ergo. Tum quia Beatam Virginem decuit, ut in ſtatu abſoluto, omnibus auxiliis ſupernaturalibus indifferentibus conſentiret, quatenus decuit illam, ut nunquam etiam venialiter peccaret, ut bene & ſalutariter ſemper operaretur, ut à primo uſu rationis omnes ejus actus eſſent meritorii. Ergo eandem Virginem decuit, ut pro ſtatu conditionato omnibus auxiliis ſupernaturalibus indifferentibus cōſentiret, ut pro eodem ſtatu nulli illius actus viderentur peccaminoſi, nulli non meritorii. Tum quia, ſi eſt poſſibilis creatura omnibus auxiliis ſupernaturalibus

 libus

libus indifferentibus consensura, decuit, ut hæc creatura esset B. Virgo, quæ omnes alias puras creaturas suaj perfectione, excellentiâ, præstantiâ, propensione, & inclinatione ad bonum, superavit. Ergo.

128. Tertia pars, nimirum quòd Beatam Virginem prævisam esse à DEO omnibus auxiliis supernaturalibus pro statu conditionato consensuram, non repugnet Scripturæ & Patribus, Probatur. Tum quia oppositum est conforme Scripturis & Patribus. Scripturæ illi: *tota pulchra es amica mea, & macula non est in Te*, seu ùt vult intelligi Innocentius XI. *& macula nunquam fuit in te*, nunquam scilicet tam in statu absoluto, quàm in statu conditionato, & nullus pulchritudinis defectus. Est etiam conforme Patribus adductis num. 125. Tum quia, si cui Scripturæ repugnaret Beatam Virginem esse talem creaturam, quæ omnibus auxiliis indifferentibus pro statu conditionato, erat, & videretur consensura, repugnaret maximè illi ad Rom. 9. ubi dicitur: *DEUS, cui vult, miseretur, & quem vult, indurat*, quatenus DEUS Beatam Virginem, suppositô, quòd omnibus auxiliis esset consensura, non posset indurare. Sed huic Scripturæ non repugnat ex aliis quidem rationibus inferiùs adducendis, sed maximè ex hac, quia, ùt expresè additum est in nostra Conclusione Num. 125. Beata Virgo itâ omnibus auxiliis supernaturalibus indifferentibus pro statu conditionato visa est consensura, ut auxiliis naturalibus pro eodem statu visa sit dissensura. Etiamsi ergo DEUS Beatam Virginem non potuisset indurare per subtractionem auxiliorum supernaturalium, quæ videret futura efficacia, & per concessionem auxiliorum supernaturalium, quæ à Beata Virgine redderentur inefficacia, siquidem nulla talia essent, posset tamen nidurare eandem, nulla conferendo auxilia supernaturalia, sed conferendo non nisi auxilia illa naturalia, quibus Beatam Virginem prævidit dissensuram.

129. Consequentia Argumenti num. 126. propositi, probatur. DEUS talem & tantæ puritatis & excellentiæ Matrem suo Filio elegit, qualis & quantæ puritatis dari hæc potuit, & quantæ puritatis eam esse decuit suppositô, quòd illa ejus puritas non repugnet Scripturis & Patribus, quia elegit Matrem maximè idoneam, & maximè dignam tantô Filiô. Sed potuit dari ejus puritatis & excellentiæ Virgo, quæ omnibus auxiliis supernaturalibus indifferentibus pro statu conditionato esset consensura, ùt probatum est num. 126. Decuit etiam, ut futura DEI Mater esset tantæ puritatis Virgo, ùt probatum est num. 127. nec id repugnat Scripturæ & Patribus, ùt constat ex num. 128. Ergo DEUS hanc Virginem, quæ omnibus auxiliis supernaturalibus indifferentibus pro statu conditionato erat consensura, elegit in Matrem incarnandi Filii sui, adeoque Beata Virgo DEIpara à DEO est prævisa pro statu conditionato omnibus auxiliis supernaturalibus indifferentibus consensura.

## Proponuntur Objectiones.

130. Objicitur primò ab Authoritate. Repugnat Scripturæ, Conciliis, & Patribus Beatam Virginem prævisam à DEO fuisse, quòd omnibus auxiliis supernaturalibus indifferentibus pro statu conditionato esset consensura, Ergo non est prævisa. Antecedens probatur. Tum quia repugnat Scripturæ, DEUM alicui creaturæ rationali non posse misereri, quia vult non posse illam indurare, si velit, nimirum repugnat illi Scripturæ. Ad Rom, 9. *cujus vult, miseretur, quem vult, indurat.* Atqui si Beata Virgo prævisa fuisset omnibus auxiliis supernaturalibus indifferentibus pro statu conditionato consensura, DEUS Beatæ Virgini non posset misereri, quia vellet, sed quia deberet; nec posset exercere circa ipsam specialem suam Benevolentiam succurrendo illi per selecta auxilia, nè succumbat; siquidem omnia auxilia supernaturalia Beatæ Virgini data vel danda essent talia, sub quibus hæc non succumberet, nec locus esset ulli selectioni. In eadem suppositione DEUS Beatam Virginem non posset indurare; induratio enim secundùm S. Augustinum lib. de Prædest. & gratia cap. 4. per hoc fieri censetur, *cùm quempiam DEUS mollire noluerit.* Sed DEUS Beatam Virginem, quam prævideret omnibus auxiliis supernaturalibus

con-

consensuram, non posset nolle mollire, quia non posset negare auxilium supernaturale, quô molliretur, siquidem omni auxilio supernaturali consentiret. Tum quia repugnat Scripturæ, *ut quis se discernat*, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 4. *quis enim Te discernit?* ut quis se glorietur electum esse ad gloriam in viribus arbitrii sui, & non in Domino, quia posset gloriari de consensu cuivis auxilio supernaturali, & de bono usu gratiæ. Ergo. Tum quia repugnat Concilio Tridentino dicere, quòd Beata Virgo omnibus auxiliis supernaturalibus prævisa sit consensura. Hoc enim sess. 6. Can. 23. docet: *Beatam Virginem ex speciali DEI privilegio vitâsse omnia venialia.* Si verò Beata Virgo pro statu conditionato omnibus auxiliis visa fuit consensura, vitavit omnia venialia independenter à speciali privilegio, quia vitavit illa cum communibus auxiliis, quia cum illis auxiliis, quibus consensura, & cooperatura erat. Tum quia ex Patrum & Theologorum doctrina Beata Virgo confirmata fuit in gratia, idque debuit esse confirmata per auxilia specialissima. Sed in suppositione nostræ assertionis non debuit per talia auxilia confirmari, siquidem omnibus erat consensura, & cooperatura etiam illis, quæ communiter, & ordinariè conferri consueverunt.

131. Objicitur secundò, & probatur. Quòd non sit possibilis creatura rationalis, quæ pro statu conditionato omnibus auxiliis supernaturalibus sit consensura. Tum quia non est possibilis creatura, quæ deroget perfectionibus Divinis. Sed illa creatura, quæ esset consensura omnibus auxiliis, derogaret perfectionibus Divinis. Quia derogaret speciali benevolentiæ Divinæ, quò minùs DEUS talem benevolentiam posset exercere circa hujusmodi creaturam. Hæc enim benevolentia exerceretur per selectionem auxiliorum, quòd DEUS alicui creaturæ seligat auxilia congrua, & efficacia, illáque potiùs conferat, & non auxilia purè sufficientia. Ergo. Tum quia omnis creatura per hocipsum, quòd sit creatura, est defectibilis, & mutabilis. Sed si aliqua esset omnibus auxiliis consensura, & salutariter operatura, non esset defectibilis, & mutabilis; siquidem nullum defectum, nullam mutationem admitteret. Ergo. Et ratio ulterior Minoris est. Illa creatura neque est mutabilis quoad suum operari, neque esset mutabilis quoad suum esse. Ergo non esset simpliciter mutabilis. Antecedens probatur. Non esset mutabilis quoad suum operari, siquidem immutabiliter consentiret omnibus auxiliis. Non esset etiam mutabilis quoad suum esse, cùm immutabilitas quoad operari supponat immutabilitatem quoad esse; modus enim operandi sequitur modum essendi, ùt fert commune axioma. Ergo. Tum quia implicat, aut saltèm non datur creatura libera omni auxilio dissensura. Talis enim creatura non posset constitui in statu meriti, quia non posset mereri, aliàs deberet mereri per dissensum auxilio supernaturali; siquidem in tali creatura non darentur alii actus, nisi dissensus auxiliis supernaturalibus. Ergo etiam implicat, aut saltèm non datur creatura libera, omnibus auxiliis supernaturalibus pro statu conditionato consensura. Tum quia non est possibilis creatura intellectualis & libera, quæ pro statu conditionato omnibus auxiliis non solùm supernaturalibus, sed etiam naturalibus videatur consensura. Quia talis creatura deberet esse Virgo DEIpara, utpote ejus puritatis, quâ major sub DEO dari non potest. Hæc verò negatur esse talis creatura, quæ etiam auxiliis naturalibus pro statu conditionato visa sit consensura. Ergo neque est possibilis creatura libera omnibus auxiliis supernaturalibus consensura. Tum quia impossibilis est creatura, quæ necessitata moraliter ad peccandum, sive dissentiendum diversis auxiliis, ipsa nihilominus omnibus, & singulis auxiliis consentiat. Sed illa creatura, quæ videretur consensura omnibus auxiliis supernaturalibus, esset necessitata moraliter ad dissentiendum quibusdam, ac etiam ad peccandum. Multa enim viderentur auxilia danda in circumstantia gravis, imò gravissimæ tentationis ad peccatum, & dissensum, vehementer ad hæc inclinantis; qualis tentatio est necessitas moralis peccandi & dissentiendi, & creatura habens talem tentatio-

nem, eſt neceſſitata moraliter ad peccandum, vel diſſentiendum.

132. Objicitur tertiò, & probatur. Quòd non decuerit, ut futura Mater DEI eſſet talis creatura, quæ omnibus auxiliis ſupernaturalibus indifferentibus pro ſtatu conditionato erat conſenſura. Tum quia decuit, ut Beata Virgo & immunitatem à peccatis actualibus, & bonum gratiæ uſum habuerit, ratione & tituló maternitatis DEI. Sed ſi Beata Virgo prævisa fuiſſet pro ſtatu conditionato omnibus auxiliis ſupernaturalibus conſenſura, non habuiſſet dictam immunitatem, & bonum gratiæ uſum, ratione, & tituló maternitatis. Hæc enim habuiſſet pro ſtatu conditionato, antequàm in ſtatu abſoluto in Matrem DEI eligeretur. Ergo. Tum quia decuit Virginem DEIparam, ut vitaret omnia peccata etiam venialia, & ut omnes actus ejus eſſent ſalutares, & meritorii dependenter à meritis Chriſti, ac etiam ut dependenter ab iiſdem meritis prædeſtinaretur ad gloriam. Sed ſi pro ſtatu conditionato viſa fuiſſet omnibus auxiliis ſupernaturalibus conſenſura, non haberet id ex meritis Chriſti, quia hoc haberet propter ſua merita, & ſuos aſſenſus auxiliis ſupernaturalibus, quibus independenter à meritis Chriſti viſa eſt pro ſtatu conditionato conſenſura. Eſſet etiam Beata Virgo prædeſtinata ad gloriam independenter à meritis Chriſti, quia eſſet prædeſtinata dependenter à meritis ſuis; quia verò hæc eſſent independentia à meritis Chriſti, etiam prædeſtinatio Virginis deberet eſſe independens à meritis Chriſti. Confirmatur. Si Beata Virgo DEIpara haberet hoc ex meritis Chriſti, quòd vitaverit venialia, & actus virtuoſos, & ſalutares poſuerit, tunc prævisa fuiſſet pro ſtatu conditionato omnibus auxiliis ſibi dandis intuitu meritorum Chriſti conſenſura. Sed hôc ipsô non fuiſſet prævisa omnibus auxiliis conſenſura, cùm præter auxilia intuitu meritorum Chriſti conferenda, ſint etiam auxilia conferenda independenter à meritis Chriſti, ſaltêm pro ſuppoſitione, in qua Chriſtus non veniſſet. Ergo.

## Reſpondetur Objectionibus.

133. Objectionis primæ Nego Antecedens. Primæ Probationis Major quoad ſecundam potiſſimùm partem eſt falſa, nimirum falſum eſt, quod repugnet DEUM non poſſe indurare aliquam creaturam, ſi velit. Cùm enim induratio fiat per hoc, quòd DEUS creaturæ liberæ neget auxilia congrua & efficacia, ſolàque conferat auxilia purè ſufficientia, & ea, quæ prævidet futura inefficacia, ſi reſpectu alicujus creaturæ omnia futura ſunt auxilia efficacia, nulla inefficacia, talem creaturam DEUS non poterit indurare. Neque id repugnat adductæ Scripturæ, cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat; etiamſi enim DEUS communiter, & ordinariè induret, quem vult, tamen hoc non procedit univerſaliter de omnibus creaturis, etiam purè poſſibilibus, neque ex creaturis exiſtentibus, de hac determinatè creatura, quæ eſt Beata Virgo MARIA. Hæc enim ſicut non venit ſub propoſitionibus univerſalibus, in quibus agitur de peccatis, ità non debet venire ſub propoſitione univerſali, quæ eſt de induratione in peccato. Deinde illa propoſitio: quòd DEUS induret, quem vult, debet intelligi cum hac limitatione, ſi eſt capax indurationis, non verò, quòd induret etiam incapacem indurationis. Porrò creatura, quæ prævisa eſt omnibus auxiliis conſenſura, non eſt capax indurationis. Eatenus enim indurationis eſſet capax (intellige proximè) quatenus poſſent haberi auxilia, quæ illa creatura per diſſenſum redderet inefficacia. Sed in dicta creatura conſentiente omnibus auxiliis non habentur, nec per ſuppoſitionem conſequentem poſſunt haberi auxilia, quæ illa creatura redderet inefficacia. Ergo. Prætereà illa propoſitio: DEUS indurat, quem vult, accipienda eſt ſtrictè & preſsè, nimirum quòd DEUS induret, quem vult indurare, nullatenus verò etiam illos, quos non vult. Porrò DEUS non quamvis creaturam vult, aut poteſt indurare, ſed illam ſolùm vult, aut poteſt velle indurare, quam præconſulta voluntate creaturæ videt ſe illam poſſe indurare. Cùm enim DEUS non aliter aliquem induret, niſi ùt cauſa per accidens,

dens,& permiſſivè ac negativè,nõ conferendo, unde mollior fiat, non verò ut cauſa per ſe, & poſitivè impertiendo malitiam, & irrogando aliquid, quô homo ſit deterior; ſiquidem repugnat DEUM eſſe cauſam per ſe peccati, adeoque repugnat ipſum eſſe cauſam per ſe indurationis, quæ neceſſariò fit per peccatum, imò per plura peccata hominis indurati. Ejuſdem Probationis omiſſa Majore Nego Sequelam Minoris. Et imprimis Nego, quòd DEUS Beatæ Virgini, ſi illam prævidiſſet omnibus auxiliis ſupernaturalibus conſenſuram, non poſſet miſereri, quia vellet. Poſſet illi miſereri, quia vellet, tum quia per hoc, quòd potiùs illi conferret auxilia ſupernaturalia, quibus prævidit eam conſenſuram, non conferret verò auxilia naturalia, quibus prævideret illam non conſenſuram. Tum per hoc, quòd DEUS ex ſupernaturalibus auxiliis Beatæ Virgini conferret auxilia intenſiora ad actus intenſiores, motiva excellentiora reſpicientes, magis ſibi placentes, & majoris meriti, non verò auxilia remiſſiora, & quæ Beatam Virginem excitarent ad actum minoris excellentiæ, & meriti. Nego deinde, quòd DEUS circa Beatam Virginem exercere ſpecialem benevolentiam non poſſet; licèt enim hanc non poſſet exercere eô modô, quô illam exerceret circa alios Juſtos, quos prævidit certis auxiliis ſupernaturalibus conſenſuros, aliis non conſenſuros, ſeligendo auxilia congrua, eáque conferendo & non alia; poteſt tamen DEUS aliô modô exercere ſuam benevolentiam circa Beatam Virginem, accomodata ad indolem Virginis, ſeligendo auxilia ſupernatutalia, illáque conferendo, relinquendo auxilia naturalia, nec ea offerendo. Exerceret item ſpecialem benevolentiam ſeligendo auxilia ſupernaturalia intenſiora ad actus perfectiores, & majoris meriti, eáque potiùs conferendo, quàm alia. Unde patet, quòd reſpectu Beatæ Virginis ſit adhuc locus ſelectioni auxiliorum, licèt diverſæ à ſelectione, quâ ſeliguntur auxilia pro aliis Juſtis. Sequela tertia ſecundùm dicta poſſet concedi, quòd nimirum DEUS Beatam Virginem non potuerit indurare impotentiâ ſuppoſitionis conſequentis liberum Beatæ Virginis conſenſum, quibuſcunque auxiliis pro ſtatu conditionato; in quo nulla eſt imperfectio, ſive ipſius DEI, ſive Beatæ Virginis impotentis indurari; ſicut non eſt imperfectio DEI, aut Beatæ Virginis, quòd illam lapſam in peccatum DEUS ſuæ gratiæ auxiliô non potuerit ſublevare impotentiâ ſuppoſitionis conſequentis, nimirum ſuppoſitionis, quòd Beata Virgo non ſit lapſa in ullum peccatum. Poteſt deinde diſtingui hæc Sequela. DEUS non potuiſſet indurare Beatam Virginem conferendo illi auxilia ſupernaturalia inefficacia. Concedo Sequelam. Subtrahendo auxilia ſupernaturalia, & conferendo auxilia naturalia inefficacia. Nego Sequelam. Diſtinctio eſt ex num. 127. Ratione ultima.

134. Secundæ Probationis Nego Minorem, & dicò. Quòd Beata Virgo, ſi prævideretur omnibus auxiliis ſupernaturalibus conſenſura, non ipſa ſe diſcerneret, ſed à DEO diſcerneretur, deberétque in Domino gloriari, non in ſe ipſa, idque ex triplici ratione. Primò, quia Beata Virgo, quòd potiùs haberet auxilia ſupernaturalia, quibus erat conſenſura, & non auxilia naturalia, quibus erat diſſenſura, non ſibi, ſed DEO deberet, deberétque humillimè fateri: Tu Domine me diſcreviſti, quia mihi contuliſti auxilia ſupernaturalia, quibus eram conſenſura, non verò auxilia naturalia, quibus eram diſſenſura. In te glorior,& gloriabor,quia feciſti mihi magna, qui potens es. Secundò ex hac ratione: quia ſecundùm S. Auguſtinum lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagii: *Ille diſcernit,qui, unde diſcerneris, impertit,quod ſolus DEUS facit.* Sed DEUS auxilia ſupernaturalia impertit Beatæ Virgini, tanquam Author totius ſupernaturalitatis, quibus auxiliis conſentiendo, per illum ipſum conſenſum diſcernitur Beata Virgo. Licèt verò Beata Virgo ſit cauſa ſui conſenſûs, quia tamen illius eſt cauſa inſtrumentalis, ipſa verò auxilia ſupernaturalia ſunt cauſa principalis, ideò DEUS auxiliorum hujuſmodi cauſa, per illa ipſa efficienter, per conſenſum verò formaliter diſcernit Beatam Virginem, debétque hanc ſuam diſcretionem Beata Virgo in DEUM referre, humiliter gloriando: *Non ego, ſed gratia DEI mecum.* Tertiò ex hac ratione, quia

quia Beata Virgo eſt diſcreta non quomodocunque, ſed ad ſublimem ſanctitatem, ſuorúmque actuum magnam intenſionem, & excellentiam. Atqui talem diſcretionem DEO debet Virgo; à ſola enim DEI voluntate dependet, & habetur, quòd Beatæ Virgini collata fuerint tantæ intenſionis, & perfectionis auxilia, & per ordinem ad tam ſublimes Virtutum actus, non verò collata fuerint auxilia minùs intenſa, minùs perfecta, & per ordinem ad actus minùs ferventes, & minùs ſublimes. De qua pariter diſcretione debet Beata Virgo gloriari in Domino.

135. Tertiam Probationem Nego. Ad ulteriorem Dico, Beatam Virginem, etiamſi viſa fuerit omnibus auxiliis ſupernaturalibus pro ſtatu conditionato conſenſura, ex ſpeciali tamen privilegio vitâſſe omnia venialia. Tum quia ſpeciale privilegium eſt Beatam Virginem pro ſtatu abſoluto habuiſſe omnia auxilia non niſi ſupernaturalia, quibus erat conſenſura abſque interruptione talium auxiliorum, quibus erat diſſenſura, quia ſpeciale privilegium eſt habuiſſe illam auxilia non niſi congrua, & efficacia, non habuiſſe verò purè ſufficientia, & inefficacia. Ergo Beata Virgo dependenter à ſpeciali privilegio vitavit omnia venialia. Tum quia, quod habetur per ſpecialia DEI auxilia, habetur per ſpeciale privilegium, ſiquidem ipſa ſpecialia DEI auxilia non interrupta aliis auxiliis, quæ dicuntur cōmunia, ſunt ſpeciale DEI privilegium. Sed quòd B. Virgo vitaverit omnia venialia, habetur per ſpecialia DEI auxilia non interrupta auxiliis cōmunibus, quia habetur per auxilia congrua, & efficacia, eáq; collata ſinè interruptione per alia auxilia. Ergo, quòd B. Virgo per totam vitam vitaverit omnia venialia, habetur per ſpeciale DEI privilegium. Tum quia vitâſſe per totam vitam venialia dependenter ab actibus intenſis, & ſublimibus virtutum, earúmque non interrupto exercitio, eſt vitâſſe venialia ex ſpeciali DEI privilegio; cùm ſpeciali privilegio opus ſit ad eliciendos actus intenſos, & ſublimes virtutum, v. g. ad ferventes actus charitatis, & ut quis perſeveret in continuo talium actuum exercitio. Sed Beata Virgo vitavit venialia dependenter ab actibus intenſis ſublimium virtutum, earúmque continuo, & non interrupto exercitio, quia dependenter ab actibus ferventis charitatis DEI, in quorum continuo exercitio totâ vitâ ſuâ perſeverâſſe communiter docetur. Ergo. Addo. Per communia auxilia venire, & intelligi auxilia etiā purè ſufficientia, & inefficacia, vel certè intelliguntur auxilia efficacia, ſed interrupta auxiliis purè ſufficientibus, & inefficacibus; per ſpecialia verò auxilia intelliguntur auxilia non niſi congrua, & efficacia, & nullis interrupta auxiliis inefficacibus. Quare Beata Virgo, ſiquidem per auxilia congrua, & nullis interrupta auxiliis inefficacibus, vitavit omnia venialia, vitavit illa per ſpecialia auxilia, & per ſpeciale privilegium.

136. Quartæ Probationis Nego Minorem, & Dico, Beatam Virginem, etiamſi prævisa ſit omnibus auxiliis ſupernaturalibus pro ſtatu conditionato conſenſura, confirmatam fuiſſe in gratia, idque fuit confirmata modò ſpecialiſſimò. Non ſolùm per hoc, quòd ipſa non niſi auxilia gratiæ Divinæ ſupernaturalia, eáque congrua & efficacia habuerit ſinè ulla interruptione per auxilia naturalia incongrua, & inefficacia. Et dependenter ab hujuſmodi auxiliis, vitaverit peccata non ſolùm mortalia, ſed etiam venialia; verùm quòd fuerit confirmata per auxilia præſtantiſſima ſelecta ex ipſis auxiliis congruis, valde intenſa, collata per ordinem ad eliciendos actus ferventes, & intenſos virtutum ſublimium, & maximè ad actus ferventes charitatis.

137. Secundæ Objectionis Nego Aſſumptum. Probationis primæ Nego Minorem. Ad ulteriorem Probationem patet Reſponſio ex dictis num. 134. His addo, ſpeciali Benevolentiæ DEI non derogari per hoc, quòd illa exerceri poſſit variis & diverſis modis, iiſque accōmodatis termino, circa quem hæc exerceretur, non verò unicô tantùm modô. Nimirum quòd Benevolentia DEI ſpecialis aliô modô exerceatur circa creaturas peccatis objectas & obnoxias, quibus non convenit, nec convenire debet ſumma infra DEUM puritas; aliô verò modô ſpecialis benevolentia, exerceatur circa creaturam immunem

munem à peccatis, & quam decet maximâ ſub DEO puritate nitere, qualis creatura eſt Beata Virgo MARIA. Circa creaturas peccatis ſubjectas, & obnoxias, DEUS benevolentiam ſpecialem exercet per ſelectionem auxiliorum congruorum & efficacium, & quòd DEUS tali creaturæ conferat auxilia congrua & efficacia, non verò purè ſufficientia, & inefficacia. Circa creaturam verò immunem à peccatis, & impeccabilem ex ſuppoſitione conſequente per hoc, quòd omnibus auxiliis ſupernaturalibus ſit conſenſura, exercet ſpecialem benevolentiam per ſelectionem auxiliorum præſtantiorum, & magis intenſorum, inter ipſa auxilia congrua, elevantium ad actus ſublimiores excellentiorum virtutum. Et talem Benevolentiam exercuit DEUS circa Beatam Virginem, quamvis circa ipſam etiam illam benevolentiã exercuit, ex vi cujus auxilia ſupernaturalia congrua & efficacia ſelegit, eaque contulit Virgini DEIparæ, negavit auxilia naturalia incongrua & inefficacia.

138. Secundam Probationem Diſtinguo: Omnis creatura (intellige pura creatura) per hoc ipſum, quòd ſit creatura, eſt mutabilis & defectibilis, in aliqua ratione. Concedo Majorem. In omni ratione. Nego Majorem, & Diſtincta Minore, Nego Conſequentiam. Eadem Probatio poteſt ſic iterum diſtingui: Omnis pura creatura eſt defectibilis phyſicè. Concedo Majorem. Eſt defectibilis & mutabilis etiam moraliter. Subdiſtinguo. Eſt defectibilis & mutabilis moraliter, ex ſuppoſitione antecedente. Concedo hanc partem ſubdiſtinctæ Majoris. Eſt defectibilis & mutabilis moraliter ex ſuppoſitione conſequente. Nego Majorem, & Diſtincta ſimiliter Minore, Nego Conſequentiam, & Dico, creaturam liberam ex ratione creaturæ, eſſe mutabilem phyſicè, quatenus ità exiſtit phyſicè, ut poſſit non exiſtere phyſicè. Imò ex ratione creaturæ puræ, eſt defectibilis moraliter ex ſuppoſitione antecedente; ex hoc enim, quòd ſupponatur eſſe libera ex parte actûs primi, adeoque ex ſuppoſitione antecedente, eſt indifferens ad bene, vel malè operandum, ad conſentiendum, vel diſſentiendum auxilio. Non omnis tamen creatura pura libera debet eſſe defectibilis moraliter, etiam ex ſuppoſitione conſequente, ut debeat jam bene, jam malè operari, certis auxiliis conſentire, certis auxiliis diſſentire. Quid enim implicat, ut pura creatura libera, quæ potens ex ſuppoſitione antecedente mutari & deficere, non poſſit ex ſuppoſitione conſequente deficere moraliter, hoc eſt, quæ ſit conſenſura pro ſtatu conditionato omnibus auxiliis, & ex hac ſuppoſitione non ſit diſſenſura, nec poſſit diſſentiri?

Rationis ulterioris Nego Antecedens. Et Dico, illam puram creaturam, quæ videretur in ſtatu conditionato conſenſura omnibus auxiliis ſupernaturalibus, eſſe mutabilem, tam quòad eſſe, quàm quòad operari. Eſt mutabilis quòad eſſe; quia ità eſt, ut poſſit, vel potuerit non eſſe. Eſt mutabilis quòad operari ex ſuppoſitione antecedente, quia eſt, & ſupponitur eſſe libera in actu primo ad diverſos actus; non debet tamen eſſe mutabilis, quòad operari ex ſuppoſitione conſequente, quia fieri poteſt, ut aliqua creatura conſtanter bene agat, ſi velit, & ut ex libera ſua determinatione ſit conſenſura omnibus auxiliis. Illud, quod ulteriùs additur. Diſtinguo. Immutabilitas phyſica quòad operari, ſupponit immutabilitatem quòad eſſe. Concedo. Immutabilitas moralis quòad operari, eáque ex ſuppoſitione conſequente, ſupponit imutabilitatem quòad eſſe. Nego. Illud axioma: modus operandi ſequitur modum eſſendi, ut ſubſiſtat, debet accipi cum aliqua limitatione, nimirum quòd modus operandi in quibusdam ſequatur modum eſſendi, non in omnibus. Sequitur in eo, quòd ſicut eſſentia operantis potuit poni extra cauſas, vel non poni, exiſtentia ipſius poteſt incipere, poteſt deficere, ità & operatio ipſius potuit poni, vel non poni, poteſt incipere, vel deficere. Sicut eſſentia operantis mutatur tranſeundo à non eſſe ad eſſe, itèm ab eſſe nondum omnino perfecto per accidentia, ad eſſe magis perfectum, ità operatio tranſit à non eſſe ad eſſe, tranſit itèm per mutationem & progreſſum ab una operatione etiam bona, ad alteram æquè bonam vel meliorem. Non ſequitur verò modus operandi modum eſſen-

ſendi in omnibus, quia operatio agentis, eſt modus eidem eſſentialiter affixus, eſt accidens. Eſſentia verò ejuſdem, eſt ens ratum & fixum, eſt ſubſtantia. Eſſentia eſt independens à determinatione ejus, cujus eſt eſſentia; operatio præcipuè libera, eſt dependens à propria operantis determinatione.

139. Tertiæ Probationis Antecedens Negatur à pleriſque, quòad eam præcipuè partem, quòd non ſit poſſibilis creatura omnibus auxiliis indifferentibus diſſenſura; cùm etiam in hac creatura non appareat ulla implicantia, & diſſenſus quibuscunque auxiliis dependeat à libertate creata, ejúſque determinatione. Ad ulteriorem hujus partis probationem Reſpondeo cum Diſtinctione. Talis creatura non poteſt conſtitui in ſtatu meriti ſuô vitiô & ex ſuppoſitione conſequente. Concedo Probationem. Non poſſet conſtitui in ſtatu meriti ex ſuppoſitione antecedente, & ex defectu principiorum meriti, ſufficientium ad meritum. Nego. Poteſt deinde negari ſecunda pars Antecedentis, hæc nimirum, quòd non detur talis creatura, quæ ſit diſſenſura omnibus auxiliis. Talem creaturam putant aliqui futurum eſſe Antichriſtum. Dici etiam poteſt, Angelos malos eſſe creaturas, quæ poſt ſuum lapſum viſæ ſunt diſſenſuræ omnibus auxiliis ſupernaturalibus, excitantibus dictos Angelos ad pænitentiam. Et licèt in Angelis negetur inflexibilitas voluntatis antecedens, ſeu ſuppoſitionis antecedentis metaphyſica, ac etiam phyſica, poteſt tamen in iisdem admitti inflexibilitas conſequẽs, proveniens ex ſuppoſitione conſequente diſſenſûs quibusvis auxiliis. Quòd ſi aliquantũ mutata inſtituatur paritas, hôc v.g. modô: non datur creatura, quæ ſit omnibus auxiliis ſupernaturalibus diſſenſura. Ergo etiam non datur creatura omnibus auxiliis ſupernaturalibus conſenſura. Omiſſo Antecedente, poteſt negari Conſequentia. Et hæc Diſparitas aſſignari. Quia non habetur fundamentum hujus, quòd detur creatura omnibus auxiliis diſſenſura, nec apparet talis creaturæ admittendæ neceſſitas; habetur verò fundamentum aſſerendi, quòd detur creatura omnibus auxiliis ſupernaturalibus conſenſura, éſtque aliqua neceſſitas cujuſpiam convenientiæ & decentiæ, ut talis creatura eſſet Virgo Beata, quia decuit, ut eſſet maximè idonea & digna Mater DEI; quia decuit, ut hæc tantâ niteret puritate, qua major ſub DEO dari non poſſit.

140. Quartæ Probationis omiſſo Antecedente, Negatur Conſequentia. Ratio Diſparitatis eſt. Quia admiſſa poſſibili creatura, quæ in ſtatu conditionato omnibus auxiliis ſupernaturalibus ſit conſenſura, licèt ſimul ſit diſſenſura quibusdam auxiliis naturalibus, conciliatur puritas talis creaturæ cum eo, quòd DEUS poſſit eam indurare, & deſerere; ſi verò aliqua creatura, ſit conſenſura omnibus auxiliis tam ſupernaturalibus, quàm naturalibus, non conciliantur hæc duo, ſiquidẽ DEUS talem creaturam non poſſet indurare & deſerere. Omiſſum eſt Antecedens hujus Probationis ex eo, quia etiamſi attentô ordinariô modô agendi creaturarum, non videatur poſſibilis ſaltèm moraliter talis creatura, quæ etiam naturalibus auxiliis ſit conſenſura, tamen non apparet implicantia in creatura, quæ extraordinariô & aliis creaturis inſuetô ac inſolitô operandi modô, in ſtatu conditionato conſentiat omnibus auxiliis tam ſupernaturalibus, quàm naturalibus. Hæc creatura ſi daretur, non poſſet à DEO indurari & deſeri cæterùm per hoc, nulla involvitur in DEUM imperfectio. Cùm poſſe indurare, ſit DEI perfectio, ſed involvens & ſupponens imperfectionem creaturæ, nimirum diſſenſum ejuſdem conditionatum aliquibus auxiliis. Qualis perfectio cùm ſit ſemiextrinſeca DEO, poteſt ab eo abeſſe, ſi imperfectio ex parte creaturæ, nimirum diſſenſus illius aliquibus auxiliis, non detur, qui utpote liber creaturæ, poteſt non dari.

141. Quintæ Probationis Nego Majorem. & Dico, cùm neceſſitas moralis ad peccandum conſiſtat in magna difficultate vincendi tentationem gravem, vehementer inclinantem ad peccandum, & diſſentiendum auxilio ſuperabili, tamen à voluntate creata adjuta potiſſimùm auxiliô ſupernaturali, ſiquidem non implicat creatura, quæ tales difficultates ſuperet, ac etiam tunc auxiliis ſupernaturalibus conſentiat, dum hujusmodi difficultates occurrunt, ideo non impli-

implicat creatura, quæ etiam necessitata moraliter ad peccandum, & ad dissentiendum quibusdam auxiliis supernaturalibus, nihilominus omnibus, adeoque etiam talibus auxiliis sit consensura. Potest etiam negari Minor, potéstque dici, quòd illa creatura, quæ videretur omnibus auxiliis supernaturalibus consensura, pro statu conditionato, videretur illis consensura sub carentia fomitis, & sub carentia tentationum, prævisâ utrâque hâc carentiâ ex parte hypothesis, quare illa creatura non esset, nec videretur necessitata moraliter ad dissentiendum, ac etiam ad peccandum.

142. Tertiæ Objectionis Nego Assumptum. Primæ Probationis Nego Minorem. Ad ulteriorem Probationem Dico, quòd Beata Virgo, si prævisa fuisset pro statu conditionato omnibus auxiliis supernaturalibus consensura, habuisset pro statu absoluto immunitatem à peccatis actualibus, & bonum gratiæ Divinæ usum, intuitu Maternitatis DEI, habuisset, inquam, & per hoc, quòd sola auxilia supernaturalia hôc ipsi titulô conferrentur, nè interrumperentur illis auxiliis naturalibus, quibus erat dissensura; & per hoc, quòd hanc immunitatem haberet dependenter ab auxiliis supernaturalibus selectis intensis, & collatis per ordinem ad eliciendos sublimes actus præstantium virtutum. Talia enim auxilia ei conferrentur per respectum Maternitatis DEI, ejúsque intuitu.

143. Secundæ Probationis Nego Minorem, & Dico, quòd B. Virgo habeat pro statu absoluto auxilia supernaturalia efficacia sinè interruptione per auxilia naturalia inefficacia. Itèm quòd habeat pro eodem statu auxilia perfectiora & intensiora, habere ipsam hujusmodi auxilia ex meritis Christi. Cùm enim pro statu conditionato visa fuerit auxiliis supernaturalibus consensura, auxiliis certis naturalibus dissensura; Cùm itèm prævisa sit consensura auxiliis supernaturalibus, tam intensis, quàm remissis, quòd hæc determinatè auxilia habeat, nimirum sola auxilia supernaturalia sinè interruptione per auxilia naturalia inefficacia. Itèm ex auxiliis supernaturalibus potiùs auxilia intensiora & perfectiora, hoc habet ex voluntate, & determinatione DEI, & intuitu meritorum Christi.

Confirmationis Nego Sequelam. Et Dico, DEUM prævidisse Virginem Beatam in statu conditionato consensuram omnibus auxiliis supernaturalibus independenter ab eo, quòd ex parte hypothesis viderit hæc auxilia danda eidem ex meritis Christi. Cùm enim hæc scientia & prævisio debeat DEUM dirigere in dandis auxiliis, & determinandis intuitu meritorum Christi, non debet ex parte hypothesis repræsentare auxilia, prout danda ex meritis Christi, sed id debet determinari per Decretum DEI, quod consequitur hanc scientiam dirigentem, quo DEUS decrevit propter merita Christi hæc potiùs auxilia se collaturum, supernaturalia sola non permista naturalibus inefficacibus, intensiora potiùs & perfectiora, quàm remissa. Addo, DEUM habere etiam hanc scientiam, si ex meritis Christi dedero B. Virgini auxilia supernaturalia, omnibus his ipsa est consẽsura. Quia DEUS cognoscit omnem veritatem. Non dirigitur tamẽ DEUS hac scientiâ in dandis certis determinatè auxiliis, propter merita Christi, sed dirigitur illâ aliâ scientiâ, per quam ex parte hypothesis, non intelliguntur merita Christi, ab illisque auxiliorum B. Virgini collatorum dependentia.

# QUÆSTIO III.

## De gratia & sanctitate B. Virginis, ejus scientia, meritis, & gloria.

Quatuor diversis punctis examinabuntur, & expedientur ea, quæ circa gratiam, scientiam Virginis Beatæ, ejus merita, & gloriam examinari solent.

## PUNCTUM I.

### De gratia & sanctitate Beatæ Virginis.

De gratia B. Virginis inquirentur sequentia. Primò, an gratia habitualis Virginis Beatæ fuerit infinita simpliciter,

ter, an certè finita, major tamen gratiîs collectivè sumptis, collatîs quibuscunq; justis, sive Angelis, sive hominibus. Secundò, an hæc ipsa gratia fuerit ejusdem, an diversæ speciei cum gratia nostrate? Tertiò, an Virgo Beata habuerit habitus infusos virtutum, & quarum? Quartò, an habuerit gratias Sacramentales, & quot Sacramenta susceperit? Quintò tandem, an B. Virgo habuerit gratias gratis datas?

## §. I.

### An gratia habitualis collata Virgini Beatæ, fuerit infinita simpliciter, an finita; major tamen quibuscunque gratiis collectivè sumptis quorumvis Sanctorum?

144. Præsuppono, Extra omne dubium esse, quòd B. Virgo MARIA gratiam habitualem habuerit. Per hanc enim sanctificata fuit in primo animationis suæ instanti. Hac ut decoraretur, & Maternitatis DEI excellentia, & meritorum ipsius magnitudo, & summa puritas, qua sub DEO major non datur, postulant. Eandem Sanctissimam Virginem *gratiâ plenam*, salutavit Gabriel Archangelus. Hæc gratia quanta fuerit, controvertitur à Theologis, qui etiam in hoc conveniunt, quòd gratia B. Virgini collata, fuerit valde intensa, ac talis, ut Virgo Beata esset gratiâ plena. Controvertunt verò: An gratia collata B. Virgini fuerit infinita simpliciter, an finita illa quidem, major tamen gratiâ non solùm cuicunque sancto in particulari maximorum coram DEO meritorum collatâ, sed etiam gratiîs collectivè sumptis, quæ quibuscunque sanctis Angelis & Hominibus aliquando collatæ fuerunt, conferuntur, & adhuc conferentur. Gratiam habitualem in Beata Virgine fuisse infinitam simpliciter & intensivè docuit Christophorus Vega, citatus à P. Morawski, negant communiter alii. Eandem gratiam Beatæ Virginis, saltèm in termino viæ, fuisse majorem gratiîs collectivè sumptis, quæ aliquando collatæ sunt, vel conferuntur quibuscunque justis, sive Angelis, sive hominibus, docet eximius Doctor P. Suarez Salazar, Aldrete, & alii.

145. Dicendum est, Beatam DEIparam Virginem non habuisse gratiam simpliciter & intensivè infinitam; habuisse verò gratiam habitualem majorem & intensiorem quibûscunque gratiîs collectivè sumptîs quorumcunq; Sanctorum, sive Angelorum, sive Hominum, habuisse, inquam, saltèm in termino viæ.

Prima pars Assertionis probatur. Tum quia probabiliter implicat infinitum creatum in perfectione & intensione simpliciter tale.

Tum quia, quod exceditur, non est infinitum simpliciter; quod enim exceditur, terminatur, seu habet terminum, nimirum ibi habet terminum, ubi exceditur. Atqui gratia habitualis Beatæ Virginis excedebatur à gratia habituali humanitatis Christi. Puritas enim & sanctitas Beatæ Virginis, quantumvis magna, debuit esse minor Sanctitate DEI-Hominis, etiam creatâ, adeoque gratia habituali Christi. Tum quia gratia habitualis Christi, non fuit infinita simpliciter & intensivè, ùt docui Disp. 4. num. 43. & passim docent Theologi. Ergo neque gratia habitualis collata B. Virgini fuit infinita simpliciter. Tum quia gratia habitualis Beatissimæ augebatur per merita ejusdem. Ergo non fuit infinita simpliciter; quod enim augetur, & crescit, non est infinitum simpliciter. Infinitum enim simpliciter, cùm debeat esse summitas in eo genere, in quo est infinitum, non debet esse capax incrementi & augmenti. Potissimùm verò non debet esse infinitum simpliciter, si crescat per merita simpliciter finita, cùm præmium debeat proportionari merito. Sed gratia Beatissimæ crescebat per merita simpliciter finita, talia enim fuerunt merita Beatissimæ. Ergo.

146. Secunda pars probatur primò Authoritate. Tum Scripturæ Psal. 86. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*; qui Scripturæ locus sic exponitur. Ubi consummantur & definunt alii, suntque in culmine sanctitatis & perfectionis per gratiam, ibi Virgo incipit, talisque gra-

tia primò illi infusa fuit. Et iterum in eodem Psal. *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob.* Hoc est, DEUS plus dilexit MARIAM, quæ est illa porta Sion, per quam venit in mundum Incarnatus DEI Filius, quàm dilexerit omnes Sanctos, qui significantur per tabernacula Jacob. De Virgine MARIA verificatur illud, quod habetur de Esther. Esth. 2. *Adamavit eam Rex plusquàm omnes mulieres, habuitque gratiam & misericordiam coram eo super omnes.* Eccli. 24. dicit de se Sapientia, quod Virgini Matri convenit. *In me gratia omnis viæ, & veritatis:* Proverb. 31. *Multæ Filiæ congregaverunt divitias, Tu supergressa es universas.* Isaiæ 2. *Erit præparatus mons Domini in vertice montium.* Quem locum S. Gregorius cap. 1. de Beata Virgine vult intelligi, dum dicit: *Potest montis hujus nomine Beata Virgo designari.* In vertice autem montium fuisse, intelligi potest, quia gratia, quæ in aliis fuit finis & terminus, illi initium & fundamentum fuit. Tum Authoritate Patrum. S. Hieronymi Ser. de B. Virgine. *Bene gratiâ plena, quia cæteris per partes præstatur, MARIÆ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ.* S. Damascenus Orat. 1. *à nullo illustrium Sanctorum MARIA vincitur in privilegiis gratiæ. Ideò enim præ omnibus dicitur gratiâ plena.* S. Bernardi Epist. 174. *Quod paucis mortalium constat esse collatum, non est fas suspicari tantæ Virgini fuisse negatum.* S. Anselmi de Excellentia Virginis cap. 9. *Pura sanctitas, & sanctissima puritas ejus* (id est Virginis DEIparæ) *omnem omnis creaturæ puritatem, sanctitatémque transcendens.* Similia habent S. Athanasius, S. Epiphanius, S. Bonaventura, Richardus à S. Laurentio, & alii.

147. Probatur secundò eadem pars Assertionis, ratione Theologica. In Virgine Beata potuit dari gratia habitualis major gratiis quibuscunquè quorumcunque Sanctorum collectivè sumptis. Decuit, ut in ea talis gratia daretur, nec id repugnat Scripturæ, aut Patribus. Ergo in Virgine Beata gratia habitualis dabatur major gratiis collectivè sumptis collatis aliquando puris creaturis.

Prima pars Antecedentis probatur. Nulla est implicantia, ratione cujus non possit in Beata Virgine dari tanta gratia; neque enim repugnat talem gratiam dari in B. Virgine ratione impossibilis secundùm se hujusmodi gratiæ. Quia in humanitate Christi fuit gratia longo excessu & gratias omnium Sanctorum, & gratiam suæ sanctissimæ Matris superans. Ergo non est impossibilis secundùm se tanta gratia, quæ superet gratias collectivè sumptas omnium Sanctorum, qui sint puræ creaturæ, ità ut non adæquet gratiam habitualem humanitatis Christi. Neque repugnat dari in B. Virgine hujusmodi gratiam ratione incapacitatis subjecti. Beata enim Virgo, sicut fuit capax, ut esset Mater DEI, ità fuit capax puritatis, quâ major sub DEO dari non potest, adeoquè fuit capax gratiæ, quæ post gratiam DEI Hominis, seu Christi esset maxima, & quæ non solùm adæquaret, sed etiam superaret gratias, quibuscunque sanctis collatas collectivè sumptas.

Secunda pars Antecedentis probatur. Nimirum quòd decuit Beatam Virginem, ut haberet gratiam majorem quibùscunque Sanctorum gratiis collectivè sumptis. Tum quia Matrem DEI decuit tanta gratia, quia secundùm S. Anselmum decuit, ut hæc tanta puritate niteret, qua sub DEO major dari non posset. Tum quia omnes Sancti, quidquid gratiæ, sanctitatis, & perfectionis habent, totum id habuerunt per Virginem DEIparam, tanquam per causam meritoriam de congruo omnium donorum, quæ nobis conferuntur. Ergo decuit, ut Beata Virgo haberet tantam, imò majorem gratiam, & sanctitatem, quàm habent omnes alii Sancti collectivè sumpti, ùt infert S. Bonaventura in Speculo cap. 6. dum dicit: *Quid mirum si omnis gratia in MARIAM confluxit, per quam tanta gratia ad cæteros defluxit.*

Tertia pars Antecedentis probatur, nimirum, quòd non repugnet Scripturæ, & Patribus, in Beata Virgine gratiam dari majorem gratiis quorumcunque Sanctorum. Quia nulla talis Scriptura, nulliúsque Patris testimonium afferri potest, quæ, vel quod expressè, & clarè neget in Virgine Matre tantam gratiam; imò è contrà habentur clara Scripturæ & Patrum testimonia pro nostra Assertione, quæ adduximus numero præcedente.

Conſequentia etiam primi Enthymematis propoſiti ad initium præſentis numeri, facilè patet. Quia Virgini Deiparæ id tribuendum eſt, quod illi conferri potuit, ipsámque decuit, ut haberet, & quod nec Scripturæ, nec Patrum teſtimoniis repugnat, imò pro quo ei tribuendo habentur & Scripturæ, & Patrum teſtimonia, cùm de Virgine DEIpara ſentiendum ſit quàm glorioſiſſimè.

148. Eadem ſecunda pars Aſſertionis probatur, etiam hac ratione. Beata Virgo MARIA in primo animationis ſuæ inſtanti, ex meritis Chriſti, ratione Maternitatis DEI, accepit gratiam in gradu valde intenſo, & longè majorem, quàm habuerit ſupremus Angelus. Hanc gratiam à primo rationis uſu inceſſanter auxit per actus valdè intenſos maximè præſtantium & ſublimium virtutum, nimirum Charitatis, humilitatis, obedientiæ, &c. Harum virtutum actus exercebat ſinè ulla interruptione per ſexaginta tres vitæ ſuæ annos, quos illam habuiſſe multi putant. His meritis dignificatis non ſolùm per gratiam habitualem, ſed etiam Maternitatem DEI, tanquam per formas ſanctificantes, merebatur nova & nova ſemper, eáque majora & majora augmenta gratiæ, tanquam præmium cōdignum, ità ut tota vis & virtus meritoria de condigno inſumeretur in promerendum hujusmodi præmium. Ergo gratia B. Virginis ſic aucta, ſaltèm in termino viæ, & vitæ mortalis, tantùm excrevit, ut ſuperaret omnes gratias collectivè ſumptas, quibuscunque puris creaturis, quæ gratiam habitualem habuerunt, collatas. Confirmatur. Beata Virgo in primo animationis ſuæ inſtanti habuit majorem & perfectiorem gratiam, quàm habuerit ſupremus Angelus. Tum quia perfectiùs ſe diſpoſuit per præſtantiores & ſublimiores virtutum actus. Tum quia hi actus in Beata Virgine dignificabantur à Maternitate DEI, ad quā deſtinabatur. Cùm ergo Angelus ſupremus in prima ſua ſanctificatione aſſecutus ſit gratiam majorem gratiâ aliorum Angelorum, Beata quoque Virgo Angelorum Domina, & Regina, plus à DEO dilecta præ omnibus Angelis & hominibus, in prima ſua ſanctificatione majorem accepit & intenſiorem gratiam, quàm ſit gratia quorumcunque Sanctorum & Angelorum, ſolô Chriſtô exceptô. Hanc ità ſublimem auxit per merita totius vitæ ſuæ, nimirum annorum 63. auxit, inquam, per merita procedentia ex habitu intenſo proportionato intenſioni gratiæ habitualis, operando ſecundùm totam activitatem & latitudinem habitûs & proportionati auxilii gratiæ actualis. Augmentum gratiæ habitualis, per tale meritum acquiſitæ, duplo debere excedere gratiam habitualem, ex qua procedit, cenſet eximius Doctor P. Suarez in 3tiam partem tom. 2. Diſp. 18. Art. 4. Sect. 4. Ità ut ſi prima gratia fuit intenſa ùt 100. gratia, quæ acquiritur per meritum operantis ſub prima gratia, debeat eſſe intenſa ùt 200. gratia verò habitualis acquiſita per ſecundum meritum debeat eſſe intenſa ùt 400. & ſic deinceps juxta proportionem geometricam duplam.

Secundùm hanc Doctrinam, ſi Beata Virgo ſupponatur habere primam gratiam, ùt 100. ſingulis minutis aliud & aliud augmentum gratiæ juxta progreſſionem & proportionem duplam geometricam per horam, ſeu per minuta horaria 60. meruit gratiam graduum 90051 512 0 1809919900. Ex tanto meritis unius horæ comparato gratiæ theſauro, cogita quàm magna fuerit gratia comparata meritis totius vitæ B. Virginis, quæ putatur fuiſſe annorum 63. in quibus annis numerantur horæ 552258. Minuta verò horaria in iisdem annis inveniuntur 33135480. cui minutorum numero tanquam exponenti, ſi inveniatur terminus reſpondens, progreſſionis & proportionis geometricæ duplæ inchoatæ à 100. is erit terminus maximus progreſſionis, ſeu numerus graduum gratiæ acquiſitorum per ultimum B. Virginis meritum. Hoc verò habito per regulas progreſſionis geometricæ habebitur ſumma totius progreſſionis, adeoque numerus graduum gratiæ per merita totius vitæ Beatæ Virginis acquiſitorum. Hanc computationem utpote operoſam Mathematicorum propriam, relinquo iisdem, mihi interim ſatis eſt inſinuâſſe modum, quô hæc computatio fieri debeat.

Hæc ipſa Beatæ Virginis gratia, per merita

merita ejusdem in, & ex gratia DEI facta, per eámque dignificata ità crescens, tantò magis crescere debet ratione dignificationis ipsorum eorundem meritorum, per Maternitatem DEI, ratione cujus merita Matris DEI incomparabiliter magis æstimantur, quàm merita quorumcunque justorum; cùm enim DEUS, Filius B. Virginis magis amet Matrem, quàm quoscunque suos amicos seu justos, plùs appretiat, & majori præmiò remuneratur merita, & obsequia Matris, quàm appretiet, & remuneretur merita justorum.

149. Additur in Conclusione, quòd Beata Virgo, saltèm in extremo viæ suæ, & vitæ termino, habuit gratiam longè superantem quascunque gratias collectivè sumptas justorum quorumvis, sive hominum, sive Angelorum. Tunc enim gratia Beatæ Virginis, per merita ejusdem ad summam excrevit magnitudinem. Probabile nihilominùs est, B. Virginis gratiam habitualen fuisse majorem omnium Sanctorum gratiis in ipsa VERBI Divini Incarnatione; hæc enim ex opere operato tantum gratiæ excessum causavit, eóque Spiritus Sanctus superveniens tunc in Virginem per singulare privilegium replevit.

Putant alii, quòd B. Virgo in primo statim animationis instanti habuerit gratiam majorem omnibûs gratiis collectivè sumptis quorumvis Sanctorum, DEO etiam tunc futuræ Matri Filii sui conferente tantam gratiam, ut tunc statim dignum Filii DEI habitaculum efficeretur.

## Proponuntur Objectiones.

150. Objicitur primò contra primam partem Conclusionis, & probatur gratiam Beatæ Virginis fuisse infinitam simpliciter. Tum quia gratia immensa, est gratia infinita simpliciter. Sed gratia B. Virginis fuit immensa; talem enim fuisse censent aliqui SS. Patres. S. Epiphanius in Orat. de Laudibus Virginis dicit: *gratia sanctæ Virginis est immensa.* S. Bonaventura in Speculo cap. 5. *Immensa fuit gratia, quâ Virgo fuit plena.* Similia habent S. Damascenus, Epiphanius, Anselmus, & alii. Ergo. Alii SS. Patres dicunt gratiam B. Virginis fuisse infinitam. Ità D. Thomas, S. Bonaventura, S. Bernardus, S. Bernardinus, quos citat & adducit Christoph. Vega. Tum quia summitas in aliquo genere est infinitudo simpliciter. Sed gratia B. Virginis est summitas in genere sanctitatis; talem enim esse videtur velle Richardus à S. Laurentio lib. 1. de Laudibus Virginis Cap. dum dicit: *Omnis creatura habuit aliquid vacuitatis, quia majorem gratiam recipere potuit; Virgo autem sic usquequaque gratiâ fuit plena, quia majorem gratiam habere non potuit, nisi fieret DEUS.* Ergo. Tum quia B. Virgo tantam habuit gratiam, quanta ipsam decuit. Sed decuit illam gratia infinita simpliciter. Ergo. Tum quia, ùt vult S. Anselmus, *decuit, ut Beata Virgo ea puritate niteret, qua major sub DEO intelligi nequit.* Ergo decuit, ut haberet gratiam infinitam simpliciter, siquidem datâ quâcunque gratiâ finitâ potest dari alia puritas major & major in infinitum.

151. Objicitur secundò contra alteram Conclusionis partem. Et probatur, gratiam Beatæ Virginis non fuisse tantam, ut gratias collectivè sumptas omnium Sanctorum superaret. Tum quia si tanta esset gratia Beatæ Virginis, hæc non potuisset crescere. Atqui gratia B. Virginis potuit crescere, quia de facto crevit per tot gratiarum augmenta meritis ejus comparata. Ergo. Tum quia B. Virginem non decuit tanta gratia, quia non decuit gratia, quæ minuit excellentiam Christi. Sed illa gratia, quæ superaret omnes gratias collectivè sumptas aliorum Sanctorum, minuit excellentiam Christi, quia B. Virginem facit æqualem Christo, cujus pariter gratia fuit major omnibus gratiis collectivè sumptis quorumvis Sanctorum. Ergo. Tum quia ut B. Virgo dicatur habuisse majorem gratiam gratiis collectivè sumptis omnium Sanctorum, deberet constare, quantæ determinatè magnitudinis fuerit cumulus ille gratiarum, quas aliquando habuerunt quicunque justi. Quantæ itèm determinatè magnitudinis sit gratia B. Virginis; nisi enim hæc duo constent, & nota sint, comparatio tàlium gratiarũ institui non potest, nec potest asseri gratiam Virginis fuisse majorem cumulô gratiarum, quibuscunque sanctis concessarum. Sed non constat, quantæ determi-

terminatè magnitudinis fuerit cumulus gratiarum, quas habebant sancti, cùm non constet, quanta fuerit gratia singulorum Sanctorum. Non constat etiam, quantæ determinatè magnitudinis fuerit gratia B. Virginis, ut inter hanc, & inter cumulum gratiarum concessarum quibuscunque sanctis institui possit comparatio. Ergo non bene, sed arbitrariè dicitur, quòd B. Virgo habuerit majorem gratiam gratiis collectivè sumptis omnium Sanctorum. Confirmatur. Si gratia B. Virginis esset major gratiis collectivè sumptis aliorum Sanctorum, deberet etiam de hoc constare, quanto excessu gratia B. Virginis esset major gratiis aliorum Sanctorum. Sed id non constat. Ergo. Tum quia in tantum B. Virginis gratia esset major gratiis aliorum Sanctorum, in quantum hæc crevisset modô explicatô in Num. 148. Sed in tantum non est major. Quia posset dici simili modo crevisse gratia aliorum Sanctorum, & in magnam excrevisse gratiam illorum præsertim Sanctorum, qui longè pluribus annis vixerunt, quàm B. Virgo, nimirum qui vixerunt 900. vel ampliùs annis, & 800. &c. & per merita tantæ ætatis auxerunt gratiam. Quòd si horum Sanctorum gratia ità crevisset, hæc si non excederet gratiam B. Virginis, certè ab ea superari non deberet. Confirmatur. Etiamsi per Probationem Num. 148. & Confirmationem ostendatur: gratiam B. Virginis magnam fuisse, tamen non ostenditur eandem gratiam fuisse majorem gratiis non solùm distributivè, sed etiam collectivè sumptis quorumcunque Sanctorum. Ergo.

## Respondetur Objectionibus

152. Primæ objectionis Nego Assumptum. Primæ Probationis Distinguo Majorem. Gratia immensa simpliciter, & absolutè, & metaphysicè est gratia infinita simpliciter. Concedo Majorem. Gratia immensa secundùm quid, imensa respectivè ad nostrum captũ, & imperfectum modum cognoscendi, & immensa non nisi moraliter, est infinita simpliciter. Nego Majorem. Et Distincta Minore, Nego Consequentiam. Ad Authoritatem SS. Patrum Dico: SS. Patres censuisse gratiam B. Virginis fuisse immensam secundùm quid, hoc est, valde intensam, & superantem gratias aliorum Sanctorum, non verò immensam simpliciter. Censuisse itèm gratiam B. Virginis fuisse immensam respectu ad captum, & intelligentiam nostram, non censuerunt verò illam fuisse in se absolutè immensam & respectivè ad intellectum Divinum. Itèm respectivè ad intellectum Humanitatis Christi, ac etiam respectivè ad intellectum illuminatum ipsius Beatissimæ, & respectivè ad intellectum Beatorum in Patria. Cùm enim DEUS posuerit mensurabiles gradus gratiæ concessos Virgini DEIparæ, vidit gratiam ipsius non esse in se immensam, sed habere certos suæ magnitudinis à se designabiles terminos. Potest deinde dici Patres censuisse gratiam B. Virginis esse immensam moraliter, non metaphysicè, hoc est, difficilè posse deveniri in notitiam magnitudinis gratiæ collatæ B. Virgini, ut vult S. Anselmus de excel. Virginis, dum dicit: *immensitatem gratiæ & gloriæ Tuæ considerare cupienti, O Virgo! sensus deficit.* Illi SS. Patres, qui dicunt gratiam Beatæ Virginis fuisse infinitam, intelligendi sunt de gratia Maternitatis DEI, seu de ipsa Maternitate DEI secundùm se, quæ fuit infinita secundùm quid, licèt non fuerit infinita simpliciter; aut intelligendi de gratia habituali, prout supponente ex parte principii significantis merita Beatissimæ infinitatem secundùm quid, nimirum supponentis Maternitatem DEI infinitam secundùm quid, significantem merita B. Virginis; seu ità intelligendi sunt, quòd gratia habitualis fuerit infinita secundùm quid præsuppositivè, non verò quòd fuerit infinita formaliter. Alii putant hos SS. Patres intelligendos esse de infinitudine æquivalenter tali, quòd dicti Patres censeant gratiam B. Virginis fuisse æquivalenter infinitam, hoc est superantem & vincentem sua entitativa perfectione omnem gratiam omnium collectivè Sanctorum, quantumvis hi in infinitum multiplicarentur, sicut Mater DEI sua dignitate superat & vincit dignitatem quorumvis Sanctorum.

153. Secundæ probationis Distinguo Majorem. Summitas in aliquo genere abso-

absolutè & simpliciter talis est infinitudo simpliciter. Concedo Majorem. Summitas in aliquo genere respectivè & comparativè talis, est infinitudo simpliciter. Nego Majorem, & Distinguo Minorem. Sed gratia Beatæ Virginis est summitas in aliquo generē respectivè, & comparativè talis. Concedo Minorem. Est summitas absolutè, & simpliciter talis. Nego Minorem, & Consequentiam, ac Dico: Non quamvis summitatem esse infinitudinem simpliciter, sed non nisi summitatem absolutam & simpliciter, quæ sit talis, ut illâ major dari non possit. Summitas verò respectivè, & comparativè talis, quæ comparata ad plura aliqua ejusdem rationis sit major, illáque excedat, non est infinitudo simpliciter. Et sic summitas perfectionis, quam habet supremus Angelus, non est infinitudo simpliciter, quia licèt sit summitas respectiva & comparativa, nimirum respectu perfectionis aliorum Angelorum inferiorum & imperfectiorum, non est tamen summitas absoluta & simpliciter talis; siquidem hac perfectione dabilis est alia major, si nimirum hôc Angelô, qui nunc est supremus, crearetur alius Angelus superior, & perfectior. Porrò gratia B. Virginis est non nisi summitas respectivè, & comparativè talis, quatenus hæc gratia superabat gratias quorumvis inferiorum Sanctorum; non fuit verò summitas absoluta, & simpliciter talis, quia hâc ipsâ gratiâ dari potuit alia major & major in infinitum. Ubi adverto, summitatem absolutam, & simpliciter talem esse, ratione cujus aliquid ità excedit multa aliqua etiam syncategorematicè infinita, ut non excedatur, nec possit à quoquam ejusdem rationis excedi. Summitas respectiva & comparativè talis est, ratione cujus aliquid ità superat, exceditque multa alia, ut ipsum excedatur, vel excedi possit ab aliis. Ad Authoritatem Richardi à S. Laurentio Dico: Doctorem hunc loqui de gratia Maternitatis DEI, quòd hâc gratiâ non sit dabilis major superioritate ordinis, nisi unio hypostatica, ex vi cujus B. Virgo, si illam haberet, esset DEUS per idiomatum communicationem. Non loquitur verò de gratia habituali, vel si de hac gratia loquitur, intelligi debet hoc sensu, quòd gratia B. Virginis collata eidem ex vi Maternitatis DEI, tanta & ratione talis principii collata fuerit, ut ratione principii ordinis superioris non potuerit illi gratia conferri, nisi ratione unionis hypostaticæ cum Persona Divina, ex vi cujus unionis Beata Virgo deberet fieri Homo DEUS.

154. Tertiæ Probationis Nego Minorem, & Dico: quòd B. Virginem non decuerit gratia infinita simpliciter. Tum quia Beatam Virginem non decuit gratia implicatoria. Sed gratia infinita simpliciter est implicatoria. Ergo. Tum quia B. Virginem non decuit gratia, quæ esset major, quàm gratia Christi, vel illi æqualis. Sed potiùs ipsam decuit gratia minor; & gratia inferioris perfectionis. Atqui gratia minor, quàm gratia Christi est finita simpliciter, quia superatur & exceditur à gratia Christi, idque exceditur à gratia finita, cùm etiam gratia habitualis Christi fuerit simpliciter finita. Ergo.

155. Ad quartam Probationem Dico. Explicando S. Anselmi Authoritatem. Decuit, ut B. Virgo ea puritate niteret, quâ major sub DEO in aliis Sanctis distinctis à Matre DEI intelligi nequit. Concedo hoc sensu locutum esse S. Doctorem. Decuit, ut B. Virgo tanta puritate niteret, quâ major sive in illa ipsa, sive in alia pura creatura, quæ esset Mater DEI, intelligi nequeat. Nego hoc sensu locutum esse S. Doctorem. Potest etiã S. Doctor sic intelligi. Decuit, ut B. Virginis puritas exigita à maternitate DEI tanta esset, ut non posset exigi ab excellentiore principio, prætérquam quòd posset dari major in DEO Homine exigita à Persona Divina, ejúsque unione hypostatica cum humanitate.

156. Secundæ Objectionis Assumptum Nego. Primæ Probationis Nego Sequelam, & Dico: duo hæc optimè conciliari. Et quòd gratia B. Virginis per ejus vitam semper creverit & augebatur, & quòd fuerit major omnibus gratiis collectivè sumptis quorumvis Sanctorum B. Virgine inferiorum. Tum quia dici posset, quòd gratia Beatissimæ in termino viæ illius fuerit major omnibus gratiis collectivè sumptis

quorumvis Sanctorum. Crescebat autem dicta gratia à prima animatione, & sanctificatione Virginis ad terminum viæ ejusdem, ut ad tantam magnitudinem perveniret. Tum quia sive gratia B. Virginis dicatur in Incarnatione VERBI fuisse major omnium purarum creaturarum justarum gratiis collectivè sumptis, ùt aliqui putant, sive dicatur gratia hæc statim in Conceptione Beatæ Virginis fuisse major omnibus dictis gratiis, quod sentire de Virgine DEI-para censeo maximè pium, & ejus excellentiâ ac dilectione, quâ eam DEUS dilexit, maximè dignum esse. Hæc nihilominus gratia statim ab initio ità magna crescere, & augeri potuit. Cùm enim esse gratiam majorem gratiis aliorum Sanctorum non consistat in indivisibili, sed possit una gratia majore dari alia gratia major & major excedens primam gratiam excessu majore & majore, successivè crescente, & comparatô per merita, gratia collata Beatæ Virgini in prima ejus sanctificatione potuit fuisse major gratiis collectivè sumptis, & simul potuit dependenter à meritis B. Virginis per totam ejus vitam crescere, & augeri usque ad terminum viæ illius, decuitque, ut ità cresceret, nec id repugnat Scripturæ, & Patribus.

157. Secundæ Probationis Nego Antecedens. Ulterioris Probationis Nego Antecedens, & Dico, gratiam B. Virginis, etiamsi hæc sit major gratiis collectivè sumptis aliorum Sanctorum, qui sunt puræ creaturæ, non minuere excellentiam Christi, nec facere B. Virginem æqualem Christo. Tum quia gratia humanitatis Christi, utpote debita longè superiori, imò supremo Principio, quia debita Personæ VERBI hypostaticè unitæ naturæ humanæ Christi, & gratias collectivè sumptas omnium Sanctorum, & gratiam ipsius B. Virginis excessu valde magno superabat. Jam verò gratia B. Virginis solùm superabat gratiam omnium Sanctorum, non tamen gratiam alicujus possibilis Virginis, quæ esset Mater DEI Tum quia excellentia Christi consistit in esse DEI Hominis, in esse Filii DEI naturalis, VERBI Patris, & Sapientiæ æternæ, consistit in sanctitate non solùm creata, sed etiã increata, relativa Personæ DEI, & absoluta ipsius Divinitatis. Eadem excellentia Christi consistit in eo, quòd Christus gratiam habitualem habuerit ex jure, & quodam debito fundato in Filiatione DEI naturali, quòd eam habuerit à primo Incarnationis suæ instanti, tantam statim, quantam habuit in ultimo vitæ suæ agone, seu totam simul non crescentem, neque meritis ullis comparatam. Consistit præterea excellentia Christi non in quocunque excessu gratiæ habitualis supra gratias aliorum Sanctorum, sed consistit in excessu quàm maximè proportionato unioni hypostaticæ humanitatis Christi cum Persona VERBI. Excellentia verò Beatissimæ est excellentia Matris DEI conveniens puræ creaturæ, quamvis superantis omnes alias puras creaturas, quæ non sunt Mater DEI, dicit sanctitatem purè creatam, tum Maternitatis DEI, tum gratiæ habitualis; nullam illarum habet ex jure stricto sibi debitam, sed utramque habet ex speciali privilegio, favore, & dono DEI. Gratiam habitualem illam non habuit totam simul, sed successivè per partes acquisitam meritis Filii sui, ac etiam meritis propriis comparatam. Excessus hujus gratiæ supra gratias aliorum Sanctorum est longè minor, quàm fuerit excessus gratiæ, quam habuit humanitas Christi. Quia respondens Maternitati DEI, quæ minoris æstimabilitatis est, quàm unio hypostatica VERBI. Et quia gratia Christi ità superabat alias gratias aliorum Sanctorum, ut etiam superaret gratiam ipsius Beatissimæ in termino viæ habitam. Unde patet, quòd gratia B. Virgini collata, quamvis dicatur esse major gratiis collatis aliis Sanctis, non faciat æqualem eam ipsi Christo, nec minuat excellentiam ipsius, imò illam elevet, quòd Christus suis meritis non excludendo etiam propria Virginis merita tantam illi gratiam meruerit.

158. Tertiæ Probationis Nego Sequelam, & Dico, asseri posse gratiam B. Virginis fuisse majorem gratiis collectivè sumptis quorumvis aliorum inferiorum Sanctorum, etiamsi non constet nobis, quantæ determinatè sit magnitudinis, quantus itèm fuerit cumulus gratia-

gratiarum aliis inferioribus Sanctis collatarum; sicut asserimus gratiam humanitatis Christi fuisse majorem gratiâ Beatissimæ, & gratiis aliorum Sanctorum, quamvis nobis non constet, quantæ determinatè sit magnitudinis sive gratia humanitatis Christi, sive cumulus complectens gratiam Beatissimæ, & omnes aliorum Sanctorum gratias. Unde potest quis dicere innixus Authoritatibus Scripturarum & Patrum, ac etiam Rationi Theologicæ: probabiliter judico, quòd gratia B. Virginis fuerit major gratiis aliorum Sanctorum, licèt ignorem, quanta determinatè sit gratia B. Virginis, & quantus determinatè sit cumulus gratiarum aliis Sanctis collatarum. Ad Probationem ulteriorem Dico: Etiamsi, dum illa duo nobis constant, & nota sunt, quantæ determinatè sit magnitudinis gratia collata B. Virgini, & quantus determinatè sit cumulus gratiarum in aliis Sanctis, meliùs & expressiùs possit institui comparatio talium gratiarum; tamen licèt hæc non tam clarè nobis constent, comparatio B. Virginis, cum aliis gratiis aliorum Sanctorum potest institui ex principiis, quæ nobis nota sunt, potèstque asseri gratiam B. Virginis fuisse majorem gratiis aliorum Sanctorum, ùt asseri debet de gratia humanitatis Christi, quòd hæc fuerit major & gratiâ Beatissimæ collatâ, & gratiis aliorum Sanctorum. Certè neque nobis constat, quantus determinatè sit numerus stellarum juxta illud Gen. 15. *Suspice Cœlum, & numera stellas, si potes*, neq; nobis constat, quantus determinatè sit numerus arenæ maris, de quo Gen. 32. dicitur, quòd præ multitudine numerari non possit, neque notum nobis est, quantus determinatè sit numerus Filiorum Abrahæ, & Filiorum Jacob, & tamen inter hæc instituitur comparatio. Certum enim est ex revelatione & promissione Divina in Scripturis, quòd DEUS multiplicaturus erat semen Abrahæ, sicut stellas cæli; jam verò semen Jacob multiplicaturus erat, sicut arenam maris. Ergo. Potest etiam distingui Sequela Majoris. Ut dicatur B. Virgo majorem habuisse gratiam gratiis collectivè sumptis omnium aliorum Sanctorum, secundùm hunc præcisè conceptum gratiæ majoris deberent constare illa duo, quantæ sit determinatè magnitudinis gratia B. Virginis, & quantus determinatè sit cumulus gratiarum aliis Sanctis collatarum. Nego Majorem. Ut dicatur B. Virgo majorem habuisse gratiam gratiis aliorum Sanctorum, non solùm secundùm rationem abstractam gratiæ majoris, sed etiam secundùm rationem explicitam, & expressam taliter, ut tanto determinatè excessu majoris gratiæ deberent constare illa duo, quantæ determinatè magnitudinis sit gratia B. Virginis, & quantus determinatè sit cumulus gratiarum in aliis Sanctis. Omitto Majorem, Et concessa Minore Distinguo Consequens. Ergo gratia B. Virginis non potest dici fuisse major gratiis aliorum Sanctorum, sub conceptu abstracto gratiæ majoris. Nego Consequentiam. Non potest dici gratia major sub alio conceptu mag s expressivo certæ, & determinatæ magnitudinis hujusmodi gratiarum. Omitto Consequentiam.

Confirmationis Nego Sequelam, vel Distinguo simili Distinctione, atque est distincta Probatio tertia.

159. Quartæ Probationis Distinguo Majorem. In tantum B. Virginis gratia esset major gratiis aliorum Sanctorum, in quantum hæc cresceret ex uno certo principio, prout explicatur in Num. 148. Nego Majorem. In quantum cresceret ex omnibus simul principiis dictô numerô propositis, & explicatis. Concedo Majorem, & Distincta similiter Minore, Nego Consequentiam, ac Dico: Si ex uno tantùm principio crevisset B. Virginis gratia v. g. ex hoc principio, quòd gratia augeatur in proportione dupla per merita operantis secundùm totam activitatem habitûs & auxilii, dici posset, quòd talis gratia, licèt excresceret in magnam gratiam, non ostenderetur tamen fuisse major omnibus gratiis collectivè sumptis quorumvis Sanctorum; cæterùm si intelligatur crescere ex omnibus principiis, quæ concurrebant, & interveniebant, ostenditur dicta gratia ità crevisse, ut excederet omnes gratias collectivè sumptas aliorum Sanctorum. Talia principia sunt merita Christi, taliúmque meritorum ab ipsomet Christo appli-

catio ad promerendum suæ Matri futuræ gratiam, in prima statim Virginis sanctificatione superantem quasvis gratias quorumvis Sanctorum; ad prometenda itèm eidem auxilia tali gratiæ comparandæ, & deinceps per merita valdè intensa augendæ, quàm maximè idonea, & proportionata. Secundò. Dispositio B. Virginis ad primam gratiam per intensissimum actum Charitatis, vel etiam plurium simul præstantium, & excellentium virtutum secum compossibilium. Tertiò à primo suæ sanctificationis instanti actuum Charitatis, & aliarum virtutum continuatum exercitium, secundùm totam activitatem habitûs & auxiliorum actualium, nulla unquam talis exercitii intermissio, nulla cessatio à merendo, nulla remissio, sed major & major semper actuum virtuosorum intensio, & per talia merita auctio gratiæ per augmenta semper majora & majora. Quartò, dignificatio meritorum Beatissimæ non solùm à gratia habituali, sed etiam à Maternitate DEI, ratione cujus dignificationis debebatur Beatissimæ major gratia conferenda in prœmium, quàm si sola gratia dignificaret opera, & merita ipsius. Quintò, magna gratiæ habitualis accessio per quædam ex opere operato causantia gratiam, ut per Incarnationem Filii DEI in utero Virginis, per gestationem 9. mensium in utero VERBI Incarnati, per ejus Nativitatem, nutritionem, & lactationem infantis Christi, quorundam Sacramentorum, quorū Virgo capax fuit, cum maxima dispositione susceptionem. Sextò tandem per 63. annorum non intermissionem meritorum, sed in ipsis continuatam progressionem, & per ipsa auctionem continuatam majorem semper & majorem ipsius gratiæ. Per hæc omnia principia si intelligatur crevisse gratia Beatæ Virginis, facilè intelligitur, quòd non solùm in magnam excreverit gratiam, sed etiam fuerit gratia major gratiis collectivè sumptis quorumcunque Sanctorum. Ad Probationem ulteriorem Minoris Dico: Cùm nullius Sancti gratia præter Beatissimam creverit, aut crescere potuerit ex omnibus enumeratis principiis, nullius sancti etiam ex illis, qui vixerunt 900, aut pluribus annis gratia quantumvis aucta per merita tantæ ætatis, tantùm crevit, aut crescere potuit, quantùm crevit gratia B. Virginis, seu quanta hæc fuit; sed hæc gratia longè major fuit gratiis hujusmodi omnium Sanctorum collectivè sumptis.

Ad Confirmationem Dico: Per Confirmationem Num. 148. prout hæc continet progressionem Geometricam proportionis duplæ inchoatam à numero 100. ostendi præcisè gratiam B. Virginis debuisse esse magnam. Ad ostendendum, hanc gratiam fuisse majorem quibusvis gratiis collectivè sumptis aliorum Sanctorum, deberet mutari suppositio, nimirum non deberet supponi prima gratia B. Virgini collata, & eidem in prima animæ ipsius creatione infusa fuisse non nisi intensa ùt 100. sed deberet supponi tot saltèm gradibus intensa, quot gradus gratiæ inveniuntur in cumulo gratiarum collectivè sumptarum quibusvis Sanctis collatarum. Deberet itèm institui progressio Geometrica non proportionis duplæ, sed proportionis longè majoris, ut hæc respondeat dignificationi meritorum B. Virginis non solùm per gratiam habitualem, sed etiam per Maternitatem DEI. Deberet insuper summæ totius tantæ progressionis addi gratia ex opere operato causata per Incarnationem VERBI in utero Virginis, per commorationem Christi in utero 9. mensium, in eodem utero per nativitatem, ex utero per lactationem DEI Infantis, & per alia Virginis obsequia DEO Homini præstita, ac etiam per sacramenta, quæ Virgo B. cum maxima dispositione suscepit. Ex quibus omnibus bene inferri potest gratiam habitualem B. Virginis fuisse longè majorem omnibus gratiis quorumvis Sanctorum collectivè sumptis.

## §. II.

### An gratia habitualis B. Virginis fuerit ejusdem speciei cum gratia habituali aliorum Justorum.

160. Possibilem esse gratiam habitualem specie diversam ab ea gratia, quæ datur

datur in hominibus justis, docet Ripalda de Ente supernaturali Disp. ultima. Cui non dissentiunt alii Theologi. Talisq; gratiæ possibilitas probatur. Tum quia nulla apparet implicantia in gratia specie diversa ab ea, quæ justis communiter datur. Tum quia diversitas specifica rerum habetur penes diversa notabiliter prædicata, seu illa sunt diversa specie, quæ ità conveniunt in aliqua ratione communi, ut simul differant per prædicata notabiliter diversa. Sed non implicat gratia ità conveniens in ratione communi gratiæ, & sanctitate cum gratia, quæ datur in justis, ut simul ab ea differat per prædicata notabiliter diversa, quia non implicat gratia exigitiva diversorum specie habituum ab habitibus, quorum est exigitiva nostra gratia. Itèm gratia identificans sibi certos habitus, quos non identificat sibi gratia aliorum justorum &c. quæ enumerata prædicata sunt notabiliter diversa à gratia aliorum justorum. Idque non implicat gratia specie diversa, quæ sit entitativè perfectior, quàm gratia, quæ datur in aliis justis, quia non implicat gratia, quæ per prædicata perfectiora notabiliter diversa differat à gratia aliorum justorum.

Supposita possibilitate gratiæ habitualis specie diversæ à gratia, quæ datur in aliis justis, controvertunt aliqui Theologi: an gratia B. Virginis sit diversæ, an ejusdem speciei cum gratia, quam habent justi. Specie diversam gratiam in Beata Virgine fuisse volunt quidam Theologi Recentiores, alii communiter censent gratiam habitualem B. Virginis fuisse ejusdem speciei cum gratia aliorum justorum.

161. Dicendum est. Probabile esse, quòd gratia habitualis B. Virginis fuerit ejusdem intrinsecè speciei, cum gratia aliis justis conferri solita.

Probatur. Tum quia nulla est necessitas & nullum fundamentum admittendæ in B. Virgine gratiæ habitualis, quæ sit diversæ speciei à gratia alioum Sanctorum. Quæ enim est illa necessitas & quod fundamentum? Certè si aliqua necessitas esset admittendæ in B. Virgine talis gratiæ habitualis, quæ esset diversæ speciei à gratia aliorum justorum, esset hæc potissimùm necessitas, ut per specificam diversitatem gratiæ explicentur & salventur aliqua prædicata, quæ gratiæ B. Virginis tribuuntur à Scripturis & SS. Patribus. Qualia prædicata sunt plenitudo gratiæ, propter quam B. Virgo ab Angelo salutatur gratiâ plena. Quòd gratia B. Virginis dicatur à SS. Patribus fuisse immensa, infinitus gratiæ thesaurus. Sed ad hæc explicāda prædicata non est necessarium admittere gratiam specie diversam à gratiis aliorum Sanctorum; omnia enim hæc prædicata benè explicantur, & salvantur per tantam gratiæ intensionem in B. Virgine, ut hæc excederet quascunque gratias collectivè sumptas quorumvis Sanctorum. Tum quia, si in B. Virgine gratia habitualis esset specie diversa à gratia aliorum justorum, deberet id constare vel ex Scripturis & Patribus, vel ex ratione Theologica. Sed ex nullo horum constat. Non ex Scripturis & Patribus, in his enim nè vestigium quidem habetur hujusmodi specificæ diversitatis. Non ex ratione Theologica, ùt constabit ex objectionum solutione. Tum quia si gratia B. Virginis esset specie diversa à gratia habituali aliorum justorum, gratia Beatæ Virginis deberet habere prædicata notabiliter diversa à prædicatis gratiæ, quæ est in aliis justis. Sed gratia Beatæ Virginis non habet prædicata notabiliter diversa &c. Quæ enim prædicata notabiliter diversa adduci solent, aut non conveniunt gratiæ Beatæ Virginis, aut non sunt talia, ut non conveniant gratiæ aliorum justorum. Ergo.

## Proponuntur Objectiones.

162. Objicitur, & Probatur gratiam B. Virginis fuisse specie diversam à gratia aliorum justorum. Objicitur, inquam, primò ab Authoritate. Si gratia B. Virginis dicatur fuisse diversa à gratiis aliorum justorum, facilè explicatur, & salvatur, *quòd B. Virgo fuerit gratiâ plena*, prout ab Angelo salutatur. Quia habuit ejus speciei & perfectionis specificæ gratiam, cujus perfectionis gratiam nullus Sanctorum ex puris creaturis habuit. Explicatur itèm, & salvatur, quòd gratia B. Virginis *fuerit immensa & infinita*; eô ipsô enim, quòd sit diversæ speciei à cæteris gratiis, per nullam ipsarum mēsurari, aut terminari potest. Ergo.

163. Objicitur secundò, probatúrq; hæc ipsa diversitas specifica gratiæ Ratione Theologica. Beatæ Virgini potuit conferri gratia, specie diversa à cæteris gratiis, illísque perfectior, cùm talis gratia sit possibilis, ùt dictum numero 150. fueritque illius capax B. Virgo. Præterea decuit, ut B. Virgini talis gratia conferretur; constituit enim illam in excellentiori ordine, facítque ipsam mediam inter Christum Dominum, qui adhuc perfectiorem intrinsecè & entitativè gratiam habitualem habuit, & inter alios Sanctos. Nec talem gratiam admittere in B. Virgine repugnat Scripturæ aut Patribus. Ergo B. Virgo habuit gratiam specie diversam à gratiis aliorum Justorum.

164. Objicitur tertiò, talisque ratio Theologica proponitur. Gratia, cui conveniunt prædicata notabiliter dissimilia prædicatis aliarum gratiarum, est specie diversa ab illis aliis gratiis. Sed gratiæ B. Virginis conveniunt prædicata notabiliter dissimilia, & diversa. Ergo gratia B. Virginis est gratia specie diversa à gratiis aliorum Justorum. Minor probatur. Tum quia gratia identificata scientiæ per se infusæ habet prædicatum notabiliter dissimile à gratia non identificata dictæ scientiæ. Sed gratia B. Virginis est gratia identificata scientiæ per se infusæ, ex cujus directione B. Virgo eliciebat actus supernaturales virtutum, est, inquam, identificata huic scientiæ, quemadmodum gratia habitualis Christi fuit identificata lumini gloriæ, ex cujus directione Christus ponebat actus meritorios. Gratia aliorum justorum non est indentificata scientiæ per se infusæ, cùm hæc in aliis justis non detur. Ergo. Tum quia gratia exigitiva specialis habitûs differt per prædicatum notabiliter diversum à gratia non exigitiva talis habitûs. Sed gratia B. Virginis fuit exigitiva specialis habitûs, cujus non est exigitiva gratia aliorum justorum; gratia enim B. Virginis fuit exigitiva habitûs pietatis supernaturalis exercendæ circa Filium, qui DEUS homo esset, qualis habitûs non est exigitiva gratia aliorum justorum. Confirmatur. Gratia Sacramentalis à gratia non Sacramentali differt specie & per prædicatum notabiliter diversum, ex eo, quia gratia Sacramentalis est exigitiva auxiliorum conducentium specialiter ad finem Sacramenti, qualium auxiliorum non est exigitiva gratia non Sacramentalis. Ergo etiam gratia exigitiva habitûs specialis pietatis, imò & auxiliorum actualium ad eliciendos actus pietatis in Filium, qui sit DEUS Homo, est specie diversa à gratia non exigitiva talis habitûs & auxiliorum. Tum quia gratia per realem identitatem continens totam suam intensionem & excessum, quo superat alias gratias quascunque quorumcunq; Sanctorum, est gratia per prædicatum notabiliter diversum differens à gratia, quæ habet suam intensionem cum multiplicitate reali graduum, per quos intenditur. Talis enim gratia est intrinsecè perfectior, quia perfectiori modo continens suam intensionem. Sed gratia B. Virginis est gratia per identitatem continens totam suam intensionem, quia continet illam modò perfectissimò & sinè tanta multiplicitate graduum intensionis. Ergo. Tum quia gratia B. Virginis fuit valde intensa, quia sua intensione superans quasvis gratias collectivè sumptas aliorum Sanctorum. Ergo eadem gratia B. Virginis habet prædicatum notabiliter diversum à prædicatis gratiæ aliorum Sanctorum. Consequentia probatur. Quia probabile est, quòd intensio fiat per gradus & partes heterogeneas, seu diversæ rationis & speciei. Ergo gratia B. Virginis, quæ est valde intensa, multas partes continet diversæ rationis & speciei, ac talibus partibus constituitur, adeoque cùm gratia valde intensa per tales partes differat à gratia remissa vel minùs intensa, gratia B. Virginis differt specie à gratiis minùs intensis aliorum Sanctorum.

## Respondetur Objectionibus.

165. Primæ objectionis Sequelam Distinguo. Si gratia B. Virginis dicatur fuisse diversa specie à gratiis aliorum justorum facilè explicatur & salvatur, quòd B. Virgo fuerit gratiâ plena, quòd gratia ipsius fuerit immensa, infinita &c. ità ut non æquè facilè aut non faciliùs, hæc explicentur & salventur, si gratia B. Virginis dicatur fuisse ejusdem speciei cum aliis justorum gratiis. Nego Se-

quelam. Ità ut æquè facilè, imò faciliùs, idque menti Patrum & Theologorum conformiùs hæc omnia explicentur & salventur, si B. Virginis gratia dicatur esse ejusdem speciei cum aliis justorum gratiis. Concedo Sequelam, & Nego Consequentiam, ac Dico: B. Virginem in Incarnatione Filii DEI fuisse gratiâ plenam, facillimè & optimè salvari per hoc, quòd tunc habuerit tantam & tantæ intensionis gratiam, ut per illam facta fuerit idonea & digna Mater DEI, seu quòd habuerit gratiam proportionatam dignitati Maternitatis DEI; habuit gratiam immensam, quatenus gratia B. Virginis nulli gratiæ commensurabatur, sed omnes Sanctorum gratias etiam collectivè sumptas superabat & vincebat. Habuit gratiam aliquomodo seu secundùm quid infinitam, hoc est: quorumvis Sanctorum gratias, etiamsi in his procederetur in infinitum, superantem. Qui modus explicandi prædicata gratiæ B. Virginis non solùm est facillimus, & captui accomodatus, sed etiam Patribus & Theologis usitatissimus. E contra modus salvandi adducta prædicata gratiæ B. Virginis per diversitatem specificam ejusdem gratiæ à cæteris gratiis nec facilis est nec usitatus. Diversitas enim specifica gratiæ non explicat plenitudinem gratiæ; cùm gratia possit esse & intelligi specie diversa absque eo, quòd B. Virgo habens gratiam specie diversam debeat esse & intelligi gratiâ plena. Certè per hoc, quòd gratia B. Virginis esset identificata scientiæ per se infusæ, vel quòd esset exigitiva habitûs pietatis speciè diversi, non ostenditur, quòd B. Virgo talem habendo gratiam debeat esse gratiâ plena; nec ostenditur, quòd hæc ipsa gratia debeat esse immensa, debeat esse infinita. Hic etiam modus salvandi & explicandi adducta prædicata gratiæ B. Virginis per diversitatem specificam ejusdem à cæteris gratiis non est usitatus Patribus & Theologis, quia in his non legitur, nec invenitur, neque ex ipsorum doctrina deducitur.

166. Secundæ Objectionis Nego Antecedens quoàd secundam partem, & Dico: non decuisse B. Virginem, ut haberet gratiam specie diversam à gratiis aliorum Sanctorum. Licèt verò decuerit, ut B. Virgo esset in ordine excellentiori supra alios Sanctos, tamen in hoc debuit constitui per Maternitatem DEI, sicut Christus ratione Personalitatis VERBI, & unionis hypostaticæ constitutus fuit in supremo & excellentissimo ordine esse Divini & hypostatici. Non decuit verò, ut sive Beatissima, sive Christus Dominus ratione gratiæ specie diversæ essent in diverso & excellentiori ordine. Tum quia, cùm Christus, utpote caput morale, influeret in justos tanquam in sua membra gratiam habitualem, decuit, ut ipse ejusdem speciei gratiam haberet, licèt intensiorem longè, quàm moraliter influit in sua membra. Beata etiam Virgo cùm sit Mater Viventium, ùt illam appellant SS. Patres, decuit, ut ipsa vitam animæ ejus speciei haberet, quam aliis viventibus per sua merita communicat. Certè sicut in ordine naturali Mater eam naturam habet, quam sua proles habet, ità Matrem in ordine supernaturali decet, eam naturam habere, quam viventibus communicat. Sed gratia habitualis in ordine supernaturali est natura. Ergo decuit, ut B. Virgo, quæ est Mater omnium viventium, in ordine supernaturali eam gratiam habeat, quam aliis viventibus communicat, adeoque ut haberet gratiam ejusdem speciei cum gratia aliorum justorum. Tum quia non omne, quod est possibile & perfectius, decet B. Virginem, licèt omne id, quod decet B. Virginem, debeat esse possibile; sed hanc decet, quod ità est possibile, ut in aliis puris creaturis saltèm in gradu remisso admittatur, aut quod in ipsis fuisset, nisi per suam culpam tali bene se privâssent. Atqui gratia specie diversa perfectior aliis gratiis non datur in ulla pura creatura, neque tali gratia puræ creaturæ privantur in pœnam suæ culpæ, cui B. Virgo obnoxia non fuit. Ergo gratia specie diversa non decuit B. Virginem, nec debuit in illa dari. An gratia specie diversa in B. Virgine repugnet Scripturæ, aut Patribus, non controverto; illud certum est talem gratiam non esse positivè conformem Scripturæ & Patribus, cùm tamen alia privilegia & favores in B. Virgine admittantur, qui ipsam ità decent, ut non solùm non repugnent, sed etiam sint conformes Doctrinæ Scripturarum vel Patrum.

167. Tertiæ objectionis Nego Minorem.

norem. Primæ Probationis Nego itidem Minorem. Nimirum Nego gratiam B. Virginis esse gratiam realiter identificatam scientiæ per se infusæ. Pariter Nego gratiam Christi fuisse identificatam lumini gloriæ. Ratio est. Tum quia nulla est necessitas, nec ullum fundamentum identitatis realis gratiæ habitualis B. Virginis cum scientia per se infusa, sicut non est ulla necessitas, nec fundamentum identitatis realis gratiæ Christi cum lumine gloriæ. Tum quia in tantum gratia B. Virginis deberet identificari scientiæ per se infusæ, in quantum ad excellentiam Virginis pertinet gratiæ ejus identificari scientiam per se infusam. Atqui hoc non pertinet ad excellentiam B. Virginis, sed ad hanc sufficit, quòd Virgo Beata ratione Maternitatis DEI exigat habere & gratiam sanctificantem valde intensam, & scientiam per se infusam, licèt realiter distinctam à gratia; sicut ad excellentiam Virginis pertinet, habere illam & gratiam habitualem, & habitus infusos virtutum in gradu valde intenso non identificatos gratiæ, sed ab illa distinctos. Confirmatur. Non pertinet ad excellentiam Virginis, ut gratia ipsius identificaretur habitui infuso fidei, ex cujus directione Virgo Beata aliquos ponebat virtutum actus. Ergo nec pertinet ad eandem excellentiam, ut gratia habitualis B. Virginis identificetur scientiæ ejusdem per se infusæ. Tum quia Natura in ordine supernaturali, utpote radix moralis exigitiva suarum proprietatum debet distingui realiter ab iisdem proprietatibus; debet enim quoad hoc naturam in ordine naturali talem imitari, quæ à suis proprietatibus debet distingui realiter. Sed gratia habitualis B. Virginis est natura in ordine supernaturali, & est radix moralis exigitiva suarum proprietatum, proprietas hujus radicis est scientia per se infusa. Ergo gratia habitualis in B. Virgine distinguitur, & debet distingui à scientia per se infusa. Confirmatur. Gratia habitualis in Beata Virgine est, & fuit distincta ab habitibus quibusvis virtutum per se infusis. Ergo eadem gratia est, & fuit pariter distincta à scientia per se infusa. Confirmatur iterum. Gratia B. Virginis non fuit identificata ulli habitui infuso Virginis voluntatem perficienti. v. g. non fuit identificata habitui infuso Castitatis, neque habitui abyssalis Humilitatis. Ergo neque fuit identificata eadem gratia scientiæ per se infusæ. Consequentia probatur. Quia major est convenientia prædicatorum habituum Castitatis & Humilitatis cum prædicatis gratiæ habitualis, quàm prædicatorum scientiæ per se infusæ cum prædicatis gratiæ; siquidem sicut gratia habitualis præstabat, quòd B. Virgo ratione illius esset DEO grata, esset amabilis, illique placeret, ità summa Virginalis Castitas, ejúsque Humilitas præstabant, ut B. Virgo ratione illorum esset DEO grata, amabilis, eique placeret. Ergo ratione hujus convenientiæ in dictis prædicatis potiùs gratia B. Virginis debet identificari cum habitu Castitatis & Humilitatis, quàm cum scientia per se infusa, cui talia prædicata non conveniunt. Tum denique, quia in B. Virgine Maternitas DEI distinguitur sive à gratia habituali, sive à scientia per se infusa. Ergo & gratia B. Virginis distinguitur à scientia eadem.

168. Secundæ Probationis. Nego Minorem. Probationem ulteriorem Distinguo. Gratia B. Virginis exigit ratione sui habitum specialem pietatis erga Filium, qui sit DEUS Homo. Nego Probationem. Si enim hæc numerò gratia collata fuisset alteri subjecto, & non B. Virgini, v. g. S. Joanni Baptistæ, non exegisset in tali subjecto dictum habitum. Gratia B. Virginis ratione subjecti ejúsque capacitatis exigit specialem habitum pietatis erga Filium, qui sit DEUS Homo. Concedo Probationem. Et Dico, quòd una, eadémque gratia habitualis, exigat in diversis subjectis pro diversitate capacitatis diversos habitus. Et sic gratia habitualis in homine exigit habitum castitatis, habitum temperantiæ, & sobrietatis, habitum pietatis erga Filios. Quos habitus non exigit gratia habitualis in Angelo. Una eadémque gratia habitualis in homine viatore exigit habitum Fidei. In eodem homine, cùm incipit esse comprehensor, non exigit hunc habitum, sed exigit lumen gloriæ. Pariter gratia habitualis in B. Virgine exigebat habitum specialem pietatis erga Filium, qui esset DEUS Homo, quem habitum non exegisset in alio subjecto, quod non esset Mater DEI. Se-

Secundò potest Negari Minor ex eo, quòd habitus pietatis in Filium in B. Virgine non fuerit diversus, potéstque dici, sicut unus idemque sol, sive calor pro diversitate & capacitate subjecti producit effectus diversos, nimirum ceram liquefacit, lutum condensat, ità unus idemque specie habitus pietatis in subjecto, cui convenit esse Matrem DEI, circa objectum & motivum, quòd ità sit suus Filius, ut simul sit DEUS homo, producit actum pietatis erga Filium, qui DEUS homo sit. Idem habitus in alio subjecto v. g. in Matre puri hominis producit actum pietatis & amoris, quo fertur in Filium purum hominem. Tertiò dici potest, quòd absque omni diversitate specifica sive in gratia habituali, sive in habitu pietatis B. Virgo elicuerit actus pietatis circa Christum Dominum suum & DEI Filium, concurrentibus ad productionem talium actuum duobus habitibus, habitu Charitatis in DEUM, & habitu pietatis ad Filium.

Ad Confirmationem Dico, negari à pluribus Theologis, ac etiam à me negatum fuit, gratiam Sacramentalem differre specie intrinseca à gratia non Sacramentali, sed differt extrinsecè per dependentiam gratiæ Sacramentalis à Sacramento tanquam à Causâ morali, in qua dependentia fundatur jus ad certa specialia auxilia conducentia ad finem Sacramenti, quæ intuitu ejusdem à DEO conferuntur uberiùs per ordinem ad illos actus, per quos obtinetur finis Sacramenti. Pariter & gratia B. Virginis non est diversa specie intrinseca ab aliis gratiis, sed differt ab iis extrinsecè ratione dependentiæ à Maternitate DEI, tanquam à causâ sui morali, in qua dependentia fundatur jus ad certa auxilia, quæ B. Virgini ex vi talis juris conferuntur in ordine ad actus pietatis exercendos circa Filium, qui sit DEUS Homo.

169. Tertiæ Probationis Nego Minorem. Scilicet Nego, quòd gratia habitualis Beatæ Virginis per realem adæquatam identitatem contineat totam suam intensionem, cujus oppositum sequentibus rationibus evinco. Tum quia quævis qualitas, adeoque & gratia habitualis, quæ suam intensionem non habet totam simul, sed hæc comparatur per partes, & successivè, non habet eandem intensionem per identitatem realem adæquatam, cùm talis intensionis partes, sive gradus sint à se entitativè separabiles, qualis separabilitas repugnat identitati reali adæquatæ. Sed gratia Beatæ Virginis non habuit suam intensionem totam simul, verùm hæc intensio comparabatur, quò ad suas partes successivè per merita Beatæ Virginis successivè elicita. Ergo. Tum quia gratiam, quam B. Virgo semel acquisivit, nunquam deperdidit, sed semper retinuit, & totâ vitâ suâ auxit; hæc enim in præsenti Providentia non deperditur, nisi per culpam, à qua immunis fuit B. Virgo. Atqui si gratia Beatæ Virginis haberet totam suam intensionem per identitatem realem adæquatam, B. Virgo deperdidisset suam gratiam habitualem, quam aliquando habuit. Quia in fine suæ vitæ non haberet illam gratiam, quam accepit in immaculata sua Conceptione, nec haberet illas gratias, quas suis meritis in ulteriori sua vita comparavit. Sed his deperditis haberet non nisi gratiam ultimo suo merito respondentem & comparatam, quæ gratia haberet realiter adæquatè identificatam totam intensionem gratiæ, quæ omnibus suis meritis deberetur. Ergo.

170. Quarta Probatio multùm probat. Probat enim, quòd non solùm B. Virgo habuerit gratiam specie diversam ab aliis aliorum Sanctorum gratiis, sed etiam quòd aliquorum Sanctorum gratiæ habituales, qui nimirum fuerunt majoris meriti, ùt gratia Sancti Joannis Baptistæ, S. Joseph Sponsæ Beatissimæ, S. Petri, &c. fuerint specie diversæ à gratiis Sanctorum inferioris meriti, quia illæ gratiæ differebant ab his intensione, easque superabant, quæ differentia secundùm Probationem quartam est differentia intrinseca specifica. Directè hujus Probationis Nego Consequentiam. Ad Probationem ulteriorem dico, Sententiam magis communem & veram esse, quòd intensio qualitatum, quæ successivè comparari consuevit, fiat per gradus homogeneos, seu per partes ejusdem rationis; videmus enim qualitates materiales intendi per partes homogeneas, & sic calor intenditur per ejusdem rationis calores sibi conjunctos, nec est

ulla necessitas, ut intensio caloris fiat per diversæ speciei calores. Ergo & qualitates spirituales etiam supernaturales divisibiles eodem modo intenduntur per gradus homogeneos, cùm itidem non sit ulla necessitas & fundamentum, ut talium qualitatum intensio fiat per gradus heterogeneos, adeoque & gratiæ habitualis intensio fit per partes homogeneas, seu ejusdem rationis.

## §. III.

## An Beata Virgo habuerit habitus infusos virtutum, & quarum?

171. Præmitto, per habitus infusos virtutum intelligi habitus supernaturales dantes simpliciter posse operari virtuosè & salutariter. Seu intelligi qualitates permanentes supernaturales intrinsecas potentiæ naturali intentionali, ipsam elevantes ad actus supernaturales respicientes DEUM, sive aliquod ejus prædicatum Divinum, vel honestatem creatam objecti. Hi habitus dicuntur habitus infusi, quia simul cum gratia habituali infunduntur animæ hominis Justi, süntque proprietates gratiæ tanquam suæ radicis ab ipsa exigitæ, eámque consequentes. Ab habitibus acquisitis differunt per hoc, quòd hi comparentur exercitiô actuum virtutis, ità ut si alicujus virtutis actus frequententur, ac sæpius eliciantur, frequentatione talium actuum comparetur habitus ad similes actus faciliùs deinceps ponendos. Habitus infusi simul omnes cum gratia habituali acquirantur in hominis justificatione. Tum etiam per hoc differunt, quòd habitus infusi dent simpliciter posse, habitus acquisiti dent facilè posse. Habitus infusi virtutum dividuntur in habitus virtutum Theologicarum, & in habitus virtutum moralium. Habitus infusi virtutum Theologicarum sunt illi, qui potentiam naturalem intentionalem elevant, & perficiunt ad eliciendos actus supernaturales respicientes pro motivo formali directò aliquod prædicatum Divinum. Tales habitus sunt: habitus infusus fidei, spei, & charitatis. Ex quibus habitus Fidei respicit pro motivo formali Authoritatem DEI attestantis; habitus Spei respicit Bonitatem DEI respectivam, quâ DEUS est bonus nobis, constitutam Omnipotentiâ DEI potente præstare bona, quæ promittit, & Fidelitate in exequendis hujusmodi promissis. Habitus infusus charitatis respicit pro motivo formali directò Bonitatem DEI absolutam, quâ DEUS in se bonus, & summum bonum est. Habitus infusi virtutum moralium sunt, qui pro motivo formali directò respiciunt honestatem creatam objecti, regulantúrque per dictamen prudentiæ supernaturale. Hujusmodi virtutum habitus sunt: Religio, justitia, fortitudo, temperantia, & alii habitus his similes.

172. Dicendum est primò. In sanctâ Virginis Beatissimæ Anima fuisse habitus infusos virtutum tam Theologicarum, quàm moralium, non repugnantes statui Matris DEI.

Probatur primò. Quia in Beata Virgine DEI Matre dabatur gratia habitualis ipsam formaliter sanctificans, ut constat ex dictis Num. 144. Ergo in illa ipsa dabantur habitus infusi virtutum tam Theologicarum, quàm moralium. Consequentia probatur. In quo supposito datur radix exigitiva habituum infusorum, tanquam suarum proprietatum, in eo dantur habitus infusi virtutum. Quia ubi datur radix exigitiva proprietatum, ibi dantur ipsæ proprietates exigitæ. Hæ enim debent consequi suam radicem, nec possunt ei connaturaliter negari, quia non debet contraveniri, saltem de lege ordinaria, exigentiæ talis radicis. Atqui si in Beata Virgine DEIpara fuit gratia habitualis, dabatur in Beata Virgine radix exigitiva habituum infusorum, tanquam suarum proprietatum. Ipsa enim gratia habitualis est radix exigitiva habituum infusorum. Gratia enim in ordine supernaturali habet se permodum naturæ, & principii vitæ spiritualis supernaturalis, habitus infusi habent se permodum proprietatum ab ipsa gratia exigitarum, habent se permodum potentiarum operandi sanctè. Ergo si in Beata Virgine fuit gratia habitualis, fuerunt in eadem habitus infusi virtutum tam Theologicarum, quàm moralium.

Probatur secundò. In Beata Virgine fuerunt actus supernaturales virtutum tam Theologicarum, quàm moralis

lium. Ergo in eadem Beata Virgine fuerunt habitus infusi harum ipsarum virtutum. Antecedens probatur. In Beata Virgine fuerunt imprimis actus supernaturales virtutum Theologicarum. Fuit actus supernaturalis Fidei, juxta illud Lucæ 1. *Beata, quæ credidisti.* Fuit actus Spei, juxta illud B. Virginis ad Angelum: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Fuit actus charitatis DEI, juxta illud Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Fuerunt etiam in Beata Virgine actus virtutum moralium supernaturales, nimirum fuerunt actus Religionis, quibus rerum Divinarum contemplationi immersa, DEUM reverentissimè colebat, quem genuit, adorabat, & ad pedes Domini, cum altera Maria *optimam partem elegit.* Fuerunt actus fortitudinis in adversis omnibus fortiter perferendis. *Ejus sanctissimam Animam in morte Filii, doloris intensissimi gladius pertransivit, nec tamen prostravit. Ipsa siquidem fugientibus viris stabat intrepida*; ùt ait S. Ambrosius lib. de Instit. Virg. cap. 7. Fuit humilitas, ex qua, cùm esset Mater DEI electa, & ab Angelo renuntiata, *Ancillam Domini*, se humiliter confitetur. Fuit Misericordia, & ad succurrendum alienæ miseriæ & indigentiæ promptitudo. Ex qua, ut Joanni in utero existenti succurreret, ab ejúsque Filio idem sanctificaretur, & ab originalis peccati labe mundaretur; *Exurgens abiit in montana cum festinatione.* Fuit obedientia perfecta, mortem Filii sui, eidem per præceptum mortis impositam, prompta voluntate suscipiendo, Eúmque in sacrificium & redemptionem generis humani DEO Patri offerendo. De Beata Virgine S. Ambrosius lib. 2. de Virginibus, sic habet. *Talis fuit Maria, ut ejus unius vita omnium sit disciplina. Quantæ in una Virgine species virtutum emicant?* In talium virtutum, sed maximè charitatis exercitio continuo fuit B. Virgo; per hujusmodi actus comparavit thesaurum illum gratiæ, quo omnium Sanctorum gratias collectivè sumptas superavit. Per eosdem eam gloriam in cœlis obtinuit, per quam exaltata est super omnes Angelorum choros, ac etiam super omnes Sanctos. Probato Antecedente, probatur consequentia illa, quòd, si in Beata Virgine fuerunt actus virtutum tam Theologicarum, quam moralium, debuerint in eadem dari habitus virtutum earundem infusi. Ut B. Virgo censeatur habuisse actus supernaturales virtutum, debuit habere potentiam ad eosdem actus completam; nulli enim actus elici, imò nulli effectus poni possunt, non habitâ sufficientiâ completâ, & adæquatâ ad eosdem actus, vel effectus. Ergo B. Virgo si habuit actus supernaturales virtutum, debuit habuisse habitus infusos dictarum virtutum; per hos enim completur potentia, habetúrque sufficientia adæquata, vi cujus existant actus. Licèt verò actus supernaturales virtutum possint absolutè elici sinè habitibus infusis, supplente defectum habitûs infusi vel Omnipotentiâ Divinâ extrinsecè assistente, & influxu supernaturali concurrente ad actum supernaturalem virtutis, vel auxilio intrinseco transeunte. Tamen à B. Virgine actus virtutum eliciebantur, & debebant elici dependenter ab habitibus infusis. Tum quia actus virtutum supernaturalium tunc solùm eliciuntur ex vi concursûs Omnipotentiæ Divinæ extrinsecè assistentis, & influentis in actum, vel cum concursu auxilii intrinsecè assistentis, quando ponitur obex, nè in aliquo subjecto, aliàs capaci detur gratia habitualis, & habitus infusi virtutum. Qualis obex in præsenti Providentia est solùm peccatum mortale non expiatum; vel quando habitus infusi, quamvis dentur, sunt tamen impediti, quò minùs concurrere possint ad actus supernaturales virtutum. Atqui in B. Virgine non fuit obex, quò minùs daretur in illâ gratia habitualis, & habitus virtutum, quia nullum fuit peccatum etiam veniale, multò minùs mortale. Neque etiam habitus infusi impediebantur, quò minùs concurrerent ad actus virtutum supernaturales, cùm de nullo constet impedimento. Ergo. Tum quia à B. Virgine actus supernaturales virtutum eliciebantur modô ipsi connaturalissimô & convenientissimô. Sed modus eliciendi actus virtutum supernaturales, concurrente ad tales actus habitu infuso virtutis, est modus B. Virgini connaturalissimus & convenientissimus. Quia modus operandi salutariter ab intrinseco,

seu potentiam naturalem intentionalem complente & elevante principio supernaturali intrinseco, est modus operandi maximè conaturalis potentiæ vitali naturali. Est etiã modus operandi concurrente ad actum virtutis habitu infuso convenientissimus Beatæ Virgini. Quia elevatio potentiæ naturalis per principium permanens, est maximè conveniens continuo & nunquam interrupto exercitio actuum virtutis. Cùm ergo B. Virgo actus virtutum exercuerit continuò & nunquam interruptò studiò & exercitiò, conveniens fuit, ut elevatio illius fieret per principium supernaturale permanens & intrinsecum, adeoque per habitum infusum.

Adverto, B. Virginem habuisse habitus infusos virtutum à primo statim suæ immaculatæ Conceptionis instanti. Tum quia hoc statim instanti habuit gratiam sanctificantem. Ergo habuit quoque & habitus infusos; hi enim infunduntur simul cum gratia habituali, tanquam proprietates cum sua radice. Tum quia B. Virgo à primo statim suæ Conceptionis & sanctificationis instanti, cùm habuerit usum perfectum rationis, statim ab eodem instanti eliciebat actus supernaturales diversarum virtutũ, sed vel maximè actus Charitatis Theologicæ, eósque semper deinceps exercuit. Ergo ab hoc instanti habuit potentias supernaturales elevantes ipsam ad eliciendos prædictos actus. Sed non præcisè habuit Omnipotentiam DEI extrinsecè assistentem, & concurrentem concursu supernaturali ad tales actus, nec præcisè habuit auxilia intrinseca transeuntia, cùm nullus in B. Virgine fuerit obex, quò minùs illi infunderentur habitus infusi, nec fuerit ullum impedimentum, ratione cujus habitus infusi animæ Beatæ Virginis non potuerint concurrere ad actus supernaturales virtutum. Ergo B. Virgo ab instanti suæ Conceptionis, habuit potentias supernaturales intrinsecas, & permanentes ipsam elevantes, & concurrentes ad actus supernaturales virtutum, adeoque à primo instanti suæ Conceptionis, habuit habitus infusos virtutum.

Adverto secundò. Quòd in B. Virgine à primo statim suæ Conceptionis instanti habitus infusi creverint, proportionatè ad incrementum gratiæ habitualis, seu quòd, sicut gratia habitualis in præmium meritorum B. Virginis semper & semper novis incrementis augebatur, ità & habitus infusi virtutum pariter augebantur, ut sic essent proportionati & commensurati suæ radici; adeoque cùm gratia habitualis B. Virginis superaverit quascunque gratias collectivè sumptas aliorum Sanctorum, etiam habitus infusi virtutum B. Virginis superabunt quoscunque habitus virtutum collectivè sumptos quorumcunque Sanctorum.

174. Addidi in Conclusione, quòd in B. Virgine fuerint habitus infusi virtutum non repugnantium statui Matris DEI. Tales virtutes, nimirum repugnantes, putant quidam Theologi fuisse habitum spei, & habitum pœnitentiæ de proprio peccato, & censent harum virtutum habitus non fuisse in B. Virgine, ex eo, quòd spes in subjecto, in quo datur, requirat incertitudinem de bono sperato. Pœnitentia verò præsupponat peccatum proprium, quod utrumque repugnat statui Matris DEI. Dici nihilominus potest, etiam hos habitus fuisse in Virgine Beata, nec eosdem habitus repugnare statui Matris DEI. Etiamsi enim defacto B. Virgo habuerit certitudinem de aliquo bono sperato, scilicet de sua præservatione, de futura itẽ sui præservatione à quibusvis peccatis; quia tamen hanc certitudinem B. Virgo habuit ex speciali DEI privilegio, ut potuerit eam non habere, ideo habitus spei non repugnat statui Maternitatis DEI; cùm præsertim spes possit stare cum certitudine de re promissa. Etiamsi itèm B. Virgo propter impeccabilitatem moralem antecedentem nullum defacto habuerit peccatum propria voluntate commissum, de quo pœnitentiam ageret. Quia tamen ipsa B. Virginis immunitas à peccato, fuerit privilegium speciale DEI, ità Matri DEI concessum, ut absolutè non concedi potuerit. Cùm DEI Filius per potentiam absolutam potuerit nasci de Matre peccatrice, ideo habitus pœnitentiæ absolutè non repugnat statui Maternitatis DEI. Unde ulteriùs dici potest dictos habuisse habitus Virginem DEIparam, etiamsi in ipsa non fuerint actus talium virtutum, præci-

cipuè non fuerit actus pœnitentiæ, ob defectum objecti, circa quod versari deberet.

175. Dicendum est secundò in B. Virgine fuisse non solùm habitus infusos virtutum Theologicarum, & moralium, sed etiam fuisse habitus acquisitos.

Probatur. In B. Virgine fuerunt actus virtutum tam Theologicarum, quàm moralium, iique actus intensissimi, ac talium actuum saltèm aliquorum & præcipuorum perpetuum, & totâ vitâ continuatum, necunquam interruptum exercitium. Ergo in B. Virgine fuerunt habitus acquisiti virtutum. Tales enim habitus comparantur frequentatione actuum, imò etiam per unum actum intensum habitus acquiri potest. Quia si quis sæpius eliciat actum certæ alicujus virtutis præcipuè intensum, acquirit facilitatem eliciendi deinceps similes actus, in qua facilitate consistit ratio habitûs acquisiti.

Adverto, B. Virginem habuisse habitus virtuosos acquisitos, ortos ex frequentatione actuum supernaturalium. Tales enim actus utpote meritorios gloriæ cœlestis, B. Virgo semper elicuit, nec ab illis eliciendis & exercendis unquam cessavit, nec videtur B. Virgo actus naturales elicuisse; licèt enim aliqui actus ejus videbantur tendere in motivum naturale; quia tamen simul respiciebant motivum supernaturale, & eliciebantur ex vi auxilii non solùm habitualis, sed etiam actualis supernaturalis, ideò quicunque actus Voluntatis Beatissimæ Virginis fuerunt supernaturales. An habitus orti ex actibus supernaturalibus virtutum fuerint entitativè supernaturales? controvertunt Theologi. Sed hujus difficultatis resolvendæ non est hic locus proprius. Solet hæc difficultas discuti, & resolvi in tractatu de Virtutibus Theologicis, eò Lectorem remitto.

176. Dices beatam Virginem non habuisse ullos habitus acquisitos. Hi enim habitus dantur propter facile posse. Porrò B. Virgo habuit facile posse independenter ab habitibus acquisitis; habuit, inquam, facile posse, tum ratione perfectissimæ Scientiæ per se infusæ proponentis Beatæ Virgini motiva singularum virtutum, earundem præstantiam, & alia his similia; tum ratione carentiæ fomitis peccati, carentiæ passionum, rationem prævenientium, ac etiam ratione carentiæ tentationum, maximè intrinsecarum, aliorumque impedimentorum. Tum denique ratione intensionis, sive habituum infusorum, sive auxiliorum gratiæ actualis. Ergo.

Respondeo Negando Antecedens. Probationem Distinguo. Beata Virgo habuit adæquatum facile posse ratione enumeratorum principiorum independenter ab habitibus acquisitis, Nego probationem. Habuit inadæquatum facile posse. Concedo probationem. Et dico Beatam Virginem habuisse adæquatum facile posse dependenter à multis principiis & rationibus. Cùm enim facilè posse operari sanctè in B. Virgine fuerit perfectissimum, hoc multis principiis Beatæ Virgini non repugnantibus constituebatur. Et quia habitus acquisitus est unum ex hujusmodi principiis, etiam habitu acquisito constituebatur adæquatum facilè posse operari sanctè in B. Virgine, adeoque facile posse adæquatum habuit B. Virgo dependenter ab habitu acquisito. Porrò habitus acquisiti virtutum non solùm non repugnabant B. Virgini, cùm nulla illorum appareat ratio repugnantiæ, sed etiam debebant necessariò dari. Ubi enim datur causa necessaria alicujus effectûs, ipsum necessariò inferens, ibi debet dari etiam ipse effectus. Sed in B. Virgine dabatur causa necessaria habitûs acquisiti, seu causa necessariò inferens talem habitum acquisitum. Ergo in B. Virgine debebat dari & habitus acquisitus à tali causa proveniens, præstabatque suum effectum formalem, qui est dare facile posse. Ex una enim parte, talis effectus formalis B. Virgo fuit subjectum capax; ex altera parte habitus acquisitus est forma potens tribuere dictum effectum, nec defuit sufficiens applicatio formæ ad subjectum; per hoc enim habetur talis applicatio, quòd ille habitus fuerit productus in Anima B. Virginis. Ergo.

# §. IV.

## An Beata Virgo habuerit gratias Sacramentales, & quæ Sacramenta susceperit?

177. Præmitto, per gratiam Sacramentalem intelligi gratiam per Sacramentum Novæ Legis fructuosè susceptum collatam. Gratiæ Sacramentali duo præcipuè prædicata conferuntur. Primum, quòd gratia Sacramentalis conferatur ex opere operato, & non præcisè ex opere operantis, hoc est, quòd gratia Sacramentalis ad positionem Sacramenti debitè suscepti, ex vi ejusdem Sacramenti, prout continentis merita Christi secundùm institutionem Christi conferatur suscipienti Sacramentum, & non præcisè in præmium actionis alicujus meritoriæ à suscipiente positæ. Hoc prædicatum ità tribuitur gratiæ per quæcunque Sacramenta Novæ Legis collatæ, ut etiam aliqui Patres, & cum illis Theologi existiment per quædam, quæ non habebant rationem Sacramenti à Christo instituti, fuisse gratiam collatam ex opere operato. Ità censent Beatæ Virgini collatam fuisse gratiam abundantissimam ex opere operato per Incarnationem VERBI Divini, seu per conceptionem in utero DEI Hominis, &c. Secundum gratiæ Sacramentali prædicatum tribuitur. Quòd gratia per Sacramentum Novæ Legis collata conducat ad certos fines proprios Sacramento suscepto, seu, quòd gratia Sacramentalis exigat specialia auxilia gratiæ actualis, specialiter conducentia ad finem Sacramenti suscepti. Hanc exigentiam (jus alii vocant) fundant plerumque Theologi in dependentia morali gratiæ Sacramentalis à Sacramento, per quod confertur. Et sic v. g. cùm finis Sacramenti Baptismi sit, ut per hoc baptisma novum hominem, qui secundùm DEUM creatus, homo baptisatus induens, innocens, immaculatus, purus, innoxius, ac DEO dilectus, & hæres Regni cœlestis effectus, non secundùm carnem, sed secundùm DEUM ambulet; gratia Sacramentalis per Baptismum collata exigit auxilia specialia ad ambulandum secundùm DEUM, ad christianè vivendum, ad custodiendam gratiam & innocentiam in baptismo acceptam. Cùm finis Sacramenti Confirmationis sit, ut fidelis hoc Sacramentum suscipiens, acceptâ gratiâ, & robore Spiritûs Sancti, audacter Nomen Christi confiteatur; gratia Sacramentalis Sacramenti Confirmationis exigit auxilia specialia actualis gratiæ ad confitendum fortiter & audacter Nomen Domini JESU Christi, & veram fidem. Et sic de cæteris Sacramentis.

178. Dicendum est primò. Beatam Virginem habuisse gratias Sacramentales quorundam Sacramentorum Novæ Legis, non habuisse gratiam quorumvis Sacramentorum, nec omnia Sacramenta suscepisse.

Ratio primi est. Quia B. Virgo habuit gratias Sacramentales Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ. Habuit imprimis B. Virgo gratiam Sacramentalem Sacramenti Baptismi. Tum quia Euthymius refert hoc Sacramentum B. Virgini fuisse collatum à Christo. Dicit enim in Joan. 3. *Scribunt quidam Apostolorum temporibus proximi, quòd Christus Petrum, & Virginem Matrem, Petrus verò reliquos Apostolos baptisaverit.* Tum quia B. Virgo fuit intrà Ecclesiam à Christo institutam, fuitque vivum membrum ejusdem Ecclesiæ. Ergo Baptismum suscepisse debuit. Baptismus enim est janua, per quam nonnisi ingressus patet fidelibus in Ecclesiam Christi. Per Baptismum implantamur & efficimur vivum membrum Ecclesiæ Christi; per Baptismum insignimur charactere, quo discernimur ab infidelibus, qui non sunt membra Ecclesiæ Christi. Tum quia B. Virgo potuit suscipere Baptismum, & gratiam accipere Sacramentalem Baptismi; decuit etiam, ut & Baptismum susciperet, & gratiam per Baptismum conferri solitam acciperet. Nec id repugnat Patribus, & Scripturis. Ergo. Antecedens probatur. Potuit B. Virgo suscipere Sacramentum Baptismi, fuit enim capax talis Sacramenti. Nihil enim obfuit, quò minùs capax esset ipsius, nec posset illud suscipere. Decuit etiam, ut B. Virgo hoc Sacramentum susciperet propter dandum exemplum aliis Fidelibus, qui sinè hoc Sacramento in re, vel vo-

voto suscepto salvari non possunt, ut præceptum Christi, de suscipiendo Baptismo impleret. Decuit, ut B. Virgo gratiam Sacramentalem Baptismi acciperet, ut insigniretur charactere fidelium, discretivo eorundem ab infidelibus, ut per januam in Ecclesiam Christi induceretur à suo Filio, ut fieret vivum membrum ejusdem Ecclesiæ, ut per susceptionem Baptismi acciperet potestatem utendi Sacramentis Novæ Legis, maximè Sacramentô Eucharistiæ. Nec id repugnat Patribus, sed potiùs conforme S. Euthymio. Ergo. Tum quia si quid obesset, quò minùs B. Virgo susciperet Sacramentum Baptismi, obesset hoc, quòd B. Virgo non habuerit peccatum originale, ad quod potissimùm tollendum, institutum est Sacramentum Baptismi. Obesset itèm hoc, quòd forma Baptismi: Ego te baptiso, cujus formæ sensus est, ego te abluo, & emundo à maculis peccatorum, falsificata fuisset in B. Virgine. Atqui hæc non obsunt; Sacramentum enim Baptismi non ad hunc unicè, & determinatè finem institutum est, ut tollat peccatum originale, sed institutum est sub disjunctione, vel ad tollendum originale, si illud inveniat, vel si illud sublatum, aut impeditum inveniat, ad alios fines, nimirum, ut quis per Baptismum, tanquam per januam, in Ecclesiam Christi ingrediatur, ut fiat vivum membrum ejusdem Ecclesiæ, ut accipiat characterem, ex quo cognoscatur, quòd sit è Cœtu fidelium, & ad hunc Cœtum pertineat, & ab infidelibus dignoscatur, ut habeat potestatem utendi aliis Ecclesiæ Sacramentis. Sicut idem Sacramentum non est institutum determinatè ad tollenda peccata actualia, sed indeterminatè & conditionatè, si *hæc inveniat*. Hæc enim tollit in adultis, non tollit in infantibus. Certè SS. Apostoli Baptismum Christi susceperunt, ùt apud omnes indubitatum est, qui tamen non susceperunt illum eo fine, ut in ipsis tolleretur peccatum originale. Hoc enim in illis sublatum fuit per remedium, quod in veteri lege applicabatur parvulis, ut mundarentur ab originali. Sed susceperunt Baptismum ad alios fines suprà insinuatos. Proportionatè discurrendum de Baptismo B. Virginis. Forma etiam Baptismi non falsificabatur in B. Virgine. Formæ enim illius: Ego te baptizo, non est hic sensus. Ego te ablutione, quam facio, emundo à peccatis tuis, sed potiùs hic est sensus: Ego te abluo, & confero tibi gratiam, quantùm de se, emundativam à peccatis. Quæ forma sic intellecta, est vera, sive præexistat, sive non præexistat peccatum originale, aut etiã alia peccata actualia.

Quòd eadem Virgo B. habuerit gratiam Sacramentalem Confirmationis, docent Suarez, P. Morawski, & alii communiter Theologi. Et censent, hanc gratiam Virginem B. accepisse in die Sacro Pentecostes, quo die in ipsam, & in SS. Apostolos in cœnaculo perseverantes in oratione, descendit Spiritus Sanctus in linguis igneis dispertitis, & sedit supra singulos illorum. Hæc descensio Spiritûs S. linguarum apparitio adinstar ignis, sessio supra singulos non fuit quidem signum illud visibile symbolicum, ordinarium gratiæ, assumptum à Christo, ut esset Sacramentum Confirmationis, ab eòque institutum, constans rebus, tanquam materiâ, verbis, tanquam formâ. Quia non constabat unctione, chrismate, per Episcopum factâ, nec verbis illis: Signo te signô Crucis, & confirmo te chrismate salutis, &c. Quæ duo sunt materia, & forma Sacramenti Confirmationis. Per hanc nihilominùs descensionem Spiritûs S. apparitionem linguarum tanquam ignis, sessionem supra singulos, fuit causatus character, qui per Sacramentum Confirmationis causari solet, causata fuit gratia ex opere operato, illique præstiti effectus, quos præstat Sacramentum Confirmationis. Unde patet B. Virginem non suscepisse Sacramentum Confirmationis, quò ad illud signum visibile ordinarium, in quo consistit dictum Sacramentum, suscepisse tamen signum extraordinarium, per quod ipsi, & Apostolis collata fuit gratia Spiritûs Sancti, ejusdemque robur, & alii effectus proprii Sacramenti Confirmationis. Eadem tamen Virgo accepit gratiam Sacramentalem Sacramenti Confirmationis, non quæ talis fuit, quò ad dependentiam à Sacramento Confirmationis propriè dicto, sed quæ talis fuit, quo ad identitatem rationis, seu convenientiam in

in aliis prædicatis cum gratia Sacramentali.

Gratiam Sacramentalem Sacramenti Eucharistiæ habuit, eámque augebat quotidiana susceptione Sacramenti Eucharistiæ post ipsius institutionem, juxta morem primævæ Ecclesiæ, in qua à Fidelibus hoc Sacramentum quotidie sumebatur. Id enim de Virgine DEIpara præsumi debet. Quia decebat Virginem Beatam, ut hôc Epulô, cùm posset, vesceretur, ejúsque affectui in Filium congruebat, ut Ei conjunctissima esset, etiam per sumptionem Sacratissimi ejus Corporis & Sanguinis, sub Sacramentalibus speciebus, Eúmque sibi sacramentaliter præsentem hac ratione redderet.

179. Ratio secundi est. Quia B. Virgo non habuit gratiam Sacramentalem Sacramenti Pœnitentiæ propter defectum materiæ, sive proximæ, sive remotæ. Proxima materia hujus Sacramenti est dolor de peccatis verè commissis, eorúmque confessio coram legitimo Ministro. Materia remota sunt peccata propria actualia verè commissa. Neutra verò hæc materia locum habuit in Virgine DEIpara. Ergo nec gratiam Sacramentalem hujus Sacramenti habuit, aut habere potuit, cùm fuerit incapax finis, & effectûs, ad quem ordinatur Sacramentum, & ipsius gratiæ Sacramentalis, qui est satisfactio pro peccatis commissis & vitæ post peccatum emendatio.

Non suscepit etiam B. Virgo Sacramentum Ordinis, ob suam talis Sacramenti incapacitatem, ratione sui sexûs, consequenter nec accepit gratiam Sacramentalem, hujus Sacramenti propriam, cùm pariter incapax fuerit finis, & effectûs, propter quem dictum Sacramentum est institutum, nimirum dignæ administrationis Sacramentorum Pœnitentiæ, Eucharistiæ, &c.

Matrimonium inter Beatam Virginem, & inter Sanctissimum ejus Sponsum, licèt fuerit verum, ratum & validum, tamen non fuit Sacramentum Novæ Legis, ob defectum Institutionis Christi; necdum enim fuit à Christo institutum Sacramentum Matrimonii, cùm secum contraherent S. Joseph, & B. Virgo. Unde contractus ipsorum Matrimonialis non habebat rationem Sacramenti Novæ Legis. Hinc inferunt Theologi B. Virginem non habuisse gratiam Sacramentalem Sacramenti Matrimonii. Dici tamen potest, & S. Josephum, & B. Virginem per speciale privilegium accepisse gratiam ex opere operato similem illi gratiæ, quæ conjugibus conferri solet, ac etiam accepisse jus speciale ad auxilia gratiæ actualis tali illorum statui convenientia, accepisse ad illa verba Angeli Divo Josepho in somnis apparentis: *Joseph noli timere accipere MARIAM Conjugem tuam.* Id enim decuit sacros illos Conjuges, nec Doctrinæ Patrum repugnat.

180. De Sacramento extremæ Unctionis, an B. Virgo illud susceperit? dubitatur, & controvertitur à Theologis. Albertus Magnus, Silvester, Canisius, Suarez docent, quòd B. Virgo susceperit dictum Sacramentum. Paludanus & Victoria sentiunt B. Virginem non suscepisse, nec capacem fuisse hujus Sacramenti. Ego censeo dici posse, quòd B. Virgo simili aliquomodo ratione susceperit extremam Unctionem, atque suscepit Confirmationem, nimirum in suâ ultima debilitate suscepit Unctionem oleô in Nomine Domini, & orârunt Presbyteri super eam. Ad talísque unctionis, & orationis positionem in B. Virgine causata fuit gratia ex opere operato cum jure ad auxilia actualia illi tempori & debilitati Virginis convenientia, & maximè opportuna. Non suscepit verò B. Virgo extremam Unctionem taliter, & in ea forma sibi ministratam, in qua cæteris puris hominibus ministratur. Nimirum, dum inungeretur, non fuit adhibita forma hujus Sacramenti consueta per illa verba: *Indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, per auditum, per gustum, &c. deliquisti.* Per hanc enim formam supponitur, quòd Beatissima Virgo aliqua delicta actualia commiserit, quod supponere de B. Virgine, est indignum DEI Matre. Et ex hac ratione Sacramentum extremæ Unctionis non debet ministrari infantibus infirmis, ante usum rationis. Quia non potest de illis supponi, quòd per aliquem sensum actualiter deliquerint.

Nec obest, si dicas, illius formæ: *Indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum &c. deliquisti,* sensum conditionalem esse, vel

vel esse sensum potentialem explicabilem hôc modô: conferat tibi DEUS gratiam sufficientem ad delendam omnem maculam, quæ per sensus contrahi solet. Non obest, inquam. Tum quia non apparet ratio, propter quam forma extremæ unionis non debeat accipi absolutè, & non debeat habere hunc sensum absolutum: Remittat tibi DEUS peccata à te per sensus commissa. Tum quia forma extremæ unctionis in sensu conditionali, aut potentiali explicato non debet proferri supra infirmum, quē certò constat nulla peccata actualia per sensus commisisse, etiamsi possit eadem forma in aliquo tali sensu proferri, dum infirmus præsumitur aliqua peccata actualia per sensus commisisse. Et sic, quia certò constat ab infante ante usum rationis, nulla peccata actualia esse commissa, ideò non licet infanti infirmo ministrari Sacramentum extremæ unctionis per dictam formam in sensu conditionali & potentiali intellectam. Atqui de Beata Virgine certò constat, & constabat SS. Apostolis, aliisque Christi Discipulis, quòd fuerit immunis à quibusvis peccatis actualibus, seu quòd nulla unquam peccata actualia commiserit. Ergo.

181. Dicendum est secundò, Beatam Virginem præter gratias Sacramentales habuisse insuper gratias ex opere operato causatas, independenter ab ullo Sacramento propriè dicto novæ legis.

Probatur. Quia Beata Virgo in sua immaculata Conceptione, ac animæ suæ in primo instanti creationis sanctificatione, accepit gratiam ex opere operato. Licèt enim ad hanc etiam in primo instanti se disposuerit, quia tamen accepit gratiam ultra mensuram suæ hujus dispositionis. Itèm, quia hæc sui dispositio habuit se nonnisi ad gratiam sibi collatam permodum meriti de congruo. Ideò Virgo Beata accepit tunc gratiam ex opere operato. Eadem Virgo Beata in Incarnatione VERBI, seu in instanti, quo in sanctissimo suo utero concepit DEUM Hominem, accepit gratiam abundantissimam ex opere operato, ùt docent SS. PP. Athanasius, Damascenus, S. Bernardus, Laurentius Justinianus, Eusebius Emissenus, & S. Thomas opusc: 60. Art. 3. Hæc gratiæ acceptio significata est illis Angeli verbis: *Spiritus Sanctus superveniet in Te, & virtus Altißimi obumbrabit Tibi.* Illa itèm ab Angelo salutatione *Ave gratiâ plena.* Plenitudinem gratiæ triplicem distinguit S. Thomas locô citatô. *Unam dicit plenitudinem sufficientiæ*, quam censet Beatam Virginem accepisse in prima animæ suæ sanctificatione. *Alteram vocat plenitudinem abundantiæ*, quam dicit Beatam Virginem accepisse in Filii DEI Incarnatione, ejúsque in utero Virginis Conceptione. *Tertiam appellat plenitudinem singularis excellentiæ*, quam Beata Virgo in toto suo cursu comparavit. Accepisse pariter Beatam Virginem gratiam ex opere operato in Nativitate Christi, dum lactaret Christum natum, dū eum pannis involveret, dum Infantis tenera membra in præsepio deponeret. Videtur id sentire S. Augustinus Serm. 14. de tempore ad Beatam Virginem. Ubi sic Virginem DEIparam alloquitur: *Creatori succum porrigis lactis, & cibis cælestibûs satiaris; pannis involvis puerum, qui Tibi immortale donavit indumentum; in præsepio ponis infantilia membra, qui cælestem Tibi præparavit mensam.* Probabile præterea est eandem Virginem DEI Matrem per alia Materna obsequia DEO Homini præstita accepisse gratiam ex opere operato, ùt dum sub Cruce morientis Filii sui staret, dum sanguine è vulneribus Christi defluente perfunderetur, dum de Cruce depositum in suum suscepit sinum, dum sacra ejus vulnera exoscularetur. &c. His gratiis adjungendæ sunt; gratia in Die Pentecostes Virgini DEIparæ collata, gratia collata ex opere operato tam illi, quàm S. Josepho, ad illa verba Angeli: *Joseph noli timere accipere MARIAM conjugem tuam.* Vel in ipso contractu Matrimoniali, qui tamen propter defectum institutionis nondum habuit rationem Sacramenti propriè dicti novæ Legis. Tandem gratia collata per sacram Corporis ejus unctionem, quæ itidem defectu formæ non habuit rationem veri Sacramenti Novæ Legis. De quibus actum est Num. 178. 179. & 180.

# §. V.

## An Beata Virgo habuerit gratias gratis datas?

182. Præmitto. Gratias, hominibus conferri solitas, dividi in gratias gratum facientes, & in gratias gratis datas. Gratiæ gratum facientes sunt, quæ directè & principaliter ordinantur in commodum & utilitatem proprii subjecti. Quales v. g. gratiæ sunt: gratia habitualis, quæ in utilitatem & commodum ordinatur illius, cui confertur. Quia in sanctificationem ipsius, & ad præstandos effectus formales Filii DEI Hæredis Regni Cælestis, amici DEI &c. directè & principaliter ordinatur. Gratiæ itèm actuales excitantes, adjuvantes ad actus salutares, quæ itidem directè & principaliter ordinantur in commodum & utilitatem ejus, cui dantur. Is enim, qui tales gratias habet, per eas excitatur, movetur, adjuvatur ad sanctè, salutariter, & meritoriè operandum. Gratiæ gratis datæ illæ dicuntur, quæ principaliter, & directè dantur non in commodum, & utilitatem proprii subjecti, sed dantur in utilitatem & commodum aliorum, ac ipsius Ecclesiæ. Gratias gratis datas 9. numerat Apostolus 1. ad Cor. 12. dum dicit: *Alii per Spiritum Sanctum datur sermo Sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum, alteri Fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio Spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Hæ gratiæ è mente interpretum & Theologorum sic accipi debent: ut per *sermonem Sapientiæ* intelligatur donum speciale Spiritûs Sancti, explicandi, & proponendi aliis mysteria fidei per causas & rationes superiores, quales causæ sunt, principia fidei, & authoritates Scripturarum, Conciliorum, Sanctorum Patrum, definitiones summorum Pontificum, Traditiones Apostolorum &c. Per *Sermonem scientiæ*, intelligitur donum Spiritûs Sancti, explicandi, & proponendi mysteria fidei per causas & rationes inferiores, ut per similitudines, parabolas, exempla, per quas, & per quæ rudibus & simplicibus mysteria fidei traduntur credibilia. *Per fidem*, hôc locô aliqui intelligunt speciale donum fiduciæ firmæ in DEO, quòd non sit negaturus suum necessarium concursum ad facienda miracula in confirmationem veritatis Fidei, juxta illud Matth. 17. *Si habueritis fidem ùt granum synapis, dicetis monti huic* &c. Alii per fidem intelligunt notitiam eximiam mysteriorum fidei in ordine ad docendos alios. *Per gratiam sanitatum* intelligitur donum medendi tam morbis Spiritualibus animæ, quàm morbis corporis. *Per operationem vitutum*, intelligitur donum patrandi miracula. *Per Prophetiam*, intelligitur donum prædictionis futurorum, cognitionis & manifestationis rerum absentium & distantium absconditarum, & arcanorum cordis. *Per discretionem Spirituum* intelligitur donum dignoscendi, à quo Spiritu, bono, an malo immittantur quædam cogitationes, & voluntatis motiones. *Per genera linguarum*, intelligitur notitia plurium diversorum idiomatum, ex vi cujus aliquis potest variis linguis, quas non didicit, loqui, & ab aliis intelligi. *Per interpretationem sermonum* intelligitur donum intelligentiæ Scripturarum, & facilitas eas exponendi juxta verum & proprium sensum. Hôc præmissô

Quæritur in præsenti, an Beata Virgo habuerit prædictas gratias gratis datas? Affirmant Suarez, & quidam Alii.

183. Dicendum est, Beatam Virginem habuisse omnes & singulas enumeratas gratias gratis datas.

Probatur. Tum quia Beata Virgo fuit gratiâ plena. Ergo habuit non solùm gratias, quæ illam gratam DEO faciebant, sed etiam gratias gratis datas. Ad plenitudinem enim gratiæ spectat, ut nihil desit, nec desideretur in Beata Virgine, quod invenitur in aliis sanctis. Ut itèm, quod per partes aliis præstatur, totum sit collatum Virgini Beatæ. Quia spectat ad plenitudinis hujus perfectionem, ut Virgini Beatæ tota se infundat simul plenitudo gratiæ. Cùm ergo in aliis sanctis fuerint enumeratæ gratiæ gratis datæ, idque fuerint cum divisione earundem, juxta adductum Apostoli textum. In Beata Virgine debebant dari hæ ipsæ gratiæ omnes simul & conjunctæ. Tum quia Beata Virgo po-

potuit habere omnes gratias gratìs datas. Cum multæ illarum collatæ fuerint tot aliis ſanctis, idque ſanctis etiam Virginibus & fœminis. Decuit quoque: ut Beata Virgo haberet easdem gratias; cùm enim ipſa eſſet Mediatrix inter DEUM ſuum Filium, & inter homines, cùm eſſet Advocata noſtra, refugium peccatorum, cooperatrix noſtræ ſalutis, decebat, ut haberet omnes illas gratias, quæ ordinantur ad noſtram, & totius Eccleſiæ utilitatem, quales gratiæ ſunt enumeratæ gratiæ gratis datæ. Neque tales gratias Beatam Virginem habuiſſe repugnat Scripturæ, & Patribus. Ergo illas habuit. Nihil enim Filius negat Matri, quod illi poſſibile eſt, & quod illam decet. Tum quia Beata Virgo habuit *Sermonem Sapientiæ, & ſermonem ſcientiæ.* Fuit enim Magiſtra Eccleſiæ Chriſti, omnia quæcunque dicebantur à Chriſto, *conſervabat, & conferebat in corde ſuo*, ut poſteà referret fidelibus, eósque doceret. Habuit Virgo Beata *donum fidei*, idque ſive per fidem intelligatur firma fiducia in DEO, quòd in confirmationem Doctrinæ Fidei eſſet patraturus miraculum, quia hæc fides Beatæ Virginis facilè intelligitur ex illis ejus verbis in nuptiis Canæ Galilææ ad miniſtros dictis: *quodcunque dixerit vobis, facite.* Sive per fidem intelligatur plena notitia myſteriorum DEI ad docendos alios. Quis enim pleniorem notitiam myſteriorum DEI habere potuit, quàm illa, quæ Incarnatam DEI Sapientiâ uterô ſuô complexa eſt? Habuit Beata Virgo *gratiam ſanitatum*, ſeu donum medendi morbis tam Spiritualibus animæ, quàm morbis corporis. Ipſa enim eſt Medicina Chriſtiana, ipſa Joannem Baptiſtam in utero Matris exiſtentem à peccato originali, & morte animæ liberavit. Ad ejus vocem ſalutantis Eliſabeth infans in utero Matris exultavit. Habuit *operationem virtutum*, ſeu donum patrandi miracula; licèt enim in Evangelio nihil habeatur de miraculis factis à Beata Virgine, probabile tamen eſt, quod hæc patraverit & in Ægypto, & in Judæa, ac Galilæa poſt Aſcenſionem ſui Filii. Imò quod ſub cruce morientis Filii ſteterit, nec conſpectu acerbæ mortis ejus acta ſit in deliquium, fuit id magnum miraculum. Habuit præterea Beata Virgo *donum prophetiæ.* Prophetiſſam illam appellant SS. Ambroſius, Baſilius, Cyrillus, Gregorius Nazianzenus, &c. quos adducit eximius Doctor P. Suarez Tom. 2. in 3tiam partem Diſp. 20. Sect. 1. Hoc donum colligitur ex illis ejuſdem Virginis verbis: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Habuit *donum diſcretionis Spirituum.* Hoc donum ſingulariter enituit in annuntiatione Incarnationis Filii DEI, & in ſalutatione Angeli Gabrielis, in qua colloquium illud Beatæ Virginis cum Angelo clarè oſtendit Virginem Beatam habuiſſe magnam prudentiam, illáque uſam eſſe in dignoſcendis Spiritibus, idque habuit hoc donum etiam in dignoſcendis Spiritibus aliorum, cùm eſſet Magiſtra omnium, & diſcretio Spirituum deberetur ſummæ humilitati ipſius, ratione cujus debebant illi patere omnes doli, fraudes, & artes ſuperbi Diaboli. Hôc donô ſpecialiùs uſa eſſe Beata Virgo creditur poſt aſcenſionem Domini, & Spiritûs Sancti miſſionem. Habuit *donum linguarum*, eóque putatur uſa eſſe, dum Filius ejus poſt ſuam Nativitatem adoraretur à Magis, dum fugiens crudelitatem Herodis cum Filio ſuo, & Sponſo Sancto Joſeph maneret in Ægypto. Cùm poſt diviſionem Apoſtolorum in varias orbis partes Fideles ab ipſis converſi in diverſis Nationibus, ad illâ confluerent, ut ab ipſa magis inſtruerentur, & confirmarentur in fide. Habuit denique *donum interpretationis ſermonum.* Siquidem hoc neceſſarium ipſi fuit ad exercendum Magiſterium Eccleſiæ, & Chriſti Fidelium.

## Proponitur Objectio.

184. Objicitur, & probatur, quòd Beata Virgo non habuerit gratias gratìs datas. Tum quia S. Thomas in 3tia parte Quæſt. 27. art. 5. ad 3. negat B. Virginem habuiſſe uſum Sapientiæ, quantùm ad docendum. Dicit itèm, quòd uſus miraculorum ſibi non competeret, dum viveret. Quia tunc temporis confirmanda erat doctrina Chriſti miraculîs, & ideo ſoli Chriſto, & Diſcipulis ejus, qui erant bajuli Doctrinæ Chriſti, conveniebat miracula facere. Ergo Beata Virgo non habuit has gratias, cùm

 hæ

hæ conferantur in ordine ad uſum. Tum quia Beata Virgo neque habuit gratias gratis datas, quæ circa ſermonem verſantur, quales gratiæ ſunt, ſermo Sapientiæ, ſermo ſcientiæ, genera linguarum, interpretatio ſermonum &c. Neque habuit gratias ad operationem ſpectantes, quales gratiæ ſunt gratia ſanitatum, & operatio virtutum. Ergo. Antecedens probatur quò ad primam partem. Non habuit Beata Virgo gratias ad ſermonem ſpectantes, quia Beata Virgo aut illarum fuit incapax, aut uſum habere non potuit juxta prohibitionem illam Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. *Docere autem mulieri non permitto.* Doni etiam linguarum exercendi non poterat habere uſum, ſiquidem non erat peragratura orbem, ſicut Apoſtoli, nec prædicatura Evangelium diverſi idiomatis hominibus. Probatur deinde idem Antecedens quò ad ſecundam partem. Quòd Beata Virgo non habuit gratias ad operationem ſpectantes, nimirum gratiam ſanitatum, & operationem virtutum. Hæ enim gratiæ in uſu conſiſtunt. Atqui B. Virgo in hac vita mortali non habuit uſum conferendi ſanitatem, aut patrandi miracula, ùt docet citatus S. Thomas. Ergo. Tum quia non eſt explicabile, gratias gratis datas quo tempore acceperit Beata Virgo, an in ſua Conceptione, an in Conceptione VERBI Divini, eiúſque Incarnatione? an poſt Chriſti in Cælum aſcenſionem, in Spiritûs S. miſſione? Itèm, an dictas gratias accepetit ſimul, an ſeorſim, an ſucceſſivè? An & quando Beata Virgo his gratiis uſa ſit, maximè cùm in ſacra Scriptura nihil habeatur de miraculis Virginis; unde tamen deſumi deberet ſolida ratio, & fundamentum Doctrinæ cujusque Theologicæ. Atqui hæc deberent explicari. Ergo.

## Reſpondetur ad Objectionem.

185. Objectionis aſſumptum Nego. Ad primam probationem Dico. S. Thomam non negâſſe ſimpliciter in B. Virgine gratias gratis datas, ſed ſolùm negâſſe aliquos uſus quarundam gratiarum gratis datarum. Dicit enim expreſsè S. Doctor locô citatô. *Non eſt dubitandum, quin Beata Virgo acceperit excellenter donum Sapientiæ, & gratiam virtutum, & etiam gratiam Prophetiæ, non tamen accepit, ut haberet omnes uſus harum, & ſimilium gratiarum.* Ad ea, quæ in Sancto Thoma adducuntur, Reſpondeo. Mentem S. Doctoris explicando. Et dico, quòd Beata Virgo non habuerit uſum Sapientiæ, quantùm ad docendum publicè, non habuit itèm uſum Sapientiæ ante prædicationem Evangelii ab ipſo Chriſto. Poſt prædicatum tamen à Chriſto Evangelium, & conſummatum opus Redemptionis noſtræ habuit uſum doni Sapientiæ ad docendum privatim, & ad inſtruendos fideles in his, in quibus ad ipſam recurrebatur. Tum quia S. Thomas non negat omnes uſus harum gratiarum, ſed ſolùm aliquos. Tum quia S. Doctor docet, quòd Beata Virgo habuerit uſum prophetiæ, ùt patet in Cantico, quod fecit. *Magnificat anima mea Dominum.* Cum ergo in eodem cantico leguntur multæ doctrinæ valdè ſublimes, & ad fidem ſpectantes, uſa quoque eſt donô Sapientiæ. Tum quia B. Virgo non fruſtra *in corde ſuo conſervabat, & conferebat omnia verba*, quæ ſive à Chriſto, ſive de Chriſto ab aliis dicebantur. Sed hæc conſervabat, & conferebat in commodum, & utilitatem Eccleſiæ, ut ea, quæ fiebant circa Chriſti Incarnationem, Nativitatem, adorationem Chriſti à Paſtoribus & Magis, & aliaFidei noſtræ myſteria opportuno tempore Fidelibus communicaret, eóſque de ſingulis edoceret. Quantum ad virtutem patrativam miraculorum, Dico. Ab hujus virtutis uſu abſtinuit Virgo Beata, dum inter mortales viveret Chriſtus. Tum quòd ex ſumma ſua humilitate nollet illâ uti. Tum quòd vellet ad Chriſtum ſuum Filium ab omnibus recurri, ut ad ipſum omnes converterentur, & doctrinæ Chriſti per illum ipſum, & per Diſcipulos ejus propoſitæ, quæ miraculis confirmabatur, intenderetur. Pium tamen, & probabile eſt dicere, quòd Beata Virgo poſt Filii ſui mortem, Aſcenſionem, ac Spiritûs Sancti Miſſionem uſa ſit dicta virtute, & aliqua miracula patraverit, tum ut miraculis à ſe factis probaret ſe eſſe veram DEI Matrem, tum ut veritatem DoctrinæFilii ſui, & Fidem in ipſum confirmaret. Tum ut Matrem piiſſimam & miſericordiſſimam, quæ à Filio commendatum ſibi habebat affectum maternum erga genus huma-

humanum testaretur. Tum denique, ut precibus fidelium ad se, tanquam ad Matrem veri Messiæ, recurrentium satisfaceret.

186. Secundæ Probationis Nego Antecedens quò ad utramque partem. Ad probationem primæ partis Antecedentis Dico: Beatissimam & fuisse capacem, & potuisse habere usum gratiarum ad sermonem spectantium, cùm esset Magistra Ecclesiæ, & Fidelium. Prohibitione illa Apostoli: *Docere autem Mulieri non permitto*, Virgo DEIpara con comprehendebatur, neque enim lege inferioris superior comprehenditur. Deinde prohibitio illa taliter est intelligenda: quòd mulier publicè ex professo, & officio, & communiter quoscunque docere prohibeatur. Docere tamen privatim modô diversô à docendo, quô Apostoli & Prædicatores Euangelii docuerunt, non prohibentur universaliter quæcunque fœminæ. Nam Matres possunt, & tenentur docere Filios suos parvulos rudimenta Fidei. Porrò Virgo B. fuit Mater omnium credentium. Hi post susceptum recenter Baptismum fuerunt tanquam modò geniti infantes lac concupiscentes. Ergo si non tenebatur Mater DEI, saltèm conveniens fuit, ipsámque decebat, ut fideles primitivæ Ecclesiæ, in rebus Fidei, seu ad Fidem spectantibus instrueret. Probationis secundæ partis Antecedentis Major illa, quòd gratiæ ad operationem spectantes, quales gratiæ sunt, gratia sanitatum, & operatio virtutum, in usu præcisè consistunt. Hæc, inquam, Major inprimis est falsa, & Sancto Thomæ repugnans. Licèt enim hæ gratiæ ordinentur ad usum, non sunt tamen ipse usus. Sed potiùs dictæ gratiæ habent se per modum habitûs, & qualitatis permanentis, quæ sit quædam potentia, seu potestas & virtus collativa sanitatis, & patrativa miraculorum. Certè si gratiæ illæ sunt usus, sunt utique usus alicujus potestatis. Ergo datur, & dari debet potestas distincta, cujus hæ gratiæ sint usus. Quòd si dari debet potestas & virtus collativa sanitatis, & patrativa miraculorum, quare hæc potestas non erit gratia gratis data? Minor etiam probationis hujus partis est falsa, & negabilis juxta dicta numero immediatè præcedente.

187. Tertiæ Probationis Nego Majorem, & Dico. Explicabilia esse illa omnia, quæ in objectione negantur esse explicabilia. Nam inprimis videtur dicendum, quòd B. Virgo in sua statim immaculata Conceptione accepit omnes gratias gratis datas. Decuit enim ab initio statim suæ creationis, his gratiis ornari Sanctissimam Beatæ Virginis Animam. Hæ ipsæ gratiæ pleniùs & perfectiùs datæ sunt DEIparæ in Incarnatione VERBI Divini, post quam proximè B. Virgo usa est donô Prophetiæ in suo Cantico: *Magnificat anima mea Dominum*, per illa verba: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Imò in eodem Cantico usa est etiam donô Sermonis Sapientiæ. In hoc enim Cantico continentur plures Fidei doctrinæ. Plenissimè verò auctas easdem gratias accepit B. Virgo in Spiritûs S. Missione, quo tempore etiam aliis Sanctis Apostolis similia dona in dispertitis linguis collata fuerunt. Et post hanc Spiritûs Sancti Missionem B. Virgo frequentiùs usa est prædictis gratiis. Secundum etiam est explicabile. An B. Virgo simul, an successivè acceperit gratias gratis datas? nimirum videtur dicendum: Illas quò ad potestatem & habitum accepisse omnes simul, licèt non sit illis usa simul, sed usa est iisdem pro occurrentia, & exigentia circumstantiarum, ac pro sua libertate & placito. Ut verò illas, quò ad potestatem acciperet simul, pertinebat id ad excellentiam Virginis. Circa tertium, nimirum circa usum Beatæ Virginis gratiis gratis datis, sufficienter dictum est. Nimirum quibusdam gratiis B. Virgo usa est citiùs, quibusdam tardiùs, ùt donô prophetiæ usa est in salutatione B. Elisabeth. Donô miraculorum usa est tardiùs. Quibusdam gratiis usa est sæpiùs, aliis rariùs & parciùs, tum propter inæqualem occurrentiam circumstantiarum, tum ex aliis sibi visis rationibus. Ad illud, quod additur: In Sacra Scriptura nihil habetur clarè de miraculis B. Virginis. Respondeo. Exinde hoc ad summum inferri posse. Non debere credi Fide Divina, nec esse de fide, quòd B. Virgo in vita sua fecerit aliqua miracula; non inferri verò, quòd piè, probabiliter, & Theologicè non possit asseri B. Virginem in vita sua fecisse aliqua mi-

miracula. Ad id enim probabiliter Theologicè asserendum, non est necesse, ut id clarè per Scripturam asseratur, sed satis est, quòd id per discursum Theologicum deducatur, seu, quòd inferatur ex præmissis, una Fidei, altera probabili Theologica. Conclusio enim ex talibus præmissis illata, est assertio probabilis Theologica. Porrò B. Virginem in vita sua fecisse aliqua miracula, infertur per hujusmodi discursum, & ex præmissis una Fidei, altera probabili Theologica. Nimirum infertur per sequentes discursus. Primum: B. Virgo fuit verè & propriè Mater DEI, fuit itèm Mater omnium Credentium, sibi in Joanne in Filios à Christo commendatorum. Sed talem Matrem decuit, ut faceret miracula, & per illa succurreret hominum credentium, tanquam suorum filiorum miseriis, & indigentiis, & ut illos in fide miraculis confirmaret. Ergo Beatam Virginem decuit, ut faceret miracula. Secundus discursus est. Illud Ecclesiast. 24. *In me gratia omnis viæ, & veritatis; in me omnis spes vitæ, & virtutis*, de B. Virgine intelligitur, & verificatur. Ad hanc ergo gratiam recurrebant fideles, in eàque spem reponebant vitæ, & virtutis, nec tali spe frustrabantur. Ergo Beata Virgo faciebat miracula.

Addidi, ex hoc, quòd in Scriptura non habeatur clarè, quòd B. Virgo fecerit aliqua miracula in vita sua, ad summum inferri, non esse id de Fide Divina, nec debere credi Fide Divina. Dicendum enim est, etiam hoc exinde non debere inferri; cùm non sit unicum principium, & unica ratio credendi aliquid esse de Fide Divina, quòd id clarè per Scripturam Sacram asseratur. Sed sint plura principia, & rationes credendi aliquid Fide Divina, nimirum talia principia sunt, & ipsa Scriptura etiam minùs clarè asserens, si in hoc sensu intelligatur ab Ecclesia. Traditiones Apostolorum, Definitiones legitimorum Conciliorum, Definitiones Summorum Pontificum, communis & universalis Fidelium sensus, & consensus, &c. Quare potest aliquid credi Fide Divina, etiamsi non asseratur clarè in Scriptura, si id habeatur ex Traditione Apostolorum ab omnibus recepta, vel si definitum sit in aliquo legitimo Concilio, vel definitum à Summo totius Ecclesiæ Pontifice &c. Addo illationem affirmativam sequentem: Hoc & hoc in Scripturis clarè & expressè asseritur, ipsæque Scripturæ in hoc sensu intelliguntur ab Ecclesia. Ergo hoc ipsum Fide Divina credendum est. Hanc, inquam, illationem esse legitimam & veram. Sequentem tamen illationem negativam: Hoc & hoc non asseritur clarè & expresè in Scripturis. Ergo non potest credi Fide Divina. Non est recta, nec legitima illatio.

# PUNCTUM II.

## De Scientia Virginis Beatæ.

De hac Scientia, sequentia inquiremus. Primò. An Beata Virgo habuerit scientiam beatam? Secundò. An habuerit scientiam infusam? Tertiò. An habuerit scientiam acquisitam, & quomodo in hac scientia creverit? Quartò. An B. Virgo habuerit alicujus rei ignorantiam?

## §. I.

### An Beata Virgo in hac vita habuerit scientiam beatam?

Per scientiam beatam intelligitur in præsenti Visio clara, & intuitiva DEI. Unde quærere: An B. Virgo in hac vita habuerit scientiam beatam? est quærere: An B. Virgo in hac vita mortali habuerit claram, & intuitivam Visionem DEI? Hujus quæstionis resolutionem insinuavi in Tractatu de DEO Uno & Trino, Disp. 3. Num. 56. Conformiter ad dicta locô citatô

188. Dicendum est, Beatam Virginem in hac vita mortali identidem, & ad breve tempus habuisse scientiam beatam, seu visionem intuitivam DEI.

Probatur. Ex una parte, B. Virgo in hac vita mortali potuit per speciale privilegium DEI habere ad breve tempus, & identidem scientiam beatam, seu visionem intuitivam DEI. Ex altera parte decuit, ut Beata Virgo haberet dictô modô hujusmodi scientiam. Nec talis scientiæ admissio repugnat

Doctrinæ Ecclesiæ. Ergo B. Virgo in hac vita mortali habuit identidem, & ad breve tempus, scientiam beatam, seu visionem intuitivam DEI.

Prima pars Antecedentis probatur. Tum quia nulla apparet ratio repugnantiæ in eo, si Beatæ Virgini concessa fuisset identidem & ad breve tempus scientia beata, seu visio intuitiva DEI. Quæ enim est illa ratio repugnantiæ? Ergo. Tum quia si quid obesset, quò minùs B. Virgo ad breve tempus posset habere scientiam beatam, obesset status viæ, seu, quòd B. Virgo, dum inter mortales viveret, fuerit in statu viæ & meriti. Sed hic status non obest. Potest enim status viæ & meriti componi cum scientia beata; defacto enim in Christo Domino scientia beata, eáque continua, componebatur cum statu viæ, & meriti. Cùm enim Christus viveret inter mortales toto vitæ suæ tempore habuit visionem intuitivam DEI, simúlque eo ipso tempore satisfecit pro peccatis nostris, meruítque nobis omnia dona gratiæ & gloriæ. Ergo à fortiori visio intuitiva DEI ad breve tempus concessa, potest componi cum statu viæ, & meriti. Certè B. Virgo etiamsi non merebatur per actum illum amoris DEI, qui necessariò sequebatur ad positionem visionis intuitivæ DEI, tamen potuit mereri, & merebatur per alios virtutum actus, qui ab ipsa ponebantur ex directione alicujus alterius scientiæ, v. g. scientiæ infusæ, vel habitûs Fidei, &c. Deinde B. Virgo cùm visionem beatam identidem nonnisi & ad breve tempus habuerit, in sensu diviso visionis beatæ, non solùm per alios virtutum actus, sed etiam per actum amoris DEI, tunc elicitum merebatur. Tum quia, si quid adhuc obesset, nè B. Virgo in vita sua haberet visionem intuitivam DEI, obesset lex illa universalis Exod. 33. *Non videbit me homo, & vivet.* Obessent item illæ universales propositiones Scripturæ, Joan. 3. *DEUM nemo vidit unquam.* Et 1. ad Timot. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Atqui hæc non obsunt. Beata enim Virgo non comprehenditur lege universali, nec propositionibus universalibus negantibus dona aliqua in homine, ad sanctificationem Animæ spectantia; verùm hæ leges, & propositiones accipi debent cum exceptione Matris DEI gloriosæ. Cùm ergo donum visionis intuitivæ etiam ad breve tempus concessum, sit donum pertinens ad propriam Beatæ Virginis sanctificationem; Leges & Scripturæ universales negantes hoc donum in homine, accipi debent cum exceptione Beatæ Virginis, seu ità, ut B. Virgo his legibus & propositionibus universalibus non comprehendatur. Adeoque his Scripturis non obstantibus B. Virgo in hac vita mortali potuit habere saltèm ad breve tempus scientiam beatam, seu visionem intuitivam DEI.

189. Secunda pars Antecedentis, nimirum, quòd decebat, ut B. Virgo haberet saltèm ad breve tempus scientiam beatam, seu visionem intuitivam DEI, probatur. Tum quia decebat, ut Mater DEI gloriosissima videret intuitivè suum Filium, non solùm quò ad naturam humanam, quam de ipsa sumpserat, sed etiam quò ad Personam VERBI, & Naturam Divinam. Si enim alii Sancti in hac vita habuerunt ardens desiderium videndi DEUM, si cum Paulo cupiebant etiam *dissolvi, & esse cum Christo.* Si Moyses postulavit à DEO: *Si inveni gratiam in conspectu Tuo, ostende mihi faciem Tuam, ut sciam Te.* Exod. 33. Si S. Philippus Apostolus ausus fuit postulare: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*: quantò magis decebat Virginem, habere ardens desiderium videndi DEUM, quem in carne humana genuerat. Nec dubium esse debet non fraudatam esse suô desideriô, sed audivisse illud à Filio: *Pete Mater, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Sed Filius Matris suæ amantissimus explevit hujusmodi desiderium Matris suæ, ac visionem Essentiæ, & Personarum Divinarum intuitivam, saltèm ad breve tempus concessit eidem. Id enim ut faceret, decebat illum ipsum. Tum quia illa dona & privilegia decebant Beatam Virginem, quæ conferebant ad Virginis summam sanctitatem. Sed visio intuitiva DEI, in hac adhuc vita, Virgini DEIparæ ad breve tempus concessa, conferebat ad summam ejusdem Virginis sanctitatem; non solùm enim Sanctissimam Animam Beatæ Virginis uniebat intentionaliter perfectissimè DEO, & ipsam singulari Amo-

re DEI & charitate inflammabat, sed etiam transactâ Visionis memoriâ, & reminiscentiâ habitâ visionis, B. Virgo excitabatur ad ardentem in DEUM affectum, ejúsque amorem, ac intimam cum ipso familiaritatem. Ergo. Tum quia Virgo B. sicut dignitate & excellentiâ Maternitatis DEI superabat omnes alias puras creaturas, hac ipsa dignitate carentes, itâ decuit, ut superaret privilegiis sibi concessis, quæcunque privilegia aliis puris creaturis aliquando concessa. Ergo decuit, ut haberet privilegium visionis beatæ ad breve tempus sibi concessæ: quod itâ rarum est, ut præcipui Theologi putent nulli alteri puræ creaturæ concessum esse. Decuit insuper, ut per tale privilegium B. Virgo esset aliquatenus similis Filio suo Christo, qui ex ratione Filii DEI Naturalis habebat continuam & permanenter sibi concessam visionem intuitivam DEI, útque etiam ipsa ad breve saltèm tempus haberet visionem intuitivam DEI.

190. Tertia pars Antecedentis, nimirum, quòd scientiæ beatæ admissio in B. Virgine non repugnet Doctrinæ Ecclesiæ, probatur. Tū quia hæc nullibi, & nusquā expresè docet B. Virginem caruisse in vita sua visione intuitiva DEI, ac scientiâ beatâ. Nec propositionibus illis universalibus negantibus visionem in hominibus mortalibus, intendit comprehendere Beatam Virginem, nec sentit comprehendi debere, cùm potiùs velit, ut de Sanctissima DEI Matre quàm gloriosissimè & honorificentissimè sentiatur. Tum quia illi Patres & Theologi, qui putant Moysi concessam fuisse visionem intuitivam DEI, ad breve tempus, quando *cum DEO facie ad faciem loquebatur*; qui itèm censent S. Paulum Apostolum *in raptu ad tertium Cælum, in quo audivit arcana verba, &c.* habuisse ad breve tempus visionem intuitivam DEI. Hi, inquam, Patres censent id à fortiori sentiendum esse de Beata Virgine. De qua S. Thomas 3. part. Quæst. 27. Artic. 1. in ☉. dicit, quòd *majora præ omnibus aliis, privilegia gratiæ acceperit.* Tum quia etiam illi Sancti Patres & Theologi, qui Privilegium visionis intuitivæ negant in hac vita fuisse concessum sive Moysi, sive S. Paulo Apostolo, sive cuiquam alteri puro homini, censent nihilominùs dictum privilegium concessum fuisse Beatæ Virgini. Itâ sentit S. Cyprianus serm. de Nativit. his verbis: *Unde & Matri plenitudo gratiæ, & Virgini abundantior gloria debebatur, quæ carnis & mentis integritate insignis, spirituali & corporali, intus & extra, Christi præsentiâ fruebatur.* Sanctus itèm Bernardus homil. 4. Super *Missus est* sic habet: *Illi soli* (id est Virgini) *datum est nôsse, cui datum est experiri, ut qui soli Patri notus est, sic & illi.* Præter alios Patres & Theologos, Albertus Magnus id ipsum sentire videtur, in suo Mariali duplicem Beatæ Virgini tribuens rerum cognitionem, unam dictam Matutinam, per quam Theologi S. Augustinum secuti, intelligunt visionem intuitivam, dum per illam res creatæ cognoscuntur in VERBO. Alteram cognitionem vespertinam, per quam videntur creaturæ extra VERBUM, in se ipsis, hoc est per aliam cognitionem diversam à cognitione intuitiva DEI cognoscuntur. Ergo.

191. Addidi in Conclusione, quòd B. Virgo in hac vita mortali ad breve tempus habuerit visionem beatam. Etiamsi enim conveniebat, & decebat, ut B. Virgo haberet aliquando sibi concessam visionem beatam, tamen non debuit habere continuam hujusmodi visionem. Tum ut differret à Christo, qui in sua inter mortales vita habuit visionem continuam, utpote sibi tanquam Filio DEI Naturali debitam. Tum quia B. Virgo in hac vita mortali solùm habuit statum viæ & meriti, non verò statum comprehensionis, solique Christo id proprium fuit, ut esset simul Viator, & Comprehensor. Tum quia decuit, ut B. Virgo per præcipuos suæ voluntatis actus mereretur, & per talia merita augeret gratiam suam & gloriam; non mereretur autem per actus suos præcipuos, si haberet continuam visionem DEI. Quia non mereretur per actus charitatis, nec per actus præceptos sub gravi obligatione; utrique enim hi actus non essent meritorii, quia non essent liberi, sed necessarii. Neque etiam conveniebat, ut Virgini Beatæ visio intuitiva ad longum tempus concederetur. Quia per visionem longo tempore durantem minuerentur merita Beatæ Virginis; longiori enim illo tempore, quô visio duraret,

Beata Virgo non posset mereri per actus charitatis, nec per actus præceptos, utpote per actus necessarios.

Addidi iterum, quòd Beata Virgo habuerit visionem identidem, hoc est, non semel, nec una nonnisi vice, sed aliquoties concessam. Hanc visionem habuisse Virginem Beatam in Incarnatione Filii DEI, censent plures Theologi, & putant cum plenitudine gratiæ, datam fuisse Beatæ Virgini visionem intuitivam DEI. Cùm enim Beata Virgo de Mysterio Incarnationis vellet plenius edoceri ab Angelo per illa verba: *Quomodo fiet istud?* pium est credere datam tunc fuisse Virgini Beatæ intuitivam visionem DEI, per illámque cognovisse claré & ipsius DEI Essentiam, & Personarum Divinarum Trinitatem, & Mysterii Incarnationis sublimitatem. Eandem visionem putant aliqui Beatam Virginem habuisse in Christi Nativitate, dum Christus natus salutaretur à pastoribus, annunciaretur ab Angelo, adoraretur à Magis. Censent itèm non nulli B. Virginem habuisse visionem intuitivam DEI, dum post Resurrectionem suam Christus se illi manifestavit, tunc per mortem Christi reseratô Cælô, ex meritis ejusdem Christi, Beatæ Virgini conspiciendam se dedit DEI Essentia, & sanctissima Personarum Trinitas. Probabile etiam est Beatam Virginem in ascensione Domini, & Spiritûs Sancti Missione, habuisse visionem intuitivam DEI, ac etiã, ùt ait Suarez aliis opportunis temporibus juxta Divinæ Sapientiæ dispositionem. Nec desunt Theologi, qui existimant Beatam Virginem in primo statim imaculatæ suæ Conceptionis instanti, habuisse visionem intuitivam DEI.

## Proponitur Objectio.

192. Objicitur, & Probatur Beatam Virginem non habuisse in hac vita etiam ad breve tempus visionem intuitivam DEI, seu scientiam beatam. Tum quia S. Athanasius Serm. de Sanctissima DEIpara, Negat Beatam Virginem per visionem intuitivam DEI, in die Incarnationis, vidisse VERBUM Divinum, & Mysterium Incarnationis, prout est in se. Id ipsum universaliùs negat de toto vitæ tempore, in Quæst. ad Antiochum Quæst. 12. Ergo. Tum quia, si Beata Virgo habuisset in hac vita visionem intuitivam DEI, per illam constituta fuisset in statu Beatitudinis, & in statu comprehensionis, adeoque Beata Virgo post visionem semel habitam, non posset quidquam sibi mereri. Sed potuit mereri, & defactô totâ vitâ merebatur augmentum gratiæ propriæ; Ergo. Confirmatur. Visio intuitiva semel alicui concessa, non potest augeri, & crescere, sed, quæ Beatæ Virgini concessa fuit, potuit augeri, & crescere; cùm enim post talis visionis concessionem potuerint poni alia & alia nova merita, per illa potuit augeri gloria Beatæ Virginis, adeoque propter aucta merita potuit crescere, & conferri perfectior visio. Ergo. Tum quia si Beata Virgo in hac vita habuisset visionem intuitivam DEI, debuisset habere principia productiva talis visionis, sive in ratione potentiæ, sive in ratione objecti; cum implicet visionem dari sinè principiis ipsius productivis, seu sinè sufficientia adæquata effectiva & objectiva sibi ad esse. Sed B. Virgo in hac vita non habuit talia principia, quia non habuit lumen gloriæ, & speciem impressam propriam DEI. Hæc enim non possunt stare cum habitu infuso Fidei, quem Beata Virgo totâ vitâ suâ habuit, & actibus Fidei ab hoc habitu causatis dirigebatur in ponendis suis meritis. Ergo. Confirmatur. Lumen gloriæ semel collatum non est amissibile, cùm sit qualitas permanens. Sed deberet esse amissibile, deberet enim amitti transacta visione. Ergo. Tum quia illa visio intuitiva in vita collata Beatæ Virgini & fuisset concessa ad breve tempus, & non fuisset taliter concessa; fuisset, ùt asseritur; non fuisset, quia debuisset esse perpetua, cùm perpetuitas sit proprietas visionis, imò sit etiam objectum partiale ejusdem; hæc enim debet se reflectere supra suam perpetuitatem. Atqui implicat visionem in hac vita collatam Beatæ Virgini fuisse ab breve tempus concessam, & simul non fuisse talem, Ergo. Confirmatur. Visio, quæ ad breve tempus concederetur B. Virgini, non posset ab ea auferri sinè aliqua Virginis violentia, ejúsque positiva renitentia. Sed hæ in B. Virgine admitti non debent, cùm ipsam dedece-

ant. Tum quia non decebat, ut in B. Virgine interrumperetur actus charitatis meritorius; cùm hoc cedat in gloriam, & honorem Virginis, quòd illa per actum charitatis continuò, & absque ulla interruptione mereretur ſibi gratiam, & gloriam. Atqui ſi Beata Virgo ad breve tempus viſionem intuitivam DEI haberet, interruptus in ea fuiſſet actus meritorius charitatis; hic enim non eſſet tunc meritorius, quando haberetur viſio, quia non eſſet liber, ſed neceſſarius. Ergo. Tum quia Beatæ Virgini in hac vita mortali etiam ad breve tempus non fuit conceſſa gloria extrinſeca corporis, quam corpora Sanctorum habitura ſunt in Cælis. Ergo nec fuit illi conceſſa ad breve tempus viſio intuitiva DEI.

## Reſpondetur ad Objectionem.

193. Aſſumptum objectionis Nego. Primæ probationis omiſſo Antecedente Nego Conſequentiam, & Dico. Cùm alii SS. Patres doceant oppoſitum, nimirum, quòd Beata Virgo in hac vita habuerit ad breve tempus viſionem intuitivam DEI, præſertim verò habuerit illam in die Incarnationis Filii DEI, ùt dictum eſt num. 191. hanc potiùs ſententiam amplectendam eſſe judicavi, & non contrariam S. Athanaſii. Cùm poſterius teſtimonium P. Suarez incertum eſſe putet.

194. Secundæ probationis Sequelam Nego. Et Dico. Beatam Virginem, per viſionem intuitivam DEI ſibi ad breve tempus conceſſam, non fuiſſe conſtitutam in ſtatu Beatitudinis, & in ſtatu comprehenſionis. Ad talem enim ſtatum requiritur viſio perpetua data in hæreditatem, ſive in retributionem, & præmium meritorum, permodum mercedis, & coronæ. Non ſufficit verò ad ſtatum comprehenſionis, & Beatitudinis viſio ad breve tempus per ſpeciale privilegium, nec in retributionem meritorum totius vitæ conceſſa. Dico ulterius, quod etiamſi is, qui viſionem intuitivam accipit perpetuam tanquam hæreditatem ſibi debitam, ſive per modum præmii & retributionis pro meritis, non poſſit (intellige ſecundùm legem ordinariam) augmentum propriæ gratiæ & gloriæ mereri, poſſit tamen is mereri, qui ad breve tempus accipit viſionem beatam, accipit, inquam, per privilegium ſpeciale & nec dum in præmium, & retributionem ſuorum meritorum.

Confirmationis Majorem Diſtinguo. Viſio conceſſa cuipiam in perpetuum, & in æternam retributionem Meritorum, non poteſt augeri, & creſcere. Concedo Majorem. Viſio data ad breve tempus, & per ſpeciale privilegium non poteſt augeri, & creſcere. Nego Majorem. Et Diſtinguo ſimiliter Minorem. Sed viſio Beatæ Virgini in vita ejus collata, potuit augeri, & creſcere, quæ tamen non fuit illi data in perpetuum, nec in retributionem meritorum morte conſummatorum. Concedo Minorem. Et hæc viſio data fuit Beatæ Virgini in perpetuum, & in retributionem ſuorum meritorum, morte conſummatorum. Nego Minorem, & Conſequentiam.

195. Tertiæ probationis Nego Minorem. Ulteriorem probationem Diſtinguo. Beata Virgo in hac vita non habuit lumen gloriæ, nec ſpeciem impreſſam propriam DEI, nec ullum principium lumini, & ſpeciei impreſſæ æquivalens, eorùmque influxum ſupplens. Nego probationem. Non habuit lumen gloriæ, nec ſpeciem impreſſam propriam DEI, habuit tamen principium aliud illis æquivalens, & influxum ipſorum in viſionem ſupplens. Concedo probationem, & Nego Conſequentiã. Ac Dico. Ut Beata Virgo dicatur habuiſſe in vita viſionem intuitivam DEI, non eſt neceſſe indiſpenſabiliter, ut habuerit lumen gloriæ, & ſpeciem impreſſam propriam DEI. Sed viſionem hanc habere potuit ſinè lumine gloriæ, & ſpecie impreſſa, defectum luminis & ſpeciei ſupplente aliò principiò v. g. omnipotentia DEI extrinſecè aſſiſtente, & ſuo influxu in viſionem, ſupplente concurſum in ratione potentiæ, & objecti duorum illorum principiorum, luminis gloriæ, & ſpeciei impreſſæ. Dici etiam poteſt Beatam Virginem non habuiſſe in hac vita lumen gloriæ, & ſpeciem impreſſam propriam DEI, per modum formæ immanentis; habuiſſe verò per modum paſſionis cujuſdam tranſeuntis, quale lumen ad viſionem intuitivam DEI ſufficere docet S. Thomas,

2da 2dæ Quæſt. 175. art. 3. ad 2dum. Id, quod ultimò additur: Lumen gloriæ non poteſt ſtare cum habitu Fidei. Diſtinguo. Lumen gloriæ conceſſum per modum formæ permanentis, & in ordine ad viſionem perpetuam, ac æternam, non poteſt ſtare, & componi cum habitu Fidei. Omitto ſic limitatum additum. Lumen gloriæ conceſſum per modum paſſionis, & qualitatis transeuntis, vel in ordine ad viſionem per breve tempus duraturam, non poteſt ſtare & componi cum habitu infuſo Fidei. Nego taliter intellectum additum.

Confirmationem Diſtinguo. Lumen gloriæ ſtrictè ſumptum, ſemel collatum non eſt amiſſibile. Omitto Majorem. Nam dici poteſt, quòd etiam tale lumen collatum per ordinem ad viſionem brevi tempore duraturam, ſit amiſſibile. Lumen gloriæ latiùs ſumptum, hoc eſt ſumptum pro qualitate transeunte intrinſeca, vel pro concurſu Omnipotentiæ Divinæ, ſupplente influxum luminis ſtrictè ſumpti, non eſt amiſſibile. Nego Confirmationis Majorem, & conceſſa, vel omiſſa Minore, Diſtinguo conſequens.

196. Quartæ Probationis Nego Sequelam cum ſua ulteriori probatione, nimirum Nego, quòd viſio intuitiva DEI, Beatæ Virgini in vita ipſius conceſſa, deberet eſſe perpetua. Nego ulteriùs perpetuitatem eſſe proprietatem cujusvis viſionis; ſed ſolùm eſt proprietas viſionis illius, quæ confertur per modum hæreditatis, vel in retributionem meritorum morte conſummatorum. Nego itèm perpetuitatem viſionis eſſe partiale objectum cujusvis viſionis; ſed ad ſummum eſt objectum viſionis illius, cui perpetuitas convenire debet.

Confirmationis Nego Majorem. Licèt enim ablatio doni debiti ſit cum aliqua illius violentia, cui aufertur donum, tamen ablatio doni purè gratuiti, & omnino indebiti, non eſt cum violentia illius, cui tale donum aufertur. Porro viſio intuitiva DEI, Beatæ Virgini in vita illius ad breve tempus collata, eſſet donum purè gratuitum, & omnino indebitum. Quare ablatio talis viſionis non eſſet cum violentia ejusdem Virginis. Auferretur etiam eadem viſio, aut potiùs non concederetur ulterior, nulla facta renitentia voluntatis Beatæ Virginis: hæc enim perfectiſſimè conformabatur voluntati DEI, & in ea plenè conquieſcebat.

197. Quintæ Probationis Diſtinguo inprimis Majorem. Non decebat, ut in Beata Virgine interrumperetur actus charitatis meritorius, per actum Charitatis non meritorium. Nego Majorem. Non decebat, ut in Beata Virgine interrumperetur actus charitatis meritorius per carentiam, & negationem omnis actûs charitatis tam meritorii, quàm non meritorii: Concedo Majorem. Similiter diſtincta Minore. Nego Conſequentiam, & Dico. In ſuppoſitione, in qua Beata Virgo in hac vita ad breve tempus habuiſſet viſionem intuitivam DEI, interruptus fuiſſet actus charitatis meritorius, ſed interruptus fuiſſet per actum charitatis non meritorium; ille enim actus charitatis, qui eliceretur à Beata Virgine habente viſionem, non eſſet meritorius, quia non eſſet liber, ſiquidem talis actus neceſſariò conſequeretur viſionem intuitivam DEI. Non interrumperetur verò per negationem omnis actûs charitatis tam liberi, quàm neceſſarii. Siquidem Beata Virgo haberet ſemper aliquem actum charitatis. Habendo viſionem intuitivam haberet actum charitatis non meritorium. Ante habitam viſionem, & poſt illam transactam haberet actum charitatis meritorium. Nec id minimè dedecebat Beatam Virginem, quòd aliquando, licèt ad breve tempus, actus illius charitatis non fuerit meritorius. Defectus enim meriti in actu charitatis, quem habuit in ſenſu compoſito viſionis, abundè compenſabatur per intenſiorem, & ardentiorem actum charitatis, qualem deinde habuit transacta viſione. Ad talem ſiquidem excitabatur Beata Virgo memoriâ, & reminiſcentiâ habitæ viſionis intuitivæ DEI. Omiſſa deinde Majore, poteſt negari Minor hujus probationis, poteſtque dici: Per illud tempus, quo B. Virgo habuit viſionem intuitivam DEI, fuiſſe in ipſa duplicem actum charitatis DEI, unum neceſſarium, qui conſequebatur infallibiliter viſionem intuitivam DEI, alterum actum charitatis liberum, & meritorium, qui ponebatur ex dire-

ctione scientiæ infusæ, vel alterius habitûs intellectualis, cùm tales actus conjungi & componi nec repugnet Virgini, nec conjuncti ipsam dedeceant.

198. Sextæ Probationis potest inprimis negari Antecedens. Potéstque dici Beatæ Virgini in hac vita mortali ad breve tempus concessam fuisse etiam gloriam extrinsecam corporis. Tum quia perfectiones, & privilegia, quæ puræ creaturæ aliquando concessa sunt, non sunt neganda Virgini DEIparæ. Hæc enim secundùm Doctrinam Sancti Thomæ 3. part. Quæst. 27. art. 1. in ☉ *Majora privilegia accepit præ omnibus aliis.* Sed gloria extrinseca corporis est perfectio ad breve tempus concessa aliquibus puris creaturis, v. g. S. Paulo, cùm ad tertium Cælum raptus fuisset. Concessa est Sanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua in lectionibus S. Marthæ legit Ecclesia, *quòd per 30. annos, quibus ab omni hominum consuetudine vixit separata, quotidie per id tempus ad audiendas Cælestium laudes, in altum ab Angelis elata fuerit.* Concessa itèm fuit S. Martinæ Virgini Martyri, de qua in lectionibus Festi ipsius legitur, *quòd sub tempus suæ passionis, ex ejus vulneribus splendor nitidissimus, ac suavissimus odor è corpore emanavit. Interdum sublimis, regia in sede Divinis laudibus unà cum Cælitibus interesse visa est.* Ergo similiter gloria extrinseca corporis concessa fuit ad breve tempus Beatæ Virgini. Tum quia dona, & perfectiones puræ creaturæ non repugnantes, quas Christus Dominus in hac vita aliquando habuit, etiam Matri DEI Sanctissimæ concessæ fuerunt per speciale privilegium, ut sic Mater Filio esset similior. Sed gloria extrinseca corporis in hac vita ad breve tempus non repugnat puræ creaturæ, Christúsque talem gloriam ad breve tempus habuit in hac vita, dum in monte Thabor coram tribus Discipulis suis gloriosè transfiguratus est. Ergo similis gloria etiam Matri DEI sanctissimæ in hac vita ad breve tempus concessa fuit. Tum quia S. Dionysius Areopagita in sua epistola ad S. Paulum Serm. 30. quam epistolam desumptam ex fide dignis Authoribus refert noster P. Kwiatkiewicz in suo primo instanti Mariano, de gloria Corporis sanctissimæ Virginis sic habet: *Quoniam cùm à Joanne Vertice Evangelii, & Prophetarum ductus fui ad DEIformem præsentiam Altissimæ Virginis, tantus me immensus Divinus splendor circumfulsit exteriùs, & pleniùs irradiavit interiùs, tanta etiam in me omnium odoramentorum superabundavit fragrantia, ut nec corpus infelix, nec Spiritus posset totius ac tantæ felicitatis insignia sustinere. Deficit cor meum, deficit Spiritus meus, tantæ gloriæ majestate oppressus.* Ergo. Alii admisso probationis Antecedente, Negant Consequentiam. Disparitas hæc dari potest. Tum quia Beatæ Virgini, ratione Maternitatis DEI, ea privilegia, & illæ gratiæ debebantur, quæ pertinent ad sanctificationem ejus animæ, & conferunt ad plenitudinem gratiæ. Cùm ergo visio beata etiam ad breve tempus concessa pertineat ad sanctificationem animæ, tanquam exclusiva non solùm actualis peccati, sed etiam ipsius potentiæ peccandi, cùm itèm hæc ipsa visio tanquam donum intrinsecè supernaturale pertineat ad plenitudinem gratiæ; visio beata ad breve tempus aliquatenus debebatur Beatæ Virgini. E contrà gloria extrinseca Corporis, cùm non pertineat ad sanctificationem animæ, nec sit donum intrinsecè supernaturale conferens ad plenitudinem gratiæ, ideò gloria extrinseca corporis Beatæ Virgini in hac vita non debebat dari eidem etiam ad breve tempus. Tum quia omnia ornamenta, & dona Beatæ Virginis fuerunt interna. Omnis gloria ipsius ad intus juxta illud Psal. 44. *Omnis gloria Filiæ Regis ab intus.* Atqui gloria extrinseca corporis Beatæ Virginis non pertinet ad internum Animæ ornamentum, nec est gloria ab intus. Ergo gloria extrinseca Corporis non est, nec debuit esse gloria & ornamentum Beatæ Virginis.

## §. II.

### An Beata Virgo habuerit scientiam infusam?

199. Quid sit scientia infusa, & quæ species ipsius? dictum est Disp. 4. Num. 152. Quæ illic dicta sunt, hic non repeto. Illud in præsenti addendum videtur;

detur: Per scientiam infusam à quibusdam Theologis hanc materiam tractantibus intelligi Habitum infusum Fidei, & species intelligibiles infusas ad talis Habitûs usum accommodatas. Sed hæc acceptio scientiæ est minùs propria. Habitus enim Fidei, ratione suæ obscuritatis non est scientia, nisi valde impropriè. Et talem nonnisi scientiam aliqui Theologi Beatæ Virgini fuisse infusam admittunt, & docent Animam Beatissimæ conjunctam corpori, tali scientia & speciebûs potuisse uti in cognoscendis rebus Divinis sinè conversione ad phantasmata. Alii Theologi per scientiam per se infusam intelligunt lumen aliquod intellectuale supernaturale clarum, & evidens, distinctum ab habitu infuso Fidei, qui est lumen obscurum, & species intelligibiles proprias repræsentativas tam rerum naturalium, quàm supernaturalium creatarum, nec connexarum cum Mysteriis Trinitatis & Incarnationis. Tale lumen & species, sunt scientia per se infusa propriè dicta. Talémque scientiam plerique asserunt statim in primo Conceptionis Instanti fuisse in Beata Virgine, præter habitum infusum Fidei & species intelligibiles ad usum dicti habitûs requisitas.

200. Dicendum est primò, Beatam Virginem à primo suæ Conceptionis instanti habuisse non solùm Habitum Fidei cum speciebus infusis ad usum talis Habitûs necessariis; sed etiam habuisse scientiam per se infusam supernaturalem propriè dictam, quæ erat lumen intellectuale supernaturale, clarum & evidens permodum potentiæ ad cognoscendas certò & evidenter res creatas non connexas cum mysteriis Trinitatis, & Incarnationis, & species intelligibiles proprias pariter infusas scientiæ ipsi, seu lumini proportionatas.

Prima pars Conclusionis, Quòd Beata Virgo à primo instanti suæ Conceptionis habuerit habitum infusum Fidei cum speciebus impressis ad usum talis habitûs necessariis, probatur. Tum quia habitus infusus Fidei simul cum gratia sanctificante puris hominibus infunditur. Ergo, cùm Beata Virgo in primo instanti suæ Conceptionis habuerit gratiam sanctificantem, habuit quoque in eodem instanti habitum infusum Fidei. Quia verò ab eodem instanti habuit usum rationis, ùt docetur communiter, debuit in dicto instanti habere species intelligibiles sibi infusas, sinè quarum concursu saltèm de potentia ordinaria, non potest haberi hujusmodi usus. Tum quia Beata Virgo in primo statim suæ Conceptionis instanti ad DEUM se convertit, & credidit actu supernaturali Fidei DEUM esse, eúmque in Personis Trinum, in Essentia unum, esse illum suum Creatorem, Redemptorem, & Sanctificatorem; adoravit eundem actu profundissimæ humilitatis & subjectionis; amavit intensissima charitate, in horúmque actuum continuo exercitio toto vitæ suæ tempore permansit. Ergo Beata Virgo in instanti suæ Conceptionis habuit habitum infusum Fidei, & species intelligibiles infusas, quales ad eliciendos dictos actus requiruntur. Actus enim hi haberi non possunt sinè potentia completa ad ponendos tales actus. Porrò potentia ad dictos actus completa, prout connaturaliter compleri solet, ultra potentiam vitalem intentionalem dicit habitum infusum Fidei & species intelligibiles. Ad DEUM enim in essentia Unum, in Personis Trinum cognoscendum à puro homine Viatore, debet concurrere habitus Fidei cum speciebus eidem habitui proportionatis. Siquidem Mysterium Trinitatis à puro homine Viatore non potest evidenter, ùt in se est, cognosci ullâ scientiâ distinctâ à scientia Beata, quam communiter non habent Viatores. Tum quia S. Joannes Baptista in in sua sanctificatione, qua sanctificatus fuit in utero, Beata Virgine visitante Matrem ejus Elisabetham, habuit habitum infusum Fidei, & species intelligibiles requisitas, hisque concurrentibus cognovit & credidit Christum præsentem, & exultavit in gaudio in utero Matris suæ. Quod gaudium censent Patres fuisse gaudium propriè dictum, supponens veram DEI cognitionem per fidem. Ergo & Beata Virgo in sua Conceptione immaculata habuit & habitum infusum Fidei, & species intelligibiles, & insuper habuit usum tam habitûs, quàm dictarum specierum. Quia privilegium concessum puro alicui homini non est negandum Virgini DEIparæ.

201. Secunda pars Concluſionis, nimirum, quòd Mater DEI Beatiſſima habuerit etiam ſcientiam infuſam clarè & evidenter repræſentativam omnium rerum creatarum, naturalium & ſupernaturalium, non connexarum cum Myſteriis Trinitatis & Incarnationis; habuerit itèm ſpecies intelligibiles proprias eorundē objectorū, adeoq quòd habuerit ſcientiam per ſe infuſam propriè dictam. Hæc, inquā, pars Concluſionis probatur.

Potuit Beata Virgo in primo inſtanti ſuæ Conceptionis habere ſcientiam infuſam ſupernaturalem clarè & evidenter repræſentativam rerum tam naturalium, quàm ſupernaturalium, & ſpecies intelligibiles huic ſcientiæ proportionatas. Decuit Beatam Virginem, ut talem ſcientiam, & ſpecies haberet, nec repugnat illam hæc habuiſſe Doctrinæ Eccleſiæ & Patrum, imò tali Doctrinæ conſonat. Ergo Beata Virgo habuit dictam ſcientiam & ſpecies.

Prima pars immediati Antecedentis probatur; tum nullitate repugnantiæ in tali ſcientia & ſpeciebus. Tum quia talis ſcientia fuit conceſſa Angelis, & ſpecies intelligibiles propriæ, per quas cognoſcebant res naturales & ſupernaturales creatas non connexas cum Myſteriis lumen rationis ſuperantibus. Idque cognoſcebant res hujuſmodi cognitione ſupernaturali, cognitione dirigente ipſos ad actus ſupernaturales & meritorios. Ergo & Beata Virgo potuit habere talem ſcientiam, & ſpecies intelligibiles. Quidquid enim perfectionis cōceſſum eſt Angelis, potuit concedi Matri DEI, & Reginæ Angelorum. Tum quia Beatam Virginem in inſtanti ſuæ Conceptionis potuiſſe habere ſcientiam infuſam clarè repræſentativam objectorum creatorum, neque repugnat Beatæ Virgini ex ratione primi inſtantis Conceptionis, neque ex ratione puræ creaturæ, neque repugnat ex ratione creaturæ rationalis corporeæ, neque ex ratione Viatoris; neque ex ulla alia ratione. Ergo. Non repugnat inprimis dicta ſcientia completa per ſpecies primo inſtanti Conceptionis Beatæ Virginis. Beata enim Virgo in hoc ſtatim inſtanti, ſicut aliorum donorum ſupernaturalium fuit capax, ità & ſcientiæ ſupernaturalis per ſe infuſæ, & ſpecierum propriarum intelligibilium; cùm præſertim Beata Virgo in hoc inſtanti potuerit habere, ac etiam habuerit perfectum uſum talis ſcientiæ & ſpecierum. Non repugnat itidem dicta ſcientia & ſpecies Beatæ Virgini ex ratione puræ creaturæ; in tantum enim ex hac ratione repugnaret, in quantum habere talem ſcientiam & ſpecies eſſet, & deberet eſſe proprium ſoli DEO Homini, ſeu Chriſto, & ad Chriſti excellentiam ſpectaret, ſolùm habere talem ſcientiam & ſpecies. Sed in tantum non repugnat. Siquidem talem ſcientiam & ſpecies habuerunt Angeli ab initio ſuæ Creationis. Ergo hæc ſcientia non eſt ſoli DEO Homini propria. Admiſſâ etiam in Beata Virgine tali ſcientiâ & ſpeciebus, DEUS Homo, ſeu Chriſtus longè adhuc præſtantiorem & excellentiorem ſcientiam habuit, non ſolùm, quia ſtatim à primo ſuæ Incarnationis inſtanti habuit claram & intuitivam viſionem DEI, eámque continuam & ſemper durantem, per quam difficillima Fidei noſtræ Myſteria, qualia ſunt Myſterium Trinitatis & Incarnationis, clarè & intuitivè ſemper vidit. Sed etiam quia ab eodem inſtanti habuit perfectiſſimum ſemper uſum ſcientiæ ſupernaturalis per ſe infuſæ, potuítque ab hoc inſtanti uti tali ſcientiâ circa quæcunque objecta. Beata verò Virgo non habuit perfectiſſimum hunc uſum. Licèt enim omni tempore, ùt ait Eximius Doctor, habuerit hanc ſcientiam, non tamen ſemper cum eadem perfectione intellexit omnia, ſed intellexit ea, quæ quovis tempore opportuna erant, & pro ratione ſtatûs decebant. Non repugnant ulteriùs dicta ſcientia, & ſpecies per ſe infuſæ, ratione creaturæ intellectivæ corporeæ. In tantum enim repugnarent, in quantum & ſcientia per ſe infuſa, & ſpecies intelligibiles, & uſus iſtorum requirerent conſortium phantaſmatū, & à phantaſmatibus tā in eſſe, quàm in operari dependerent. Sed in tantum non repugnant. Etiamſi enim ſcientia acquiſita, & ſpecies intelligibiles, quæ experientiâ, ſtudiô, & induſtriâ comparantur ab homine, illarúmque uſus requirant conſortium phantaſmatum, ab iiſque, & in eſſe, & in operari dependeant, tamen ſcientia per ſe infuſa à DEO, & ſpecies intelligibiles per ſe infuſæ

fuſæ à DEO, non requirunt conſortium phantaſmatum, nec dependent ab ipſis ſive in eſſe, ſive in operari, ùt patet in ſcientiis, quas infuſas habent animæ ſeparatæ à corpore; in ſcientiis itèm, quas aliqui Sancti habuerunt infuſas à DEO. Ergo & in Beata Virgine ſcientia per ſe infuſa, & ſpecies intelligibiles itidem infuſæ, non debebant dependere à phantaſmatibus, ſive quò ad produci, ſive quò ad quemcunque uſum. Non repugnabat adhuc Beatæ Virgini talis ſcientia & ſpecies ex ratione ſtatûs viatoris. Quia talis ſcientia non facit comprehenſorem. Cùm etiam Angeli in ſtatu viæ habuerint talem ſcientiam & ſpecies. Cùm itèm eadem ſcientia & ſpecies deſervirent ad actus proprios viatorum, quia ad actus meritorios. Hâc enim ſcientiâ & his ſpeciebus Beata Virgo à primo ſtatim inſtanti ſuæ Conceptionis utebatur ad merendum, per hanc ſcientiam cognoſcebat & contemplabatur res Divinas, DEUM ferventer amabat, & in talis amoris exercitio indeſinenter perſeverabat, Somnô etiam non impediebatur à contemplatione rerum ſpiritualium, & ab amoris DEI exercitio, non defatigabatur etiam unquam his & ſimilibus actibus, illorúmque exercitio. Illis enim nonniſi actibus intellectûs & voluntatis defatigatur aliquis, ad quos debet præſtare neceſſariam cooperationem per phantaſmatum concurſum. Non repugnabat tandem ſcientia per ſe infuſa propriè dicta, ejúſque ſpecies intelligibiles Beatæ Virgini ex ulla alia ratione. Quia hæc ratio aſſignari non poteſt.

202. Secunda pars Antecedentis, illa ſcilicet, Quòd decuit Beatam Virginem, ut à primo ſtatim Conceptionis inſtanti haberet ſcientiam per ſe infuſam, propriè talem, & ſpecies intelligibiles rerum creatarum proprias; probatur. Tum quia decuit, ut Beata Virgo haberet omnem ſupernaturalem virtutem, non ſolùm, qua voluntas ejus perficeretur, ſed etiam qua perficeretur intellectus; quæ ſtatui Viatorum eſſet accommodata. Atqui ſcientia per ſe infuſa ſupernaturalis clara & evidens, & ſpecies intelligibiles propriæ objectorum creatorum, ſunt virtus ſupernaturalis, qua perficitur intellectus, ídque eſt virtus ſtatui viatorum accommodata. Ergo decuit, ut Beata Virgo talem ſcientiam & ſpecies intelligibiles haberet. Tum quia decuit, ut Beata Virgo ſtatim ab initio ſuæ Conceptionis haberet actus ſupernaturales intellectûs & voluntatis, per quos occuparetur circa DEUM, maximè verò, ut Beata Virgo haberet cognitionem DEI, qualis in viatoribus perfectiſſima eſſe poteſt, nimirum cognitionem abſtractivam DEI, per creaturas intuitivè & in ſe ipſis cognitas; ut itèm haberet actus Amoris DEI ſuper omnia, taléſque actus totâ vitâ ſuâ continuaret; ut hujuſmodi actus in Beata Virgine ſomnô non interrumperentur, ſed dormiente corpore cor Virginis vigilaret, ac DEO laudes perſolveret: tandem ut exercitio & intenſione talium actuum, Beata Virgo nunquam defatigaretur, & ad ceſſandum ab iiſdem non neceſſitaretur. Ergo decuit, ut Beata Virgo haberet requiſita principia & ſubſidia, per quæ prædicta conſequeretur. Atqui ſcientia per ſe infuſa, & ſpecies intelligibiles propriæ objectorum creatorum, ſunt talia principia & ſubſidia, utpote independentia à phantaſmatibus, & cooperatione corporis variis impedimentis, & defatigationi obnoxii. Ergo decuit, ut Beata Virgo talem ſcientiam & ſpecies haberet. Tum quia decuit, ut Beata Virgo non eſſet inferior Angelis, qui à primo ſuæ ſanctificationis inſtanti habuerunt hujuſmodi ſcientiam & ſpecies intelligibiles. Ut non eſſet inferior primis noſtris Parentibûs, qui pariter habuerant in prima ſui creatione aliquam ſcientiam infuſam & ſpecies intelligibiles ad uſum ſcientiæ neceſſarias. Ut non eſſet inferior S. Joanne Baptiſta, Salomone, & aliis; imò decuit, ut haberet excellentiorem his omnibûs ſcientiam infuſam, & excellentiores ſpecies intelligibiles, ex vi quarum per creaturas in ſe ipſis intuitivè cognitas cognoſceret abſtractivè DEUM, eúmque laudaret, & ferventiſſimè amaret. Ergo decuit, ut haberet ſcientiam per ſe infuſam, ſupernaturalem, claram & evidentem, & ut haberet infuſas ſpecies intelligibiles proprias objectorum creatorum.

203. Tertia pars Antecedentis, nimirum, quòd ſententia hæc de ſcientia

Beatæ Virgini per se infusa, & de speciebus intelligibilibus pariter infusis, non repugnet Doctrinæ Ecclesiæ & Patrum, imò tali Doctrinæ consonet; probatur. Nec Ecclesia, nec Patres ullibi negant hanc scientiam & species in Beata Virgine. Imò cùm Ecclesia gloriosissimè senserit semper, & sentiat de Beata Virgine, de illâque Patres intelligant illud Proverb. 31. *Multæ Filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*; hôc ipsô favent sententiæ, quæ docet talem scientiam & species fuisse in Beata Virgine. Hanc ipsam satis clarè & expresè docet S. Bernardinus Senensis in Tractatu de Beata Virgine, Serm. 4to, ubi dicit: *In prima sanctificatione, quãtum ad rationem & intellectum, tanta ei Sapientiæ claritas à DEO superinfusa est, quòd perfectè intelligebat creaturas, & Creatorem, & Spiritus, & omnia bona amplectenda, & mala fugienda*. Pro eadem sententia adduci solent Albertus Magnus, S. Antoninus, Bernardinus de Busto, & alii.

204. Additum est in conclusione, quòd Beata Virgo à primo suæ Conceptionis instanti habuerit scientiam per se infusam, & species intelligibiles requisitas. Aliqui Theologi censent, quòd Beata Virgo hanc scientiam acceperit primùm in Incarnatione VERBI Divini, alii volunt, quòd eam acceperit in die Pentecostes. Magnus Suarez censet, cum quo etiam Ego sentio, Beatam Virginem in primo instanti accepisse scientiam per se infusam cum speciebus ad talis scientiæ usum pertinentibus, quamvis in Incarnatione VERBI, & in die Pentecostes accepit hanc ipsam scientiam ampliorem, auctiorem, & intensiorem, habuitque his temporibus & deinceps frequentiorem usum talis scientiæ. Pium enim est, & Matris DEI excellentiâ dignũ sentire, quòd B. Virgo in primo suæ Conceptionis instanti habuerit & exercuerit usum rationis maximè circa res Divinas, quòd aliquos actus voluntatis elicuerit, ùt actus Charitatis DEI &c. Quòd à primo instanti Conceptionis fuerit in exercitio continuo talium actuum, clamantibûs omnibûs creaturîs, ut Virgo Beata amaret DEUM intensissimè. Atqui ad talem rationis usum, & ad actus charitatis, aliósque similes necessaria fuit, aut saltèm multùm conducens scientia per se infusa, & species intelligibiles ipsi proportionatæ. Pium etiam est sentire, quòd in Incarnatione VERBI Divini, quando Virtus Altissimi obumbravit Virgini, & Spiritus S. supervenit in ipsam, sicut alia omnia dona ad voluntatis perfectionem spectantia, auctiora & majora accepit Virgo Beata, ità & scientiam, & alia dona ad perfectionem intellectûs spectantia acceperit auctiora & intensiora, & quòd ab hoc tempore perfectiorem habuerit usum talium donorum. Pium quoque est sentire, quòd in die Pentecostes, quo promissus à Christo Spiritus S. qui docturus erat omnia & omnem veritatem, descendit in Beatam Virginem & in Sanctos Apostolos, descenderit in Virginem cum majore plenitudine scientiæ, eámque illuminaverit singulariùs circa res ad statum Ecclesiæ Christi pertinentes, circa Sacramentorum Institutionem, Vocationem Gentium ad Fidem, reprobationem Judæorum, cessationem Cæremoniarum legalium, & circa alia similia.

205. Dicendum est secundò B. Virginem à primo suæ Conceptionis instanti habuisse scientiam per accidens infusam.

Probatur. Scientia secundùm se acquisibilis labore proprio, industriâ, magisteriô, non tamen taliter acquisita, sed potiùs tota simul animæ à DEO infusa, est scientia per accidens infusa, ùt dictum est Disput. 4. num. 152. Atqui Beata Virgo habuit talem scientiam sibi à DEO in sua Conceptione infusam, quæ ab ipsa potuit labore, studiô, industriâ, magisteriô aliorum acquiri. Ergo Beata Virgo habuit scientiam per accidens infusam. Minor probatur. Beata Virgo à primo instanti suæ Conceptionis habuit sibi infusam scientiam Theologicam, Philosophicam, quò ad singulas Philosophiæ partes, Mathematicam. Artes etiam liberales Rhetoricæ, Poëseos, Grammaticæ, & alias artes. Sed hæ scientiæ & artes ità fuerunt infusæ, ut fuerint acquisibiles labore, studiô, & magisteriô; cum defacto hac ratione acquiri soleant ab aliis puris hominibus. Ergo. Major probatur. Quia decebat, ut Beata Virgo statim ab instanti suæ Conceptionis haberet has scientias & artes. Decebat imprimis, ut haberet scientiam Theologicam; quia decebat, ut

ut esset instructissima in omnibus Fidei nostræ mysteriis, quod per Scientiam Theologicam sibi infusam consecuta est. Decebat, ut B. Virgo non esset inferior Sanctis Apostolis, quorum, è sensu Sanctorum Patrum, fuit Magistra. Cùm ergo Sancti Apostoli haberent hujusmodi Scientiam, utpote ad explicandam, & propugnandam Fidem, quam prædicabant, plurimùm conducentem, decuit, ut etiam B. Virgo hanc ipsam Scientiam haberet, quæ sola in universo mundo cunctas hæreses interemptura erat. Decebat etiam, ut B. Virgo haberet sibi infusas, Scientiam Philosophicam, Mathematicam, & alias Artes præcipuè liberales. Tum quia hæ Scientiæ & Artes multùm conferunt ad perfectionem Scientiæ Theologicæ; huic ministrant principia: Theologia enim ex una præmissa naturali, & altera Fidei, infert suas Conclusiones. Estque aliqua concatenatio inter omnes Scientias, ut una, saltèm quò ad esse perfectum, haberi non possit sine aliis. Ergo cùm decuerit Beatam Virginem, Scientiam Theologicam, eámque in gradu perfecto habere, decuit, ut etiam haberet alias Scientias, & Artes. Tum quia etiam aliæ Scientiæ, & Artes multùm juvant, ut per illas illustretur Fides, ut per illas convincantur Ethnici, & quicunque Infideles, eorúmque sophismata dissolvantur. Per Philosophiam enim, & per Artes liberales S. Catharina Alexandrina convicit, & confutavit Ethnicos Philosophos. Ergo decuit, ut B. Virgo his ipsis Scientiis & Artibus esset instructa, illásque haberet infusas. Tum quia B. Virginem decuit, ut non solùm haberet perfectiones Ordinis supernaturalis, sed etiam Ordinis naturalis, quas præsertim habuerunt aliqui puri homines, & quæ conferre videntur ad exercendum gubernium, & dominium supra res universas. Ipsa siquidem ratione Maternitatis DEI, fuit Regina & Domina universorum. Sed Scientia Philosophica, Mathematica, & Artes liberales sunt perfectiones Ordinis naturalis, intellectum enim perficiunt; hásque perfectiones habuerunt aliqui puri homines, nimirum tales perfectiones habuerunt primi nostri Parentes in statu innocentiæ, & illis dirigebantur in exercenda ratione Supremi Capitis, & Dominii. Ergo decuit, ut B. Virgo à primo suæ Conceptionis instanti, dictas Scientias haberet sibi infusas, &c. Adverto, P. Suarez docere, quòd habitus Theologiæ in B. Virgine cū fuerit perfectus, & inclinans ad assentiendum Conclusionibus Theologicis cum majori certitudine, quàm sit omnis certitudo naturalis, fuisse habitum per se infusum, & entitativè supernaturalem. Sicut & prudentia est habitus ex natura sua infusus, & supernaturalis. Opinionis hujus probabilitati non derogo, & existimo possibilem esse habitum Theologiæ per se infusum, & supernaturalem. Censeo nihilominus non omnem habitum Theologiæ esse habitum per se infusum. In puris enim hominibus habitus plerumque est acquisitus, vel ad summum, per accidens infusus. Censeo ulteriùs in Beata Virgine admitti posse utrumque Theologiæ habitum, & illum, qui sit per se infusus, & alterum illum, qui sit per accidens infusus.

## Proponitur Objectio contra Conclusionis primæ secundam partem.

206. Objicitur, & probatur, quòd B. Virgo non habuerit in primo Conceptionis instanti habitum per se infusum Scientiæ. Tum quia hic habitus neque est infusus ante sanctificationem Animæ ipsius, neque in ipsa sanctificatione. Non est infusus ante sanctificationem Animæ Beatæ Virginis; sicut enim alia dona habitualia sunt infusa Beatæ Virgini simul cum gratia sanctificante, ità & habitus Scientiæ per se infusæ debuit eidem infundi simul cum eadem gratia. Non etiam in prima sanctificatione Animæ Beatæ Virginis, fuit eidem infusus dictus Scientiæ habitus. Cùm enim B. Virgo suam primam sanctificationem, & omnes habitus virtutum infusos acceperit dependenter à propria dispositione meritoria; sicut illa ipsa dispositio præcedebat sanctificationem Virginis, & infusionem ipsi habituum tanquam causa moralis meritoria suum effectum, ità & principium dispositionis, quale principium est etiam Scientia infusa, debuit

præcedere ſanctificationem Virginis, & infuſionem habituum, tam ad intellectum, quàm ad voluntatem ſpectantium. Confirmatur. Implicat principium meriti cadere ſub meritum. Sed id fieret, ſi Scientia per ſe infuſa data fuiſſet Beatæ Virgini in ſanctificatione ejuſdem. Hæc enim Scientia eſſet principium meriti, quia eſſet principium diſpoſitionis meritoriæ ad ſanctificationem, & infuſionem habituum, ſimúlque eadem Scientia caderet ſub meritum. Quia dictæ Scientiæ infuſio eſſet præmium diſpoſitionis meritoriæ, quæ ipſa diſpoſitio cauſaretur à Scientia infuſa, ſeu ab habitu intellectuali dirigente diſpoſitionem meritoriam. Tum quia Scientia per ſe infuſa Animæ, in primo Conceptionis inſtanti, fuit privilegium ſoli Chriſto conceſſum. Ergo hæc Scientia non eſt concedenda Virgini DEIparæ.

Confirmatur primò. Quia deorganizatio Corporis Chriſti, in primo ſtatim Incarnationis inſtanti fuit privilegium miraculoſum proprium ipſius Chriſti, ideò ſimilis deorganizatio inſtantanea corporis, nulli puro homini, etiam Virgini DEIparæ concedi debet; debétque dici: Sacri Corpuſculi Beatæ Virginis deorganizationem non fuiſſe inſtantaneam, nec totam ſimul peractam, & abſolutam, ſed fuiſſe ſucceſſivam. Ergo etiam ſi Scientia per ſe infuſa fuit privilegium proprium Humanitatis Chriſti, non debuit privilegium talis Scientiæ concedi Virgini DEIparæ.

Confirmatur ſecundò. B. Virgo, etiam poſtquàm nata eſt, non habuit perfectam deorganizationem, eámque organorum firmitatem, ut nata ſtatim loqueretur, ambularet, aliáſque ſenſationes æquè perfectè exerceret, atque illas exercuit in ulteriori ætate. Ergo eadem B. Virgo non habuit Scientiam per ſe infuſam, nec ſpecies tales intelligibiles, ut in utero Matris ſuæ exiſtens, poſſet cognoſcere intuitivè res creatas naturales, & ſupernaturales, non connexas cum Myſteriis Trinitatis, & Incarnationis, &c. Tum quia Scientiæ per ſe infuſæ Beatæ Virgini, claræ & evidentis Myſteriorum præſertim ſupernaturalium, nulla invenitur mentio in Patribus antiquis; nulla etiam eſt neceſſitas talis Scientiæ. Cùm habitus Fidei infuſus totum id præſtare potuerit, quod Scientia per ſe infuſa. Prætereà talis Scientia minuit meritum, ejúſque exercitium; quia minuit libertatem. Actus enim certi & evidentes non ſubſunt imperio voluntatis; ſed hoc nonniſi præſupponitur ad actus inevidentes & obſcuros. Ulteriùs hanc Scientiam circa multa objecta à primo ſuæ Conceptionis inſtanti non exercuit Beata Virgo, ſed proceſſu temporis pleraque objecta cognoſcebat, independenter à ſenſuum experientia, & phantaſmatibus. Tandem. An Virgo B. ab inſtanti ſuæ Conceptionis cognoverit quæpiam objecta, & quæ illa? non conſtat. Sed nec illud conſtat. An Scientiâ per ſe infuſâ ſemper utebatur, dum cognoſcebat evidenter res creatas, an verò Scientia naturali per accidens infuſa; qualem habent Angeli, & an etiam talem Scientiam habuerit?

## Reſpondetur ad Objectionem.

207. Primam Objectionis probationem Nego, & Dico. Beatam Virginem habitum per ſe infuſæ ſcientiæ propriè dictæ, accepiſſe in ipſa Animæ ſuæ ſanctificatione, in qua ſimul cum gratia ſanctificante accepit quoſcunque alios habitus per ſe infuſos.

Ad impugnationem ulteriorem hujus Reſponſionis Dico. Probabile eſſe, quòd B. Virgo primam Animæ ſuæ ſanctificationem acceperit dependenter à prævia ſua diſpoſitione meritoria, adeoque dependenter à principiis effectivis talis diſpoſitionis. Cæterum Nego principium dictæ diſpoſitionis fuiſſe habitum per ſe infuſæ ſcientiæ, ſed potiùs tale principium fuit, aut Omnipotentia DEI extrinſecè aſſiſtens, & ſupplens influxum habitûs infuſi, aut lumen aliquod intrinſecum per modū qualitatis transeuntis, conceſſum Animæ Beatæ Virginis; ſimiléſque ſpecies intelligibiles tranſeuntes conceſſæ concurrentes ad dictam diſpoſitionem. Idque tale principium in Beata Virgine neque habitus infuſus Fidei, ac Species huic habitui proportionatæ poterant eſſe reſpectu diſpoſitionis meritoriæ, ſi hoc non-

nonnisi admittatur, & negetur Scientia per se infusa. Cùm implicet mutua causalitas inter duas causas requirentes existentiam ad causandum.

Confirmationi Nego sequelam Minoris. Ad probationem sequelæ Dico. Non eam Scientiam dari in præmium dispositionis meritoriæ, quæ Scientia habuit se directivè ad ponendam dispositionem meritoriam, sed aliam entitativè. In præmium suæ dispositionis Beatæ Virgini data fuit Scientia per se infusa, creata, permanens, supernaturalis. Principium verò dispositionis meritoriæ fuit vel increatum, nimirum Omnipotentia DEI extrinsecè assistens, & supplens concursum principii creati. Aut lumen aliquod intellectuale supernaturale concessum in ordine ad ponendam dispositionem meritoriam, lumen, inquam, per modum qualitatis transeuntis.

208. Secundæ Probationis Nego Antecedens. Nam & Sanctis Angelis in statu viæ ipsorum concessa fuit Scientia per se infusa, & species intelligibiles ad usum talis Scientiæ requisitæ. Et primo nostro Parenti Adamo utpote universarum Creaturarum visibilium Capiti, in statu innocentiæ concessam fuisse Scientiam repræsentativam earundem creaturarum docet S. Thomas. Ergo dicta Scientia non fuit privilegium soli Christo proprium. Idem Antecedens sic Distinguo. Scientia per se infusa Animæ, quò ad illam perfectionem & excellentiam, quò ad quam dabatur in Humanitate Christi; Itèm, quò ad conjunctionem cum Scientia beata, seu cum visione intuitiva DEI, per totam vitam continuata; Itèm, eadem Scientia quò ad perfectissimum sui usum spectata fuit privilegium soli Christo proprium. Concedo Antecedens. Scientia per se infusa cujuscunque etiam inferioris perfectionis & excellentiæ, nec conjuncta visioni DEI perpetuæ, nec habens usum semper perfectissimum, est privilegium soli Christo proprium. Nego Antecedens, & Distinguo similiter Consequens. Distinctio facilè intelligi potest ex dictis Num. 201.

Confirmationis primæ potest inprimis Negari Antecedens. Dici enim potest in primo instanti Creationis Adæ, & formationis Evæ, dictos primos Parentes habuisse perfectam deorganizationem suorum corporum. Quare deorganizatio perfecta Corporis Christi in primo instanti Incarnationis, non fuit privilegium soli Christo proprium. Potest etiam distingui Antecedens. Deorganizatio corpusculi sufficiens & requisita ad exercendas quascunque sensationes, & functiones Animæ prout informantis corpus, habita in primo instanti creationis & infusionis Animæ, est privilegium soli Christo proprium. Omitto Antecedens. Deorganizatio corpusculi sufficiens ad infusionem Animæ, est privilegium soli Christo proprium. Nego Antecedens. Potest deinde transito Antecedente, negari Consequentia, & hæc assignari Disparitas. Ideo deorganizatio corporis instantanea fuit privilegium soli Christo ità proprium, ut non debuerit concedi Beatæ Virgini. Quia talis deorganizatio impertinens est ad sanctificationem Animæ, & impertinenter se habet ad usum rationis meritorium à primo statim instanti. E contra Scientia per se infusa, siquidem habet se pertinenter ad sanctificationem Animæ, & ad usum rationis meritorium. Cùm ergo Dignitas & Excellentia Matris DEI postulet, ut sibi concederentur privilegia pertinentia ad sanctificationem Animæ, & meritorium usum rationis à primo animationis instanti; non postulet verò privilegia alia impertinentia ad hunc finem, bene admittitur Beatam Virginem habuisse Scientiam per se infusam in infusionis Animæ instanti, etiamsi non habuerit deorganizationem Corporis instantaneam.

Ex occasione primæ Confirmationis Quæri potest: Deorganizatio corpusculi Beatæ Virginis an fuerit instantanea, & in uno instanti perfecta, an successiva, & quo tempore facta?

Respondeo probabiliter non fuisse instantaneam. Deorganizationes enim corporum in Animalibus per seminalem propagationē descendentibus fiunt per varias mutationes sibi succedentes, & per principia effectiva, nimirum per virtutem activam Parentum, modum successivè operandi habentia; nec videtur esse necessitas, imò nec congruitas &

convenientia, ut Beatæ Virginis deorganizatio præter morem & ordinem naturæ, esset instantanea. Fuit ergo dicta deorganizatio successiva, non tamen tanto tempore continuata, quantum tempus requiritur à Philosophis ad animationem, sive in maribus, sive in fæmellis. Ab his deorganizationi ad animationem prolis masculæ requisitæ assignantur dies 40. pro animatione fæminei sexûs requiruntur dies 30. Porrò deorganizatio Corporis Beatissimæ, quam consecuta est infusio Animæ, intrà unum diem naturalem absoluta & peracta est. Ratio est ex sensu Ecclesiæ, Festum Conceptionis Beatæ Virginis celebrantis 8. Decembris, seu ùt explicat Alexander VII. in sua Constitutione, *celebrantis hoc die Festum Sanctificationis Animæ Beatæ Virginis in primo suæ Conceptionis instanti.* Ergo & Animatio Beatæ Virginis, seu Creatio Animæ, & infusio in Corpus, & sanctificatio ejusdem supponuntur fuisse die 8. Decembris, adeoque in hac die fuit deorganizatio Corpusculi Virginei. Anima enim infusa fuit corpori deorganizato. Atqui hæc & inchoata & absoluta, ac peracta est eodem ipso die. Cùm enim ab octava die Decembris ad octavam Septembris, quo die eadem Ecclesia celebrat festum Nativitatis ejusdem Sanctissimæ Virginis, intercedant integri novem menses, quot præcisè intercedere debent inter propagationem seminalem, & inter nativitatem prolis. Propagatio seminalis, ex qua processit Beata Virgo, contigit octavâ Decembris, & eâdem die peracta & absoluta est deorganizatio Corpusculi Virginei, ac etiam animatio ejusdem. Siquidem hac ipsa die Ecclesia celebrat Sanctificationem Virginis, quam censet factam esse in primo instanti Animationis, seu infusionis Animæ.

Confirmatio secunda retorqueri potest de Christo. Christus in sua Nativitate non habuit talem deorganizationem, ut natus statim loqueretur, ambularet, &c. Ergo idem Christus non habuit Scientiam per se infusam à primo Conceptionis suæ instanti, nec habuit species intelligibiles, per quas cognosceret intuitivè omnes res creatas naturales & supernaturales. Directè. Omisso Antecedente Confirmationis secundæ. Nego Consequentiam. Disparitas est. Quia DEUS suæ Incarnationis mysterium voluit ad tempus latere; voluit etiam, ut miraculorum gloria Christo servaretur, nec fierent miracula per Virginem in Nativitate ejusdem. Voluit itèm, ut miracula fierent post promulgationem Euangelii, idque in confirmationem ejusdem, & non in alium finem. Quare miraculosa locutio & ambulatio DEIparæ statim, postquàm nata est, non debuit fieri. E contrà cùm per infusionem Scientiæ, & Specierum Animæ Beatæ Virginis in primo ejus Conceptionis instanti non publicaretur mysterium Incarnationis, sed lateret adhuc; cùm hæc infusio non esset miraculum externum, seu exteriùs patens, cùm non conferret ad Euangelii promulgationem, & confirmationem, conferret verò ad gloriam, & excellentiam Virginis, ad meritum, & perfectiorem Sanctificationem ejusdem, Scientia per se infusa Beatæ Virgini in primo instanti Conceptionis, & infusio Specierum intelligibilium, decuit, ut B. Virgo in sua Conceptione hæc acciperet. Omissum, seu transitum est Antecedens. Dici enim posset, quòd B. Virgo in sua Nativitate habuerit sufficientem deorganizationem ad loquendum. Cùm aliqui infantes legantur non solùm habuisse talem deorganizationem, sed etiam illâ usi esse. Hac tamen deorganizatione non esse usam Beatam Virginem ex eo, quòd ab hoc ejus usu vellet tunc DEUS illam abstinere, sicut ipsum Christum voluit abstinere.

209. Tertiæ Probationis Antecedens Nego quò ad omnes & singulas partes. Vel aliquas simpliciter Nego, aliquas Distinguo. Nego inprimis in Patribus nullam inveniri mentionem talis infusionis Scientiæ, & Specierum Beatæ Virgini. Cùm oppositum pateat ex adducto in probatione testimoniô S. Bernardini Senensis, & aliorum. Vel certè hanc partem Distinguo. Nulla est mentio expressa, & explicita scientiæ per se infusæ collatæ B. Virgini in Conceptione. Omitto hanc partem Antecedentis. Nulla est mentio in Patribus etiam implicita, & sub diversis terminis, Nego. Secundam partem Antecedentis

tis Nego ; nimirum Nego, quòd nulla fuerit necessitas Scientiæ per se infusæ in Beata Virgine, & Specierum intelligibilium accommodatarum ipsi Scientiæ. Fuit namque hæc necessitas, ut per illam Virgo B. intuitivè cognosceret res quascunque naturales, & supernaturales, & ex rebus creatis intuitivè cognitis, cognosceret DEUM abstractivè, & ænigmaticè. Vel Distinguo hanc partem. Non fuit in B. Virgine necessitas talis Scientiæ ad simpliciter esse, ità ut sinè tali Scientia non potuerit B. Virgo simpliciter esse. Concedo hanc partem distincti Antecedentis. Non fuit necessitas talis Scientiæ ad melius esse, ex vi cujus B. Virgo perfectiùs cognosceret objecta. Nego hanc partem Antecedentis. Ejusdem ulteriorem partem Distinguo. Habitus infusus Fidei id totum potuit præstare, & æquè perfectè, ac Scientia per se infusa. Nego probationem. Habitus infusus Fidei potest id totum præstare, quod Scientia per se infusa, sed minùs perfectè. Concedo, & Dico. Cùm habitus infusus Fidei præstet hoc, ut objectis revelatis ænigmaticè cognitis per species alienas objectorum, habens dictum habitum assentiatur, præstat, ut habens talem habitum, habeat aliquam cognitionem objectorum revelatorum, prælucentem ad actus meritorios. Scientia verò per se infusa præstat, ut qui eam habet, cognoscat objecta creata per species proprias, ac per ænigmata, & similitudines sic cognitorum objectorum, cognoscat DEUM Creatorem, ejúsque attributa, ac deinde concurrente habitu Fidei, credat hæc ipsa objecta prout revelata. Tertiam Antecedentis partem simpliciter Nego. Nimirum Nego, quòd Scientia per se infusa minuat meritum, vel libertatem. Si enim similis Scientia in Angelis in statu viæ, non minuebat meritum, & libertatem eorundem, sed Angeli habitâ tali Scientiâ habebant perfectam rationem meriti, & libertatis; etiam Beatæ Virginis ratio meriti, & libertatis non minuebatur per hoc, quòd habuerit Scientiam per se infusam. Hæc ipsa tertia pars Antecedentis distingui potest. Scientia per se infusa minuit libertatem, & meritum, circa objecta, quorum est repræsentativa intuitivè. Omitto. Etiam circa alia objecta, quorum non est repræsentativa intuitivè. Nego Antecedens. Ad ulteriorem probationem Dico. Etiamsi actus certi & evidentes non subsint imperio voluntatis, quia tamen subsunt huic imperio actus obscuri & inevidentes, abstractivè & ænigmaticè repræsentantes alia objecta, habetur indè, quòd Scientia per se infusa non tollat simpliciter rationem libertatis requisitam ad rationem meriti, nec ipsam rationem meriti, quæ & qualis esse potest, ac debet. Eadem probatio potest sic distingui. Actus certi & evidentes non subsunt imperio voluntatis quò ad exercitium. Nego probationem. Non subsunt imperio voluntatis dicti actus quò ad speciem actûs. Concedo probationem. Nimirum actus certi & evidentes intuitivè repræsentantes suum objectum, non subsunt quò ad suam speciem imperio voluntatis, ea ratione, ut voluntas posset imperare assensum, vel dissensum objecto; subsunt tamen imperio voluntatis, quò ad exercitium, quatenus voluntas suo imperio potest avocare intellectum à talis objecti consideratione, & nè circa illud ullum eliciat actum, & potest applicare eundem intellectum, ut is versetur circa aliud objectum.

Ad quartam probationem Dico. Etiamsi B. Virgo à primo suæ Conceptionis instanti non exercuerit Scientiam per se infusam circa aliqua objecta. Quia tamen circa hæc ipsa exercere potuit, & defacto eandem exercuit circa aliqua objecta: ideo in Beata Virgine à primo instanti suæ Conceptionis debuit dari Scientia per se infusa. Sicut in eadem debuit dari, & dabatur habitus infusus Fidei, etiamsi hunc non exercuerit circa objecta quæcunque credibilia. Nec obest, quòd B. Virgo processu temporis cognoscebat pleraque objecta, idque dependenter à sensuum experientia. Non obest, inquam. Una enim Scientia non excludit aliam; Scientia per se infusa independens à phantasmatibus, & sensibus, non excludit Scientiam acquisitam, & dependentem à sensibus, & phantasmatibus. Potuit Beata Virgo pro opportunitate temporis, & circumstantiarum comparare Scientiam acquisitam, potuitque uti jam

Scientiâ acquisitâ, jam Scientiâ per se infusâ.

Ad quintam Antecedentis probationem Dico. Ex ratione probabili, & magis communi Patrum, & Theologorum sensu constare, quòd B. Virgo in primo statim Conceptionis instanti habuerit usum Rationis meritorium, non solùm primæ sanctificationis, sed etiam augmenti gratiæ, & sanctificationis. Constare itèm, quòd B. Virgo hunc rationis usum semper continuaverit per non intermissum unquam exercitium actuum charitatis, & similium. Ex quo ipso constat ulteriùs, quòd B. Virgo à primo instanti suæ Conceptionis cognoverit aliqua objecta. Debuit enim habere cognitionem, quâ cognoscebat, quòd esset ab alio, seu quòd esset creatura DEI, quòd multa bona acceperit à DEO, fuerit ab ipso in sua Conceptione sanctificata, ad finem sublimem Beatitudinis ordinata, quòd sit jure naturali obligata ad gratitudinem DEO exhibendam, DEúmque summè amandum, debuit habere etiam cognitionem proponentem summam excellentiam, bonitatem, & amabilitatem DEI. His enim cognitionibus debuit B. Virgo dirigi in eliciendis actibus meritoriis, quibus à primo suæ Conceptionis instanti tendebat in DEUM. Quòd si B. Virgo à primo instanti habuit, & debuit habere aliquas cognitiones, constat facilè, debuisse illam habere scientiam per se infusam, dependenter à qua dictas elicuit cognitiones. Ex hoc verò ipso facilè intelligitur, quæ objecta B. Virgo à primo instanti suæ Conceptionis, & deinceps in utero Matris suæ, & per quas Scientias cognoverit. Per Scientiam per se infusam cognovit intuitivè seipsam, cognovit dona sibi collata Creationis, & alia ordinis naturalis, cognovit donum Sanctificationis, & alia dona supernaturalia. Per habitum verò infusum Fidei cognovit abstractivè & ænigmaticè DEUM, cognovit Mysterium Trinitatis, ac etiam Mysterium Incarnationis, quæ Mysteria tunc statim Beatæ Virgini à DEO revelata fuerunt.

Ad postremam Antecedentis partem Dico: Diversas esse Theologorum Sententias circa illam quæstionem: An B. Virgo præter Scientiam per se infusam supernaturalem, habuerit Scientiam per se infusam naturalem, qualem Scientiam habent Angeli, & Animæ separatæ? Hanc Scientiam per se infusam naturalem fuisse in B. Virgine, negant aliqui Theologi cum P. Suarez. Tum ex eo, quòd admissa Scientia per se infusa supernaturali in B. Virgine, non appareat ulla necessitas Scientiæ per se infusæ naturalis, nec sit ullus illius usus. Tum quia dona, quæ sunt impertinentia ad sanctificationem Beatæ Virginis, suntque dona merè naturalia, non debebant conferri Beatæ Virgini: Sed Scientia per se infusa naturalis, est donum impertinens ad sanctificationem Animæ Beatissimæ Virginis, utpote perfectio merè naturalis. Ergo. Alii Theologi censent Beatam Virginem præter Scientiam per se infusam supernaturalem, habuisse insuper Scientiam per se infusam naturalem. Hæc Sententia his rationibus probari potest: Tum quia Beatæ Virgini perfectiones Animæ internæ, nec exteriùs patentes naturales tribui debent, ut ità Anima Beatæ Virginis quò ad suas potentias sit internè maximè perfecta, non solùm supernaturaliter, sed etiam naturaliter, nec sit inferior Angelis, & animabûs separatis spectatis etiam quò ad perfectiones naturales internas. Sed Scientia per se infusa naturalis est perfectio naturalis animæ, sive intellectûs, eáque interna. Ergo. Tum quia Scientia per se infusa naturalis, etiamsi non sit pertinens ad sanctificationem Beatæ Virginis, confert tamen, ut B. Virgo habeat libertatem suorum meritorum, ipsamque exercere possit. Quia confert, ut operetur ex plena deliberatione, quæ consistit in duplici cognitione, una supernaturali invitante ad prosequendum objectum supernaturale honestum, altera naturali retrahente à prosecutione talis objecti, etiam tunc, dum prosecutio est præcepta, & invitante ad prosequendum objectum diversum, v. g. delectabile. Atqui ad habendas tales cognitiones conferunt duæ Scientiæ per se infusæ, una supernaturalis, altera naturalis, nimirum ad habendam cognitionem supernaturalen invitantem ad prosequendum objectum honestum, confert Scientia per se infusa supernaturalis, ad ha-

habendam cognitionem naturalem retrahentem à prosecutione objecti honesti, debet concurrere Scientia per se infusa naturalis. Ergo tales Scientiæ debebant dari in Beata Virgine.

## §. III.

### An Beata Virgo habuerit Scientiam acquisitam, & an, & quomodo in Scientia creverit?

Per Scientiam acquisitam in præsenti intelligitur Scientia propriè & strictè acquisita, hoc est, nec per se, nec per accidens infusa à DEO, sed per partes, & successivè comparata dependenter à sensibus, & phantasmatibus, Intellectu, qui dicitur agens, abstrahente species intelligibiles à phantasmatibus. De hac Scientia plura vide Disp. IV. Num. 159.

210. Dicendum est, Beatam Virginem habuisse Scientiam acquisitam. Hæc Scientia processu temporis crescebat in ipsa tam intensivè, quàm extensivè.

Prima pars probatur. Tum quia, ùt habetur Luc. 2. B. Virgo sive omnia illa, quæ à Christo, Filio ejus dicebantur, sive quæ dicebantur ab aliis de eodem Christo, *conservabat in corde suo*, hoc est in Anima, & in potentia intellectiva Animæ. Ergo B. Virgo habuit Scientiam acquisitam. Illa enim conservatio in corde rerum auditarum, non habetur nisi per frequentem ruminationem, & meditationem eorum, quæ dicuntur, & per acquisitionem sive specierum intelligibilium, sive Scientiæ habitualis, & permanentis, quam acquisitam vocamus. Tum quia B. Virgo utebatur sensibus externis, videbat, audiebat, & sensatione externa percipiebat multa objecta materialia & sensibilia, ùt certum apud omnes est. Hæc ipsa objecta ità percipiebat sensibus, ut cognosceret Intellectu. Quia objecta, quæ ab homine percipiuntur sensibus, etiam Intellectu cognoscuntur. Positâ enim Causâ necessariâ, nec positô ullô impedimentô talis Causæ, ponitur effectus necessarius ejusdem. Sed sensus, eorúmque sensationes sunt causa necessaria respectu sensationis internæ, & Phantasmatis. Intellectus etiam agens in homine, est causa necessaria respectu abstractionis specierum intelligibilium à phantasmatibus. Ulteriùs, Species Intelligibiles excitatæ sensatione, simul cum Intellectu, sunt causa necessaria respectu cognitionis Intellectualis Objecti. Tandem cognitiones Intellectuales frequentatæ, sunt causa necessaria respectu habitûs Intellectualis, ac etiam respectu habitûs Scientiæ, si cognitiones sint certæ & evidentes. Ergo omnes hæ causæ, si non interveniat ullum impedimentum, causant suos effectus. Cùm igitur in Beata Virgine fuerint, & debuerint esse omnes hæ causæ, nec fuerint ullô impedimentô impeditæ, cùm hoc impedimentum nec ostendi, nec probari possit; eædem causæ in dicta Virgine causabant suos effectus. Ergo ulteriùs à primo ad ultimum, in Beata Virgine fuit Scientia acquisita, dependenter à sensibus & phantasmatibus.

211. Secunda pars probatur. Beata Virgo multa de novo processu temporis objecta sensibilia percipiebat sensibus, quæ aliquando non percepit, quamvis priùs perceperit aliqua. Ergo eorum objectorum, quæ sensu aliquo de novo percepit, acquisivit Scientiam; adeoque in Beata Virgine crevit Scientia extensivè, hoc est, ad plura objecta cognoscenda extendebat se processu temporis, ad quæ Scientia ejusdem Virginis acquisita non extendebat se primò. Crescebat etiam intensivè Scientia acquisita in Beata Virgine; quia certa objecta frequentiùs occurrebant sensibus Beatæ Virginis, adeoque & Intellectui obversabantur. Circa aliqua etiam objecta B. Virgo libentiùs & frequentiùs occupabatur. Circa hujusmodi igitur objecta, siquidem frequentiores, eósque sibi similes actus Intellectûs, seu cognitiones habuit, circa eadem habuit intensiorem Scientiam; hæc enim intenditur per additionem partium, seu graduum Scientiæ circa unum, idémque objectum; adeoque in Beata Virgine Scientia acquisita crevit intensivè.

## Pro ſolvendis Objectionibus

212. Noto primò. Etiamſi Scientia, quæ dicitur acquiſita, communiter, & ordinariè comparetur, & acquiratur dependenter à ſenſibus, & phantaſmatibus, tamen poteſt etiam Scientia acquiri, & comparari ſinè ſenſuum miniſterio. Si enim B. Virgo frequentâſſet aliquos actus Scientiæ per ſe infuſæ circa aliquod determinatum objectum, circa Humanitatem Filii ſui, & modum Conceptionis ejus in ſuo utero, talium actuum frequentatione acquiſitam Scientiam comparâſſet independenter à miniſterio ſenſuum, & independenter à phantaſmatibus; ſiquidem & ipſi actus, qui frequentarentur, eſſent ab his independentes. An verò Scientia illa acquiſita ex frequentatione actuum ſupernaturalium fuerit naturalis, an ſupernaturalis? inquiri poteſt. Sentiunt aliqui ex frequentatione actuum ſupernaturalium habitus acquiſitos generari itidem ſupernaturales. Alii cenſent etiam ex talium actuum frequentatione generari habitus naturales. Difficultas hæc reſolvi ſolet à Theologis in Materia de Virtutibus Theologicis.

213. Noto ſecundò. Non ſolùm Scientiam habitualem acquiſitam, ſed etiam Scientiam per ſe infuſam, & habitum infuſum Fidei in Beata Virgine creviſſe proceſſu temporis: aliter tamen crevit Scientia acquiſita, aliter Scientia per ſe infuſa ſupernaturalis, & habitus infuſus Fidei. Scientia acquiſita in B. Virgine crevit tam intenſivè, quàm extenſivè. Scientia per ſe infuſa ſupernaturalis, & habitus infuſus Fidei ſolùm creverunt intenſivè. Scientia acquiſita creſcebat per frequentationem ſolius Potentiæ Intellectivæ actuum, eorúmque ſibi ſimilium quò ad modum tendendi intentionaliter in objectum. Scientia infuſa ſupernaturalis, & habitus infuſus Fidei, creſcebant dependenter ab actibus voluntatis meritoriis gratiæ habitualis, vel dependenter ab iis, ad quorum poſitionem creſcebat gratia ex opere operato. Quia ſicut habitus infuſi ſupernaturales ad voluntatem ſpectantes, augebantur auctâ gratiâ; debent enim augeri proprietates aucta ſua radice, ut ſic proportionentur eidem, ità augeri oportuit etiam habitus infuſos ſupernaturales ad intellectum ſpectantes; ſiquidem non minùs hi, ac illi, ſunt proprietates gratiæ habitualis, debéntque illi proportionari tanquam ſuæ pariter radici. Cùm ergo gratia habitualis augeatur, & creſcat vel ratione meriti, vel per id, quod habet vim, & virtutem cauſandi gratiam ex opere operato, etiam habitus infuſus Fidei, & Scientia per ſe infuſa ſupernaturalis, per hæc ipſa principia, & ſimili modo, ac ratione creſcit, ſive crevit.

214. Noto tertiò. Inquiri poſſe etiam circa Scientiam per accidens infuſam. An hæc, & quomodo augeatur? Illud certum eſt, illam non augeri per meritum ſupernaturale, & in præmium talis meriti, quomodo augentur habitus infuſus Fidei, & Scientia per ſe infuſa. Hi enim in tantum augentur per dictum meritum, in quantum per illud augetur gratia habitualis, cujus illi habitus ſunt proprietates; gratia verò eſt ipſorum radix, & natura in ordine ſupernaturali. Cùm ergo aucta radice debeant augeri ſuæ proprietates, ut hæ proportionentur eidem radici, eò ipsò quò ad poſitionem meriti augeatur gratia habitualis, debent augeri etiam habitus Fidei, & Scientia per ſe infuſa ſupernaturalis. E contrà, Scientia per accidens infuſa, utpote entitativè naturalis, cùm non ſit proprietas gratiæ habitualis, nec gratia ſit radix talis Scientiæ, ideo auctâ per meritum ſupernaturale gratiâ, non debet augeri Scientia per accidens infuſa. Potuit tamen augeri, & probabiliter aucta eſt in Beata Virgine, alia ratione, Scientia per accidens infuſa, nimirum aucta eſt hac ratione, qua ratione augebatur Scientia propriè acquiſita, imò per ipſam Scientiam acquiſitam augebatur. Cùm enim Scientia per accidens infuſa ſit ejuſdem rationis cum Scientia acquiſita, nec ab illa entitativè differat, ſed nonniſi diversô productionis modô; Scientia per accidens infuſa poteſt intendi, & augeri per Scientiam acquiſitam, ſeu ex ratione, quâ Scientia propriè acquiſita intenditur, & augetur. Sicut calor à Sole productus, poteſt intendi, & augeri à calore per ignem producto.

§. IV.

## §. IV.

### An B. Virgo habuerit alicujus rei ignorantiam?

215. Præmitto. Per ignorantiam alicujus rei intelligi primò ignorantiam positivam, seu errorem positivum, quô quis per judicium falsum attribuit alicui rei prædicatum, eidem non conveniens. Vel negat prædicatum de objecto, quod de facto eidem convenit. Intelligitur deinde per ignorantiam ignorantia negativa, quæ est carentia, seu negatio notitiæ, ac scientiæ rei alicujus. Hæc subdividitur in ignorantiam privativam, & in ignorantiam merè negativam. Ignorantia privativa est carentia, seu defectus notitiæ debitæ cuipiam juxta statum ipsius & conditionem. Ignorantia merè negativa est carentia notitiæ, seu scientiæ indebitæ ac impertinentis ad hominis statum & conditionem. Ignorantia privativa est ignorantia propriè dicta, quæ maximè venit & intelligitur, dum inquiritur: An Beata Virgo habuerit alicujus rei ignorantiam? Ignorantia merè negativa est ignorantia minùs propria, & minoris considerationis apud Theologos. Hôc præmissô

216. Dicendum est, Beatam Virginem non habuisse unquam ignorantiam positivam, seu errorem positivum, & judicium falsum circa ullum objectum. Non habuisse itèm ignorantiam privativam. Habuisse verò ignorantiam merè negativam.

Primam Partem assertionis Suarez censet esse certam; opinionem verò huic contrariam dicit esse piarum aurium offensivam. Probatur. Tum quia B. Virgo eas habuit perfectiones, quas Adam habuit in statu Innocentiæ; illis caruit imperfectionibûs, quibûs in dicto statu caruisset. Cùm in hoc statu, idque Innocentiæ longè excellentioris condita & creata, seu concepta fuerit. Sed Adam in statu Innocentiæ habuit perfectionem cognoscendi objecta, juxta meritum eorundem, seu conformiter ipsis objectis; & in eodem statu caruit imperfectione erroris positivi, seu judicii falsi falsò enunciantis aliquid de objecto. Ergo pariter Beata Virgo habuit perfectionem cognoscendi objecta juxta meritum eorundem, & conformiter illis ipsis objectis. Tum quia Beata Virgo fuit immunis ab omni culpa tam originali, quàm actuali, ùt constat ex superiùs dictis. Ergo non fuit obnoxia errori & ignorantiæ positivæ, quæ est pæna peccati; sicut non fuit obnoxia privationi gratiæ, quæ inducitur in pœnam peccati. Licèt verò Beata Virgo fuerit obnoxia quibusdam non tam pænis, quàm potiùs pænalitatibus peccatum Adæ consecutis; ùt fuit obnoxia morti, fami, siti, frigori, & similibus, tamen non fuit obnoxia illis pænis, & pænalitatibus, quæ magnam indecentiam & imperfectionem spiritualem afferunt, & contemptibilem eum reddunt, in quo inveniuntur. Tales enim pænæ sive pænalitates sunt contra Dignitatem & excellentiam Virginis DEIparæ. Cùm ergo ignorantia positiva, & error positivus sit pæna aut pænalitas magnam indecentiam & imperfectionem afferens, & contemptibilem reddens eum, qui habet talem ignorantiam, & errorem, ignorantia hujusmodi, seu error non debuit dari, nec dabatur in Beata Virgine. Tum quia Beata Virgo neque errabat positivè advertenter, neque errabat positivè inadvertenter, hoc est, ità ut non adverteret se errare. Ergo non habuit errorem positivum. Antecedens probatur. Non errabat advertenter. Talis enim error est culpabilis; sicut enim advertenter dicere falsum, est culpabile, ità est culpabile advertenter assentiri falsò. Cùm ergo Beata Virgo nulli unquam culpæ obnoxia fuerit, non errabat positivè advertenter. Quia cùm careret fomite peccati, & passionibûs propriè dictis, non habuit ullos motus, & actus prævenientes rectam rationem & advertentiam, adeoque priusquam de aliquo objecto judicium ferret, debuit advertere, an hoc suum judicium rectum, & objecto conforme esset.

Confirmatur. Beata Virgo habuit perfectissimam & in gradu valde excellenti prudentiam, & tali semper utebatur, ipsâque in omnibus dirigebatur. Cùm ergo talis prudentia postulet, ut de rebus incertis non formetur facilè ju-

judicium directum & determinatum, ſed ut vel ſuſpendatur judicium de talibus objectis, vel ut expenſis bene priùs rationibus pro utraque oppoſitionis parte habeatur ad ſummum judicium reflexum, & modale, quô quis judicet probabile, veriſimile, vel apparens eſſe hanc v. g. rem ; ſeu objectum taliter ſe habere.

Beata Virgo de rebus incertis pro ſua ſumma prudentia, non habuit directum definitivum judicium, per quod errare poſſet poſitivè. Sed circa talia objecta aut judicium ſuſpendebat, aut certè locò propoſitionis, ſeu judicii directi, & de ineſſe, habuit illud judicium reflexum, & modale, per quod enunciabat, expenſis bene rationibus pro utraque parte, probabile, aut veriſimile, aut apparens eſt, v. g. objectum ità ſe habere. Addo. Cùm Beata Virgo habuerit ſcientiam per ſe infuſam certam & evidentem omnium rerum creatarum, quòd tunc, dum ſibi occurrebant objecta per principia ſcientiæ acquiſitæ incerta, utebatur ſcientiâ per ſe infusâ; quæ cùm eſſet certa & evidens, ac per ſpecies proprias, Beata Virgo per ipſam errare poſitivè non potuit.

217. Secunda pars Aſſertionis, nimirum, quòd Beata Virgo non habuerit ignorantiam privativam, probatur. Ignorantia privativa eſt carentia notitiæ & ſcientiæ, quæ Virgini Beatæ ſecundùm ſtatum & conditionem ipſius debebatur. Sed Beata Virgo non habuit carentiam talis notitiæ, & ſcientiæ. Ergo non habuit ignorantiam privativam. Minor probatur. Tum quia talis notitiæ carentia decebat dignitatem, & excellentiam Maternitatis DEI; eſt enim imperfectio animæ, & intellectûs, dedecens hominem, ignorare ſeu non cognoſcere, nec ſe reflectere ad ea, quæ muneris illius ſunt, & quæ pro ratione ſui ſtatûs & conditionis noſſe debet. Ergo Beata Virgo tali imperfectione caruit. Tum quia B. Virgo neq; illâ ſcientiâ, & notitiâ caruit, quæ illi debebatur ex ratione ſtatûs viæ & meriti, neque caruit illa notitiâ, quæ illi debebatur ratione Maternitatis DEI, neque illâ notitiâ, quæ illi debebatur tanquam Reginæ Angelorum, & hominum, & univerſorum, neque caruit notitiâ, quæ illi debebatur ex eo, quòd eſſet à Chriſto Mater omnium noſtrûm conſtituta, quod eſſet Advocata noſtra, Mediatrix inter nos, & ſuum Filium, reparatrix noſtra &c. Ergo Beata Virgo non habuit carentiam notitiæ, & ſcientiæ, quam pro ratione ſui ſtatûs, & muneris habere debuit. Antecedens probatur per partes. Imprimis Beata Virgo non habuit carentiam notitiæ eorum, quæ ex ratione ſtatûs viæ, & meriti noſſe illam expediebat. Quia Beata Virgo cùm fuerit in continuo exercitio actuum Charitatis DEI à primo rationis ſuæ uſu, in exercitio itêm aliarum virtutum; per quæ exercitia merebatur augmenta gratiæ, & ſuæ gloriæ, habuit, debuitque habere notitiam eorum omnium, quorum notitia conferebat ad merendum, & ad directionem actuum meritoriorum virtutum, adeoque Beata Virgo habuit notitiam rerum ſpectantium ad ſtatum viæ, & meriti. Hinc Beata Virgo quædam objecta cognoſcebat per habitum infuſum Fidei, nimirum per hunc cognoſcebat DEUM, & omnia myſteria revelata; ut Myſterium Trinitatis, Incarnationis, & ſimilia. Quædam objecta cognoſcebat per ſcientiam per ſe infuſam, nimirum objecta creata, ordinis tam naturalis, quàm ſupernaturalis, ut DEUM ex creaturis intuitivè cognitis perfectiùs cognoſceret, & vim meritorum ſuorum elevaret. Secundò, Beata Virgo non habuit carentiam notitiæ eorum, quæ pertinebant ad munus Maternitatis DEI. Cùm enim hanc DEUS elegerit in Filii ſui Matrem, volueritque eſſe dignam Matrem tanti Filii, voluit, ut quàm perfectiſſimè fungeretur tanto munere, adeoque voluit, ut omnem notitiam, & ſcientiam haberet, quæ eſſet neceſſaria ad dignam muneris hujus executionem. Debuit igitur Mater DEI cognoſcere, quàm eſſet, & deberet eſſe conjuncta DEO, quæ deberet obſequia, & amorem ſuo, & DEI Filio, quæ per hoc, quòd ſit in Matrem DEI aſſumpta, acceperit dona DEI, & privilegia, ad quantam dignitatem fuerit elevata. Tertiò, Beata Virgo non caruit notitiâ, & ſcientiâ, quæ illi tanquam Reginæ Angelorum ac hominum, ac Dominæ univerſorum neceſſaria fuit. Cognovit creaturas omnes,

maximè Angelos & homines suo dominio subditos, cognoscebat actus, & opera ipsorum, cognoscebat totum id, quidquid spectabat ad rectam gubernationem universi. Quartò. Quia Beata Virgo fuit Mater omnium hominum à Christo constituta, non caruit notitiâ, & scientiâ, quæ tali Matri debebatur. Per illam cognoscebat suos Filios, talésque aliquos futuros ex ipsis persecutoribus, & occisoribus Christi. Inter Filios sciebat aliquos esse degeneres, & indignos, qui inter ejus Filios censeantur, cognoscebat & illos Filios, qui filialem erga hanc Matrem testarentur, vel testaturi erant affectum, qui legem Matris suæ observarent, exempla Christi imitarentur, secundùm ejus doctrinam viverent. Cognoscebat, quæ suis Filiis providenda essent, quæ pro ipsis à DEO suo Filio postulanda, & impetranda essent, per quæ media illi ad hæreditatem Filiorum DEI perduci deberent &c. Quintò, Quia erat Advocata nostra apud DEUM, cognoscebat necessitates, & indigentias nostras, nostros ad se recursus: An ea, quæ per ipsam postulamus, non essent nobis nocitura &c.

Sextò. Quia erat Mediatrix inter nos, & Christum suum Filium, & quia erat refugium peccatorum, cognoscebat criminum nostrorum gravitatem, & fæditatem; DEI misericordiam, & ad parcendum, si ad ipsum in toto corde convertamur, promptitudinem, satisfactionis, & meritorum Christi infinitum valorem. Cognoscebat impænitentis cordis duritiem, cognoscebat; quæ esset vera, & salutaris pænitentia; quàm sincera hæc esse debeat; quàm constans, & quantæ firmitati propositi conjuncta &c. Ergo.

218. Tertia pars. Quòd Beata Virgo habuerit ignorantiam merè negativam, seu quòd ad aliquod tempus habuerit carentiam notitiæ alicujus objecti sibi hîc & nunc indebitæ & impertinentis ad suum statum & conditionem, probatur. Tum quia aliquæ Scripturæ, ùt illa Luc. 2do. Ubi de Beata Virgine, & Josepho Sponso ejus Castissimo dicitur. *Et ipsi non intellexerunt.* Et iterum, ubi Christus Sanctos suos Parentes sic alloquitur. *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Hæ inquam Scripturæ, non possunt intelligi nisi de ignorantiâ merè negativa. Certè per has Scripturas enunciatur, & affirmatur aliqua ignorantia de B. Virgine & Sponso ejus Sancto Josepho; Sed non enunciatur ignorantia positiva, seu error positivus, hunc enim non fuisse in Beata Virgine constat ex Num. 216. Neque affirmatur ignorantia privativa. Hanc enim non fuisse in Beata Virgine, ostensum est numero præcedente. 217. Ergo per has Scripturas enunciatur & affirmatur in Beata Virgine fuisse ignorantia merè negativa. Tum quia Beata Virgo non omnia simul & semper objecta cognoscebat, neque enim illa simul & semper cognoscebat per scientiam acquisitam, ùt probatum est num. 211. Neque illa simul, & semper cognoscebat per scientiam per se infusam. Quia per hanc scientiam licèt à primo instanti usûs rationis cognoverit quædam objecta, non tamen omnia. Cùm nulla fuerit necessitas, ut omnia simul cognosceret; Et cùm usus talis scientiæ dependeat à quibusdam conditionibus, circumstantiis, excitationibus, & similibus, quæ non adfuerunt semper sufficientes, ùt cognosceret simul intuitivè omnia. Ergo cognitis quibusdam objectis non cognovit aliqua alia, adeoque objectorum non cognitorum à se habuit ignorantiam merè negativam. Tum quia DEUS voluit, ùt ad breve tempus Beatam Virginem laterent aliqua objecta, ùt aliqua cognosceret per specialem revelationem, ut per revelationem Angeli Sancto Josepho in somno apparentis cognovit, & didicit, *quòd defuncti essent qui quærebant animam pueri.* Ergo talium objectorum Beata Virgo habuit aliquando ignorantiam merè negativam. Adverto: cùm ratione status, & conditionis Beatæ Virginis deberetur eidem notitia & scientia objectorum in aliqua differentia temporis existentium, hoc est præteritorum, præsentium, & futurorum, vix aliquorum ex his objectis habuit ignorantiam merè negativam, quæ toto vitæ tempore duraret, verùm quæ aliquandò ignoravit, cognovit deinde pro opportunitate temporis, & circumstantiarum. Concedi nihilominus potest, quòd objectorum purè possibili-

ſibilium, ſaltèm aliquorum, toto vitæ ſuæ tempore habuerit ignorantiam merè negativam.

## Pro ſolvendis Objectionibus.

219. Noto primò. Opinionem illam, quâ Chriſto duodenni manente in templo Hieroſolymitano, SS. Parentes ejus redeuntes Domum, exiſtimârunt *Chriſtum eſſe in comitatu* Cognatorum, non fuiſſe errorem poſitivum Beatiſſimæ. Quid quid ſit de eo; an Sanctus Joſeph tali opinione non erraverit poſitivè, & an ratione illius, hoc exiſtimantis, non ſit dictum, quod Parentes Chriſti exiſtimaverint illum in comitatu eſſe, non fuit, inquam, error poſitivus Beatæ Virginis; hæc enim non exiſtimavit definitivè, determinatè, & per judicium directum, ac de ineſſe; ſed exiſtimavit judiciò reflexô, & modali, ſic explicabili: Probabile, ac veriſimile eſt, Filium meum Chriſtum eſſe in comitatu cognatorum.

220. Noto ſecundò. Etiamſi admitti poſſit Adamum, dum ſtatum innocentiæ amitteret, deceptum à muliere, errorem poſitivum habuiſſe. Quamvis enim judicaverit non licere transgredi præceptum DEI, nec licere ſequi ipſum conſilium mulieris, & ſerpentis. Quia tamen præceptum transgrediendo, erravit errore practico; dici poteſt habuiſſe ignorantiam poſitivam, juxta axioma commune: *Omnis peccans ignorans.* Tamen in Beata Virgine error poſitivus nullatenus admitti debet. Tum quia B. Virgo in ſtatu innocentiæ ſtabilita, & confirmata fuit, nec innocentiam unquam amiſſura erat. Adam ità fuit in ſtatu innocentiæ, ut nullam neceſſitatem haberet in hoc ſtatu manendi; & defacto innocentiam amiſſurus erat. Tum quia Beata Virgo ratione Maternitatis DEI, in longè excellentioris innocentiæ ſtatu conſtituta fuit, ità ut tentationi tam internæ, quàm externæ non ſubeſſet, per quam in errorem induceretur. Adam non habuit ità munitam innocentiam, ut à tentatione liber & immunis eſſet, quia potiùs per tentationem deceptus & ſeductus eſt.

221. Noto tertiò, Beatam Virginem ità cognoviſſe, & ſciviſſe objecta exiſtentia, ut tamen illam ad certum tempus laterent aliqua ex eo, quòd DEUS vellet hæc ipſam latere. Non aliter enim ejus ſtatui; & conditioni debebatur notitia & cognitio certorum objectorum, niſi dependenter à voluntate & placito Divino. Proinde Beata Virgo ità cognoſcebat objecta, ut illorum notitia ratione ſtatûs, & conditionis illi deberetur; quæ, & pro quo tempore DEUS illam latere non voluit.

222. Noto quartò. Beatam Virginem cognoviſſe omnia objecta exiſtentia, præſentia, ac etiam futura, ex cauſis neceſſariis certò eventura. Hæcque objecta cognoviſſe partim per ſcientiam per ſe infuſam, partim per ſcientiam acquiſitam. Objecta abſentia futura libera, & ſecreta cordium cognoſcebat per revelationem DEI, & dependenter à placito ejuſdem; Ut verò hæc ipſa illi ſubinde revelarentur, conveniens & expediens fuit ſtatui B. Virginis, ejúsque conditioni, ac titulis, & muneribus in probatione Num. 217. expreſſis.

# PUNCTUM III.

## De merito Beatæ Virginis.

In præſenti puncto ſequentia examinabuntur. Primò. Quid, & quali meritò meruerit ſibi B. Virgo? Secundò. Quid, & quali merito meruerit aliis? Tertiò. Quanta fuerit præſtantia Meritorum Beatæ Virginis, & ex quibus deſumpta principiis?

## §. I.

### Quid, & quali meritò Virgo Beata ſibi meruerit?

223. Præmitto Primò. Per meritum, quô meremur præmium à DEO, intelligi obſequium à creatura rationali DEO præſtitum, bonitate. & æſtimabilitate ſua potens movere DEUM ad retributionem præmii. Meritum à quibusdam dividitur in meritum attractivum, compenſativum, & Diſpoſitivum. Per meritum attractivum, intelligitur meritum antecedens ſaltèm naturâ poſitio-

ſitio-

sitionem præmii, suáque bonitate & æstimabilitate movens & inducens præmiantem ad præmium conferendum. Hoc meritum ab aliis vocatur Meritum propriè inductivum præmii. à S. Augustino dicitur meritum impetratorium. Meritum compensativum est meritum, seu obsequium & naturâ & tempore posterius positione præmii, ordinatum per intentionem ponentis tale meritum in recompensationem dati antecedenter præmii. Inter meritum attractivum, & compensativum hæ solent assignari differentiæ. Primò. Quòd meritum attractivum ponatur ideo, ut detur, seu conferatur præmium, & vicissim datur, & confertur præmium, quia positum est, & præcessit meritum. Jam autem meritum compensativum ideo datur, quia collatum est præmium. Secundò hæc differentia assignatur. Quia ratione positi meriti attractivi merens est creditor, præmians est debitor, seu quia positô meritô attractivô, præmians habet obligationem quandam retribuendi præmii. Merens verò, seu ponens hujusmodi meritum, habet jus quoddam ad exigendum præmium. E contra in merito compensativo præmians est Creditor, merens est debitor, seu datô meritô compensativô in eo, qui accepit præmium, est obligatio quædam ponendi meritum compensativum. In præmiante est jus quoddam ad exigendam positionem meriti. Tertia differentia est. Quia, dum ponitur meritum attractivum, merens operatur, & ponit tale meritum ex spe, & cum spe recipiendi præmium. In merito verò compensativo præmians confert præmium ex spe, & cum spe obtinendi meriti. Nomine meriti Dispositivi hôc locô intelligitur specialis quædam cujuspiam aptitudo, ut illi munus aliquod, vel beneficium conferatur. Etiamsi aptitudo hujusmodi habeatur non tam ex obsequiis meritoriis liberè positis, sed potiùs ex naturali ejus, cui confertur beneficium, dispositione. Nimirum ex bona & singulari indole, ex ingenii & talentorum præstantia, sagacitate in rebus gerendis, animi magnanimitate, egregia corporis habitudine, modestia, & hilari animi submissione, moderatione affectuum, exquisita prudentia, & aliis, his similibus. Hæc meriti divisio rejicitur à plerisque Theologis, maximè ab iis, qui censent meritum compensativum implicare, & involvere contradictionem in terminis. Quod ipsum ego sensi, & docui Disput. 2. num. 99. & num. 109. in responsione ad quintam probationem. Divisio meriti in meritum attractivum, & in meritum dispositivum tolerabilior esse videtur. Quamvis & hæc divisio non satis quibusdam placeat. Quia est divisio in tales species, ex quibus meritum attractivum est meritum propriè dictum. Meritum dispositivum, prout suprà explicatum est, est meritum impropriè tale, ità ut nec rationem genericam meriti habeat.

224. Præmitto secundò. Meritum illúdque propriè tale divisione ab omnibus Theologis recepta, dividi: in meritum condignum, & in meritum congruum. Meritum condignum est obsequium creaturæ rationalis DEO præstitum, tantæ bonitatis & vis motivæ ad retribuendum præmium, ut sua æstimabilitate adæquet valorem præmii. Licèt verò in physicis æqualitas in indivisibili consistat, nec suscipiat magis & minus, moralis tamen æqualitas meriti cum præmio, quam in suo conceptu dicit condignitas meriti, admittit magis & minus. Condignitas enim hæc habet se permodum pretii justi & adæquati rei vendibilis. Quare sicut pretium justum rei vendibilis aliud est infimum, aliud medium, aliud summum. Ità & præmium condignum aliud est infimum, aliud medium, aliud summum. Meritum condignum summum fuit v. g. Meritum Christi quà tale, quia fuit meritum summi & infiniti valoris, & meritum superabundans. Meritum condignum infimum, respectu augmenti gratiæ, sunt v. g. merita Justorum. Pariter præmium condignum, aliud est præmium infimum, aliud medium, aliud summum. Præmium condignum summum est mensura bona conferta, coagitata & supereffluens. Præmium condignum summum est denarius diurnus datus ei, qui unâ horâ in vinea laboravit. Meritum congruum est obsequium à creatura rationali DEO præstitum, quod quamvis sua bonitate & æstimabilitate non adæquet præmium, obtinet tamen illud accedente

dente liberalitatē præmiantis, & supplente defectum æstimabilitatis ad condignitatem requisitæ. Tale meritum congruum est contritio supernaturalis à peccatore elicita. Hæc enim secundùm se spectata, cùm eliciatur à peccatore, & homine indigno, non est, nec potest esse condigna, nec æqualis gratiæ remissivæ peccati; quæ tamen gratia ex quadam congruitate, accedente liberalitate & Misericordia DEI, confertur intuitu contritionis elicitæ à peccatore in præmium ejusdem. Adverto hìc, ad rationem meriti propriè dicti sex conditiones requiri. Prima conditio est, ut meritum sit obsequium, & actio libera. Actio enim necessaria, sicut non est imputabilis ad laudem, vel vituperium, ità nec est imputabilis ad meritum vel demeritum. Secunda conditio est, ut meritū sit actio honesta, seu bona, idque ut sit bona ex omnibus circumstantiis, seu, ut sit bona ex integra causa, hoc est: conformis dictamini conscientiæ proponenti regulam morum, & honestatem talis actionis, attentis quibusvis circumstantiis, in quibus ponitur eadem actio. Per actionem enim inhonestam & malam, per actionem itèm secundùm se & ex objecto bonam, sed per aliquid vitiatam, v. g. per finem malum, aut aliam circumstantiam, demeremur potiùs, & non meremur. Tertia conditio est; ut meritum præmii supernaturalis sit actio intrinsecè supernaturalis; debet enim proportionari præmio supernaturali, quod confertur à DEO in retributionem pro merito. Quòd si meritum fuerit meritum de condigno, debet insuper procedere à subjecto grato, seu habente gratiam sanctificantem, aut aliam formam sanctificantem, quæ dignificet merita. DEUS enim sicut respexit ad Abel, & ad munera ejus, ità in præmiandis meritis justorum respicit ad justitiam & dignitatem ipsorum, tum etiam respicit ad obsequia, quæ ex gratia, & in statu gratiæ justi ponunt, illáque ùt condigna præmiat. Quarta conditio est, quòd meritum debeat vel formaliter, vel virtualiter referri in finem supernaturalem ultimum, debeátque esse aut actus virtutis respicientis DEUM, aut elici ex imperio talis virtutis. Quales virtutes sunt: virtutes Charitatis, Spei, Religionis, obedientiæ supremo Legislatori &c. Quinta conditio est, ut actio meritoria ponatur ab homine Viatore. Beati enim & damnati, utpote in termino viæ constituti, non possunt sibi quidquam ampliùs mereri; sibi, inquā, non possunt mereri. Beati enim aliis viatoribus possunt mereri de congruo, & impetrare multas gratias præcipuè actuales, & alia DEI beneficia. Et de facto id ipsum præstant. Sexta demum conditio, quam quidam Theologi requirunt, licèt eam requiri alii negent, est, ut inter merentem & præmiantem intercedat pactum, & quidam contractus, per quem DEUS præmians promittat præmium sub conditione onerosa ponendorum meritorum, & merens acceptet promissionem, ac legi se subjiciat de ponendis meritis in ordine ad assecutionem præmii.

225. Præmitto tertiò. Beatam Virginem multa dona, favores, & privilegia à DEO accepisse, de quibus inquiri potest, & solet: An talia dona meruerit, & quali meritò? Hujusmodi dona sunt: sanctificatio animæ ipsius in primo Conceptionis instanti, Maternitas DEI, augmenta gratiæ sanctificantis & donorum infusorum supernaturalium acquisita vel ex opere operato, vel per propria merita. Quòd Beata Virgo primam animæ suæ sanctificationem non meruerit, docent pauci aliqui Theologi; Magis tamen cōmuniter docetur, quòd hanc sanctificationem meruerit meritò propriè dictô, sed congruô. Docetur præterea, quòd Beata Virgo meruerit Maternitatem meritò attractivô, & propriè inductivô præmii; non verò meritô dispositivo & impropriè dictô, nec meritô compensativô. Meritô, inquam, attractivô congruuô, non meritô condignô. Quòd Beata Virgo augmenta gratiæ habitualis & habituum infusorum supernaturalium meruerit, extra controversiam est; facilèque ab omnibus Catholicis Doctoribus conceditur, quòd Beata Virgo meruerit de condigno pleraque augmenta gratiæ sanctificantis, & habituum supernaturalium infusorum. His præmissis

226. Dicendum est primò. Beatam Virginem meruisse verè & propriè primam sui sanctificationem, quam accepit

pit in prima creatione Animæ, & ejuſdem Corpori infuſione. Sed meruiſſe nonniſi de congruo.

Prima pars Aſſertionis probatur. Ex una parte Beata Virgo potuit habere ſuam primam ſanctificationem dependenter à proprio merito. Ex altera parte decebat, ut Beata Virgo primam ſuam ſanctitatem, & ſanctificationem haberet dependenter à proprio merito. Nec id Scripturis aut Patribus repugnat. Ergo.

Antecedentis prima pars probatur. Potuit imprimis Beata Virgo primam ſui ſanctificationem habere dependenter à proprio merito. Tum quia nulla eſt implicantia in primæ ſanctificationis dependentia à proprio merito. Quæ enim eſt talis implicantia? Tum quia, ſi ex aliqua ratione implicaret Beatæ Virginis meritum propriæ primæ ſanctitatis & ſanctificationis, implicaret ex hac ratione, quia meritum propriè tale inductivum propriè præmii debet præcedere præmium. Meritum verò Beatæ Virginis non poteſt præcedere ſanctificationem primam, tanquam ſui præmium. Siquidem in primo inſtanti animationis Beatæ Virginis poneretur prima ejus ſanctificatio, ante quod inſtans non poteſt eſſe meritum, cùm hoc ante animationem B. Virginis dari non potuerit. Sed ex hac ratione non implicat. Meritum enim propriè tale præmii, licèt debeat præcedere præmium, tamen debet illud ſolùm præcedere naturâ, non duratione, nec tempore, quæ præceſſio ſeu prioritas haberi poteſt, exiſtente in eodem inſtanti reali tam merito, quàm præmio. Sicut ſol præcedit naturâ lucem, non duratione & tempore, ità ut licèt Sol & lux exiſtant in eodem inſtanti reali temporis, tamen Sol præcedit lucem, éſtque prior naturâ luce. Ergo. Tum quia ex hac adhuc ratione prima ſanctificatio Beatæ Virginis non poſſet haberi ex meritis ipſius. Quia dicta ſanctificatio haberetur ex meritis Chriſti, illorúmque intuitu. Sed hæc ratio non obſtat. Unum enim idémque præmium poteſt haberi & ex meritis Chriſti, & ex meritis accipientis præmium. Et ſic ſanctificatio hominis adulti, accipitur & ex meritis Chriſti, & ex propria ejus, qui juſtificatur, diſpoſitione per actus meritorios de congruo dictæ juſtificationis. Ergo & prima Virginis ſanctificatio potuit haberi, & defacto habita fuit & ex meritis Chriſti, & ex merito Beatæ Virginis.

227. Ejuſdem Antecedentis pars altera probatur. Tum quia Beatam Virginem decuit, ut ſanctificationem primam Animæ ſuæ haberet quàm glorioſiſſimè. Ergo decuit, ut haberet illam ex merito. Habere enim primam ſanctitatem & ſanctificationem ex merito, eſt habere illam glorioſiùs, quàm habere independenter à merito. Quia habere aliquid ex merito ſuo, eſt habere illud aliquomodo à ſe cum imitatione modi habendi, quo DEUS habet ſuas perfectiones. Confirmatur. Glorioſius eſt juſtificationem habere ex merito proprio, quam ſinè merito. Et ſic homines adulti, qui juſtificantur dependenter à propria diſpoſitione, & merito de congruo, glorioſiùs ſuam juſtificationem accipiunt, quàm infantes, qui in Baptiſmo ipſis collato juſtificantur absque omni diſpoſitione per ſuos actus, & absque omni ſuo merito. Ergo glorioſius fuit etiam Beatæ Virgini, ut primam ſuam ſanctificationem acciperet ex proprio merito, quàm ut illam haberet ſinè tali merito. Tum quia, ſicut decuit, ut Beata Virgo in primo ſtatim vitæ ſuæ inſtanti haberet uſum perfectum rationis; & eo ſtatim inſtanti eliceret actum valde intenſum Charitatis DEI, ex libera ſui determinatione ad talem actum, ità decuit, ut hoc ſtatim actu mereretur, cùm hic actus habuerit omnem ſufficientiam ad eſſe meriti de congruo. Ergo decuit, ut hoc actu mereretur primam ſui ſanctificationem & gratiam habitualem primò ſibi collatam, adeoque decuit, ut Beata Virgo primam ſuam ſanctificationem haberet ex merito proprio. Tum quia decuit, ut Beata Virgo primam ſui ſanctificationem haberet non infantili modo, ſeu non more infantium necdum uſum rationis habentium, ſed ut ipſam haberet more adultorum ratione & libertate utentium. Cùm ſanctiſſima Virgo in primo ſtatim inſtanti Conceptionis, & animationis ſui Corporis, habuerit uſum rationis requiſitum ad DEUM abſtractivè cognoſcendum & amandum, ac etiam ad merendum. Talis enim rationis & libertatis

usus convenientissimus fuit Virgini Matri, & ipsam maximè decebat. Siquidem ergo habere sanctificationem more adultorum, seu eorum, qui usum rationis habent, est eam habere dependenter à proprio merito; taliter enim Angeli acceperunt suam sanctificationē, nimirum à propria dispositione, & merito. Homines etiam adulti taliter accipiunt suam justificationem, qui non justificantur, nisi dependenter à prævia dispositione & merito de congruo suæ justificationis. Bene indè infertur Beatam Virginem, suam sanctificationem primam accepisse dependenter à proprio merito.

228. Hujus ipsius Antecedentis tertia pars probatur; illa nimirum pars. Quòd Beatam Virginem meruisse sibi primam sanctificationem, nec Scripturis, nec Patribus repugnet. Quia nullibi in Scripturis vel Patribus oppositum legitur. Theologi verò tenent communissimè Beatam Virginem, suam primam sanctificationem habuisse dependenter à proprio merito. Ex quo ipso facilè deducitur Beatam Virginem meruisse sibi primam sanctificationem, & primam gratiam sanctificantem, etiamsi Scripturæ & Patres id expresè non asserant; juxta Regulam S. Augustini Ser. de Assumpt. traditam. *Ubi Scriptura Divina nihil de Virgine commemorat, inquirendum est, quod conveniat rationi, fiatque ipsa ratio authoritas, sinè qua nec est, nec valet Authoritas.*

229. Secunda pars Conclusionis, illa nimirum: Quòd Beata Virgo meruit primam sui sanctificationem merito verè & propriè tali, eo tamen nonnisi congruo, Probatur. Actus charitatis, quem Virgo Beata elicuit primo instanti infusionis animæ in Corpus suum, habuit omnes conditiones meriti verè & propriè talis, enumeratas num. 224. exceptô, quòd actus Charitatis primo instanti Vitæ elicitus, non processit à subjecto, quod pro priori esset gratum DEO, haberetque formam sanctificantem, quæ dignificaret illud ipsum meritum, & redderet condignum. Ex quo ipso habetur, meritum Beatæ Virginis, quo primam sanctificationem meruit, fuisse meritum nonnisi de congruo. Illud enim est meritum de congruo, quod est obsequium à pura creatura præstitum, sua bonitate & æstimabilitate movens ità præmiantem ad conferendum præmium, ut non adæquet præmium. Sed actus Charitatis, quo Beata Virgo disposuit se ad primam sui sanctificationem, fuit obsequium à pura creatura præstitum, sua bonitate & æstimabilitate movens ità DEUM præmiantem ad conferendam primam Virginis sanctificationem, ut non adæquaret tale præmiū. Ut enim illud adæquaret, deberet fieri à merente positivè grato, & digno, seu ut obsequium meritorium dignificaretur à gratia sanctificante. Sed actus Charitatis à Beata Virgine primo Conceptionis instanti elicitus, non fuit obsequium præstitū à merente positivè grato, nec fuit obsequiū dignificatum à gratia sanctificāte. Quia actus ille Charitatis prout est dispositio ad gratiam habitualem non habet se pro priori, neque pro illo priori supponit gratiam, per quam dignificetur idem actus; & ratione cujus B. Virgo sit positivè grata DEO, ejúsque obsequium sit dignum præmiô commensurativè ad dignitatem & excellentiam præmii. Ergo.

230. Dices. Actus Charitatis in primo instanti vitæ, à Beata Virgine elicitus, habuit totam rationem condignitatis, seu meriti condigni. Quia in illo instanti fuit & ipsum obsequium movens DEUM sua bonitate & æstimabilitate ad conferendam primam sanctitatem, & in eodem instanti fuit sanctitas; quæ duo requiruntur & sufficiunt ad rationem meriti condigni, & quibûs positis impossibile est non poni meritum condignum. Siquidem positô subjectô capacî denominationis, formâ potente tribuere denominationem, & applicatione sufficiente formæ denominantis ad subjectum, impossibile est non poni denominationem. Porrò in primo instanti animationis & vitæ Beatæ Virginis, suppositô, quòd in hoc instanti fuerint actus Charitatis supernaturalis elicitus à Beata Virgine, & prima ejusdem sanctitas, & sanctificatio, fuerunt hæc: subjectum capax denominationis meriti condigni, nimirum fuit actus charitatis, illo statim instanti à Beata Virgine elicitus, qui, cùm fuerit ejusdem rationis cum aliis actibus Charitatis à Beata Virgine

gine in ulteriori vita elicitis; sicut illi fuerunt meritorii condignè, & capaces denominationis meriti condigni. Ità & actus charitatis à Beatâ Virgine in primo instanti vitæ elicitus, fuit capax denominationis meriti condigni. Fuit etiam in primo instanti vitæ B. Virginis forma potens tribuere denominationem meriti condigni. Quia in primo statim vitæ instanti fuit Sanctitas; seu gratia sanctificans, quæ est forma potens actui libero honesto supernaturali tribuere denominationem meriti condigni. Fuit postremò debita applicatio formæ ad subjectum. In ordine enim ad tribuendam denominationem meriti condigni, non alia requiritur applicatio formæ ad subjectum, nisi unio physica formæ sanctificantis cum subjecto merente, & coexistentia formæ sanctificantis unitæ ipsi merenti cum actu meritorio, qui est subjectum denominationis. Ergo primus actus charitatis B. Virginis, in primo instanti elicitus habuit totã rationẽ meriti condigni, seu totũ id, quidquid requiritur ad esse meriti cõdigni, adeoq; hic actus nõ fuit præcisè meritũ congruum.

Respondeo Negando Antecedens. Probationem Distinguo. In primo instanti vitæ B. Virginis fuit & ipsum obsequium sua bonitate & æstimabilitate DEUM potens movere ad conferendam primam Sanctitatem; & in eodem instanti fuit Sanctitas collata independenter à dicto obsequio meritorio, tanquã à causa suâ morali. Nego probationem. Et in eodem instanti fuit Sanctitas collata dependenter ab obsequio meritorio, tanquã à causa suâ morali. Concedo Probationem. Distinguo itèm illud, quod ulteriùs additur. Hæc duo: Obsequium meritorium; & Sanctitas habitualis comparata ad se, ut causa moralis, & effectus, requiruntur ad rationem meriti condigni. Nego. Hæc duo: Obsequium meritorium; & Sanctitas comparata taliter, ut nec obsequium sit causa moralis sanctitatis; nec sanctitas sit effectus moralis obsequii, requiruntur ad rationem meriti condigni. Concedo. Et dico ulteriùs, Obsequium meritorium primæ sanctitatis, non esse subjectum capax capacitate proximâ, & completâ ad denominari meritum condignum à sanctitate; quam moraliter meritoriè causat. Nec sanctitas meritoriè causata ab obsequio, seu actu meritorio, est forma potens tribuere tali obsequio denominationem meriti condigni, &c. Cujus ipsius Ratio est. Quia de ratione meriti condigni est, ut meritum condignum quà tale, hoc est, sumptum tam secundùm ipsum actum meritorium, quàm secundùm formam dignificativam meriti, moveat præmiantem ad conferendum præmium; & ut utriusque intuitu conferatur præmium, DEO respiciente & ad ipsum Abel, ejúsque sanctitatem; & ad munera ejus. Adeoque de ratione meriti condigni est, ut ante præmium præsupponatur tam actus meritorius; quàm forma dignificativa meriti. Sed DEUS præmiaturus meritum sanctitate prima in præmium collata, non potest moveri ad conferendam sanctitatem primam tam obsequio seu actu meritorio, quàm sanctitate primâ, tanquam formâ dignificativâ meriti; nec potest sanctitatem primam conferre intuitu horum duorum, nimirum intuitu actûs meritorii; & intuitu sanctitatis primæ, tanquam formæ dignificantis meritum. Quia hôc ipsô forma dignificans meritum; seu sanctitas prima præsupponeretur ante se ipsam; & DEUS intueretur pro priori sanctitatem primam, pro quo hæc non esset, vel intueretur illam, & pro priori, & simul pro posteriori comparatè ad se ipsam; quod implicat. Ergo. Hinc patet in primo instanti vitæ & sanctificationis Beatæ Virginis, non fuisse tria illa requisita, quæ & qualia requiruntur ad denominationem meriti condigni. Etiamsi enim in hoc instanti fuerit actus supernaturalis charitatis, elicitus à Beata Virgine, hic tamen actus non fuit subjectum capax; ut denominaretur meritum condignum à sanctitate prima, quam meritoriè causabat. Non fuit etiam forma potens tali actui charitatis tribuere denominationem meriti condigni. Effectus enim moralis ipsius actûs charitatis tanquam causæ meritoriæ, non est forma potens tali suæ causæ tribuere denominationem meriti condigni. Non fuit tandem applicatio debita formæ ad subjectum. Applicatio enim requisita ad tribuendam denominationem meriti condigni, est coexistentia formæ digni-

 fi-

ficantis, ipsi actui meritorio, tanquam subjecto, non solùm pro eodem instanti reali temporis, sed etiam pro eodẽ signo naturæ, hoc est, coexistentia pro eodem priori naturæ, seu ut forma dignificans & denominans meritum, non sit effectus moralis actûs moralis, nec talem effectũ denominet meritum condignum.

231. Dicendum est secundò. Maternitatẽ DEI Virgo B. meruit, non meritô merè dispositivô, nec meritô compensativô præmii antecedenter collati. Sed meritô propriè tali inductivô, & attractivô præmiantis, ad conferendũ præmiũ, intuitu meriti præexistentis. Meritô tamen nonnisi congruô, non condignô.

Ratio primi est. Etiamsi B. Virgo habuerit maximas naturæ & gratiæ dotes, quæ Matrem DEI decebant, adeoque ex his dotibus habuerit summam aptitudinem, ut in Matrem DEI assumeretur, tamen præter talem aptitudinem habuit aliud meritum propriè tale, quô Maternitatem DEI meruit, consistens in actibus liberis supernaturalibus virtutum. Tum quia gloriosius est Beatæ Virgini habuisse Maternitatem DEI in præmium suarum virtutum, & actuum liberorũ meritoriorũ, & non præcisè ratione suæ eximiæ indolis, & aptitudinis provenientis ex donis & dotibus naturæ & gratiæ sibi collatis. Quia gloriosius est Virgini Beatæ, quòd Maternitatem DEI acceperit in præmium meriti proprii, & propriè dicti. Porrò meritum proprium Beatæ Virginis propriè dictum, sunt actus liberi virtuosi, & meritorii Beatæ Virginis ex propria libera determinatione voluntatis positi. Aptitudo verò ex Indole egregia, & dotibus præcipuis gratiæ & naturæ, non est meritum propriè dictum, nec in omni rigore proprium. Nostra enim non sunt, quæ non fecimus ipsi. Ergo. Tum quia dotes naturæ & gratiæ B. Virgini collatæ sunt potiùs effectus Maternitatis DEI, non verò Maternitas DEI est effectus aptitudinis proveniens ex naturæ & gratiæ dotibus. Nam B. Virgini in tantum prædictæ dotes collatæ sunt, in quantum tales dotes habere decebat Matrem DEI. Et in quantum collatæ illi fuerunt, eo respectu & intuitu, quòd in Matrem DEI assumenda fuerit; & in quantum in talem Matrem electa fuit, ut per illas dotes dignum Filii DEI habitaculum efficeretur. Porrò de ratione meriti, etiam merè dispositivi est, ut sit dispositio, sive causa præmii, non verò ut sit effectus ejusdem.

232. Ratio secundi est. Tum quia meritum compensativum est implicatorium, ut constat ex dictis Num. 223. & aliis numeris ibi citatis. Ergo tali meritô B. Virgo non meruit Maternitatem DEI. Tum quia admisso gratis tali merito, aut potiùs admissa compensatione beneficii antecedenter collati, quæ compensatio per abusum vocis, meritum dicitur: B. Virgo non solùm grata fuit beneficii per Maternitatem DEI sibi collati, illudque suis obsequiis compensabat; sed etiam ipsam Maternitatem DEI meruit meritô inductivô & attractivô præmiantis ad conferendam sibi eandem. Cùm gloriosius fuerit Virgini Beatæ, sic eam mereri. Quia hac ratione magis propriè ex proprio merito accepit Maternitatem DEI, quia itèm ponendo meritum inductivum & attractivum plures, easque præcipuas, quia Theologicas exercuit virtutes, quàm exerceret ponendo meritum compensativum. Exercuit enim non solùm actum Fidei & charitatis, sed etiam actum spei, per quem innitebatur fidelitati & promissioni DEI de retributione præmii pro meritis. Quem actum spei non posset elicere ponendum meritum compensativum; frustra enim speratur præmium retribuendum, quod præmium habetur, & possidetur. Tum quia Christus Dominus non solùm illis hominibus, qui post Adventum ejus victuri erant, meruit gratias, media salutis, & remissionem peccatorum, meritô inductivô & attractivô, sed etiam Patribus Antiquis, qui ante Christi Adventum existebant, hæc ipsa meruit meritô non compensativô, sed meritô propriè tali, inductivô & attractivô; ut docent communiter Antiquiores Theologi asserentes Patribus Antiquis datas fuisse gratias, & quæcunque dona in remunerationem meritorum Christi, quæ positurus erat. Ergo & B. Virgo meritô propriè tali inductivô & attractivô, & non præcisè meritô compensativô meruit Maternitatem DEI, cùm tali merito mereri eam potuerit, & decuerit, ut sic mereretur, ipsó-

ipsóque modò merendi imitaretur Christum suum Filium, supposito præsertim, quòd merita Beatæ Virginis præcesserint Maternitatem DEI.

233. Ratio tertii est. Tum ab Authoritate Scripturarum & Patrum asserentium, quòd B. Virgo meruerit Maternitatem DEI, & quòd hanc acceperit in præmium suarum virtutum, maximè humilitatis. Lucæ 1. Beata Virgo in suo Cantico testatur Maternitatem DEI se accepisse in præmium suæ humilitatis. *Magnificat Anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo. Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ.* S. Elisabeth Fidem Beatæ Virginis dicit fuisse meritum, quô meruit, ut conciperet & pareret DEI Filium, dum dicit: *Beata, quæ credidisti, quia perficientur in te, quæ dicta Tibi sunt à Domino.* SS. Patres etiam censent Beatam Virginem illo suo humili assensu: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum*; meruisse Maternitatem DEI. S. Aug. serm. 21. de tempore. *Responde jam Virgo, vitam quid tricas mundo. Assensum tuum Angelus præstolatur, inde est, quòd nuntius iste moratur.* Et lib. de natura & gratia. *Concipere meruit & parere.* S. Bernardus homil. 4. super *Missus est*, sic B. Virginem alloquitur. *Ecce offertur tibi pretium salutis nostræ. statim liberabimur, si consentis. In sempiterno DEI verbo facti sumus omnes, & ecce morimur, in brevi tuo responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat à Te pia Virgo flebilis Adam cum misera sua Sobole exul ex Paradiso. Hoc Abraham, hoc David, hoc totus Mundus tuis genibus provolutus expectat, &c. Ipse quoque omnium Rex & Dominus, quantùm concupivit decorem tuum, tantùm desiderat & responsionis assensum, &c. Nunquid non hoc est, quod quærebas, quòd gemebas, quod diebus & noctibus orando suspirabas? Quid per aliam expectas, quod per Te mox exhibebitur, dummodo præbeas assensum?* Rupertus sic habet: *Postquam Virgo bene credula os suum aperuit, ut diceret: Ecce Ancilla. Spiritus Sanctus per apertas fidei januas se se infudit in templum sacri uteri, ut Matrem DEI efficeret.* S. Thomas in 3. parte Quæst. 2. Artic. 11. ad 3. sic habet. *Beata Virgo dicitur meruisse portare Dominum Christum, quia meruit eum puritatis gradum, ut congruè esset Mater DEI.* Et in 3. Distinct. 4. Quæst. 3. Artic. 1. ad 6. *Beata Virgo non meruit Incarnationem, sed præsupposita Incarnatione meruit, quod per eam fieret.* Omnes hæ, & aliæ his similes Authoritates cùm accipi debeant in sensu proprio, & in propria verborum significatione; siquidem nihil obest eas sic accipi, intelligendæ sunt de merito propriè dicto, quòd tali meritò B. Virgo meruerit sibi Maternitatem DEI. Ergo. Tum quia actus ille humilitatis, & assensûs, quem B. Virgo Angelo Incarnationem nuntianti expressit per illa verba: *Ecce Ancilla Domini.* Imò per hunc assensum plures exercitæ virtutes, scilicet, virtutes Fidei, humilitatis, obedientiæ, amoris DEI, & proximi &c. Illi itèm actus, quos B. Virgo eliciebat evolvendo Scripturas, relegendo, & meditando Prophetias de Adventu Christi, de conceptu & partu Virginis. Illa itèm desideria illius: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum.* Hi, inquam, omnes actus habuerunt rationem meriti propriè dicti Maternitatis DEI. Quia habuerunt conditiones meriti propriè dicti Numerò 214. præter æqualitatem meriti cum præmio, quæ est de ratione meriti condigni, præcipuè verò ex eo, quia hi actus fuerunt virtuosi, liberi, supernaturales, potentes sua bonitate & æstimabilitate movere DEUM, ad conferendam Beatæ Virgini Maternitatem DEI, in præmium eorundem actuum. Ergo. Tum quia gloriosius fuit Beatæ Virgini, Maternitatem DEI habuisse dependenter à proprio merito propriè dicto, sicut gloriosius eidem fuit, hanc ipsam Maternitatem DEI habuisse dependenter à proprio libero assensu, independenter à quo absolutè illam habere potuit. Ergo Maternitatem DEI habuit dependenter à tali merito, sicut illa habuit dependenter à libero suo assensu; cùm præsertim assensus liber Virginis in esse Matris DEI, fuerit meritū propriè dictum inductivum Maternitatis DEI.

234. Ratio quarti est. Tum quia de ratione meriti condigni puræ creaturæ, respectu alicujus præmii est, ut meritum illud non compensetur ad æqualitatem alio diverso præmio. Si enim compensetur ad æqualitatem uno præmio aliquo, hôc ipsô non potest esse meritum condignum alterius diversi præmii.

Cùm tale meritum, utpote meritum puræ creaturæ, ſit finitum; ſit limitatum; valoris & æſtimabilitatis finitæ, ità unum præmium adæquantis; ut ad alterum præmium non ſe extendat; nec illi ampliùs commenſurari debeat; ſed totus valor inſumatur, & impendatur in unius præmii adæquati meritum. Atqui merita Beatæ Virginis fuerunt talia, ut compenſarentur ad æqualitatem certô determinatô præmiô, nimirum, ut compenſarentur ad æqualitatem augmentô gratiæ habitualis, & gloriæ, totúſque valor meritorum Beatiſſimæ impenderetur & inſumeretur in augmentum propriæ gratiæ & gloriæ. Secundùm præſentem enim providentiam, valor meriti cujuſque puri hominis impenditur obtinendo augmentô propriæ gratiæ & gloriæ, ùt dictum eſt Diſp. I. Num. 237. Ergo merita Beatæ Virginis non ſunt merita condigna reſpectu Maternitatis DEI, illam ex condignô obtinentia. Tum quia ad eſſe meriti condigni reſpectu præmii Ordinis hypoſtatici, non ſufficit quæcunque dignitas, & quæcunque forma dignificans etiam ordinis inferioris. Si enim dignitas meriti fuerit ordinis inferioris; præmium verò fuerit ordinis ſuperioris; inæqualitas eſt inter meritum & præmium, nec meritum poteſt eſſe æquale præmiô. Sed Maternitas DEI eſt præmium ordinis hypoſtatici, propter ſpecialem relationem ad eſſe hypoſtaticum Chriſti. Condignitas verò meriti Beatiſſimæ à gratia ſanctificante, tanquam à forma dignificativa meriti, quæ gratia eſt ordinis inferioris; quàm ſit ordo hypoſtaticus. Ergo meritum Beatæ Virginis non habuit ſufficientem condignitatem, ad obtinendam Maternitatem DEI. Tum quia Beata Virgo meruit meritò propriè tali inductivo præmii Maternitatem DEI, ùt oſtenſum eſt numero præcedente. Sed non meruit illam meritô condignô, ùt conſtat ex rationibus immediatè adductis. Ergo meruit eandem meritô congruô. Confirmatur. Actus humilitatis & obedientiæ per aſſenſum Virginis Angelo Incarnationem nuntianti, eliciti, habent omnem proportionem ad eſſe meriti de congruo, reſpectu Maternitatis DEI, non minùs, imò longè magis, quàm contritio perfecta à peccatore elicita habeat proportionem ad eſſe meriti congrui juſtificationis. Ergo hi actus fuerunt meritum de congruo Maternitatis DEI, adeoque Beata Virgo meruit de congruo Maternitatem DEI. Tum quia, ſi quid obeſſet, quò minùs B. Virgo mereretur Maternitatem DEI, hoc obeſſet, quòd omni ſuo actu meritorio meruerit de condigno augmentum gratiæ & gloriæ. Sed hoc non obeſt. Idem enim actus poteſt eſſe meritorius de condigno unius præmii; & ſimul meritorius de congruo alterius præmii. Juſti enim Viatores bonis ſuis operibus ſibi ipſis merentur de condignô augmentum gratiæ & gloriæ. Aliis verò, pro quibus DEUM deprecantur, illáque bona ſua opera offerunt; merentur de congruo auxilia actualia gratiæ, & varia beneficia. Patres enim Antiqui, illis ipſis actibus virtuoſis, quibus ſibi merebantur de condigno augmenta gratiæ; merebantur de congruo accelerationem Incarnationis, aliáſque circumſtantias, ùt cum S. Thoma docent Theologi. Ergo.

235. Adverto, meritum congruum, quô Beata Virgo Maternitatem DEI meruit, etiamſi non habuerit condignitatem, reſpectu talis præmii, tamen intrà rationem meriti congrui principatum facilè obtinuiſſe, fuiſſéque in ratione talis meriti valde præſtans & excellens, ac ſingularis bonitatis & æſtimabilitatis; alia merita purarum creaturarum multùm excedens & ſuperans, tum ratione intenſionis actuum meritoriorum, & ratione motivorum; quæ reſpiciebant tales actus, aliáſque perfectiones intrinſecas eorundem actuum; tum ratione gratiæ ſanctificantis, quâ dignificabantur merita Beatæ Virginis; licèt enim gratia ſanctificans Beatæ Virginis non dignificaret ità merita illius; ut ea redderet condigna & æqualia Maternitati DEI, tanquam ſuo præmio; tamen magnam dignitatem tribuebat ipſi merito, ut intrà rationem meriti congrui eſſet æſtimabilius aliis meritis purarum creaturarum, tantúmque ſuperaret merita aliorum Sanctorum; quantum gratia ſanctificans Beatæ Virginis ſuperabat gratias quorumcunq; Sanctorum etiam collectivè ſumptas.

P. Joannes Marin ad tantam meriti congrui Maternitatis DEI exhibiti à Beata

Beata Virgine, excellentiam & æstimabilitatem respiciens Tractatu 17. de Incarnatione, Disp. 3. num. 52. asserit Beatam Virginem meruisse Maternitatem DEI non quidem de condigno, meruisse tamen de digno. Hunc sensum memorati Theologi, & modum loquendi, non omnino probo, tum ob novitatem nominis nihil omnino superaddentis, nec satis explicantis excellentiam meriti Beatæ Virginis, quô meruit Maternitatem DEI. Tum quia meritum Beatæ Virginis, quô meruit Maternitatem DEI, vel ità fuit meritum de digno, ut nulla præthereà merita purarum creaturarum fuerint merita de digno; vel ità fuit meritum de digno, ut id prædicatum meriti esset commune etiam aliis meritis purarum creaturarum. Neutrum dici potest. Non primum. Quia etiam alia merita congrua sunt merita de digno; nam & alia merita debent habere bonitatem & æstimabilitatem, qua moveant præmiantem ad conferendum præmium, adeoque habent certum dignitatis gradum, ratione cujus sunt digna præmiô, seu sunt merita de digno. Quod maximè verum est de meritis de congruo, quæ ponuntur à justis, seu illis, qui sunt in gratia DEI. Horum enim merita etiam ratione dignitatis subjecti sunt merita de digno. Non potest etiam dici secundum: per prædicatum enim commune aliis meritis, non bene explicatur ratio specialis, & particularis MeritiBeatæ Virginis, quo Maternitatem DEI meruit. Quia per genus non bene explicatur differentia, & ratio specifica. Tum quia, dum dicitur, quòd Beata Virgo Maternitatem DEI meruerit de digno, videtur adstrui nova species meriti, media inter meritum de condigno, & meritum de congruo, ab utroque hoc merito diversa. Sed talis species adstrui non debet. Quia non potest dari species media inter meritum æquale præmio, & inter meritum inæquale præmio. Cùm ergo meritum condignum sit formalissimè meritum æquale præmio. Meritum congruum sit formalissimè meritum inæquale præmio; inter meritum condignũ, & inter meritũ congruum non potest dari species meriti media diversa ab utroq; illo merito. Patet hinc DivisionemMeriti in condignum,& congruum esse adæquatam Divisionem.

236. Dicendum est tertiò. Quòd Beata Virgo per actus suos virtuosos primum instans suæ sanctificationis subsecutos, totâ vitâ elicitos meritô propriè dictô, hoc est inductivô, & attractivô præmiantis ad conferendum præmium, eòque condignô meruerit augmenta gratiæ habitualis,& habituum infusorum.

Conclusio hæc patet ex dictis Num. 148. in quo agebatur, quantam gratiam habitualem Beata Virgo habuerit, & qua ratione hæc in ipsa creverit. Insuper hic breviter probatur. Quia omnes actus virtuosi à Beata Virgine, post primam ejus sanctificationem eliciti, habebant omnes conditiones meriti condigni respectu augmenti gratiæ propriæ, & habituum infusorum; hi enim actus dignificabantur à gratia habituali, ab eàque habebant condignitatem, ut essent merita condigna. Eorundem actuum valor & vis meritoria non impendebatur in aliud præmium ipsis æquale, DEO per præsentem Providentiam ordinante, ut valor meritorius actuum virtuosorum puri hominis justi impendatur pro merendo augmento gratiæ, & per tale augmentum, tanquam suum præmium compensetur ad æqualitatem. Nec etiam præmium talium actuum fuit superioris ordinis, quàm esset meritum, ut per illud adæquari non posset, prout Maternitas DEI propter ordinis hypostatici superioritatem non adæquabatur à meritis Beatæ Virginis per gratiam sanctificantem dignificatis.

## Proponitur Objectio,

237. Quâ Probatur, quòd B. Virgo non meruerit Maternitatem DEI meritô propriè dictô. Tum authoritate S. Hieronymi Dial. 1. contra Pelag. *Adverte, quòd Beatam se dicat non propriô meritô & virtute, sed DEI in se habitantis clementiâ.* S. Bernardi Serm. de Nativ. Beatæ Virginis. *Quærunt alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. MARIA non prætendit meritum, sed gratiam quærit.* Tum quia si Beata Virgo meruisset Maternitatem DEI, meruisset etiam Incarnationem VERBI Divini. Sed hanc non meruit, ùt docet S. Thom. in 3tium Distinct. 4. Quæst. 3. art. 1. ad 6tum, ubi dicit: *Beata Virgo non meruit Incarnationem, sed præsupposita Incarnatione meruit, quòd per eam fieret.* Et ratio est.

Quia Incarnatio est gratia singularissima, est opus puræ Misericordiæ, benignitatis, & liberalitatis Divinæ, non justitiæ, nec retributionis. Non fuisset verò talis gratia, nec tale opus, si fuisset ex merito Beatæ Virginis; huic enim merito deberetur ex justitia, & tanquam retributio. Ergo. Tum quia quæcunque merita Beatæ Virginis propriè dicta supponunt Maternitatem DEI, quia supponunt Incarnationem & existentiam Christi, quatenus merita Beatæ Virginis habentur dependenter à gratia per Christum. Ergo Beata Virgo non potuit mereri Maternitatem DEI. Consequentia probatur. Si Beata Virgo meruisset Maternitatem DEI, daretur mutua causalitas inter duas causas requirentes existentiam ad causandum, quam possibilem sanior negat Philosophia. Una enim causa, requirens existentiam ad causandum, esset meritum Beatæ Virginis; hoc enim causat cognitum ùt existens. Altera causa itidem requirens existentiam ad causandum esset Christus mediante suo merito causans omnes gratias, quæ Beatæ Virgini conferebantur in ordine ad merendum. Inter quas duas causas daretur mutua causalitas. Meritum enim Beatæ Virginis, causando Maternitatem DEI, causaret hôc ipsô Christum, ejúsque existentiam; vicissímque Christus causando meritoriè gratias, & auxilia, ex quibus mereretur Beata Virgo, causaret per hoc meritum Beatæ Virginis. Ergo. Tum quia maternitas DEI præcedit quæcunque merita Beatæ Virginis, illisque est prior, quia est prior omnibus gratiis actualibus, & auxiliis ad merendum collatis; quatenus hæc Beatæ Virgini offerebantur intuitu Maternitatis DEI, talia & tantæ intensionis, quæ Matrem DEI decebant, & quæ Beatæ Virgini specialia Christus meruit, tanquam Matri suæ. Ergo Beata Virgo Maternitatem non meruit sibi meritô propriè dictô.

Confirmatur. Beata Virgo priùs est electa in Matrem DEI ex meritis Christi, quàm acceperit ullas gratias sive actuales, sive habituales, quas deinde accepit pro posteriori signo. Ergo non potuit sibi mereri Maternitatem DEI.

## Respondetur ad Objectionem.

238. Beatam Virginem meruisse Maternitatem DEI meritô propriè dictô, constat ex num. 233. Ad primam objectionis probationem dico: Authoritatibus in objectione adductis opponi posse authoritates, quibûs Conclusio nostra probatur, sed vel maximè opponi potest authoritas Ecclesiæ, quæ in Antiphona Paschali canit. *Regina Cœli lætare, quia quem meruisti portare, resurrexit.* Ut concilientur Authoritates, quæ videntur secum pugnare; Illæ, quæ in objectione adducuntur, intelligi debent eo sensu, quòd Beata Virgo non meruerit Maternitatem DEI de condigno, meruerit de congruo. Authoritas S. Hieronymi intelligi debet in sensu repugnante Pelagio. Quòd Beata Virgo Beatam se dicat non propriô meritô, & virtute, hoc est, non merito merè naturali, virtute ac viribus naturalibus elicito, sed DEI in se habitantis clementiâ; hoc est, gratiâ DEI, ac etiam suis meritis in, & ex gratia DEI factis. Certè enim Beata Virgo non exclusit assensum illum: Ecce Ancilla Domini; qui certè multum contulit, ut Mater DEI esset, & Beatam illam dicerent omnes generationes. S. Bernardus Serm. 58. in Cantica, exponit, quæ, & qualia merita Beatæ Virginis neget, dum dicit: *O! felix Ecclesia (dici potest, O! felix Virgo) quæ habet merita, sed ad promerendum, non ad præsumendum. Ipsum enim non præsumere, nonne meritum est?*

239. Secundæ Probationis Sequelam aliqui cum S. Thoma sub hac distinctione admittunt. Si Beata Virgo meruisset Maternitatem DEI, meruisset etiam Incarnationem VERBI Divini quò ad ipsius circumstantias. Concedunt. Meruisset Incarnationem, quo ad substantiam. Negant. Et censent adducto in hac probatione textu id præcisè asseri, quòd Beata Virgo non meruerit Incarnationem quò ad substantiam, meruerit quò ad circumstantias. Alii putant Beatam Virginem meruisse Incarnationem etiam quoad substantiam, sed inadæquatè sumptam, non verò sumptam adæquatè. Non enim meruit esse Divinum VERBI, quia hoc, utpote esse Divinũ, non cadit sub meritum. Sed meruit unionẽ hypostaticam, idq; meruit, ut hæc virtute instrumentali per ipsâ fieret. Alii dicunt mentem S. Thomæ dubiâ esse,

Siquidem S. Doctor 3tia parte, Quæſt. 2. Art. 11. in ☉ dicit. *Ex congruo meruerunt SS. Patres Incarnationem, deſiderando & petendo. Congruum enim erat, ut DEUS exaudiret eos, qui ei obediebant.* Quòd ſi è mente S. Doctoris Patres antiqui meruerunt Incarnationem, etiam Beata Virgo cenſenda eſt eandem meruiſſe ex congruo. Adverto, quòd Beata Virgo meruerit Incarnationem, prout hæc fuit terminus Maternitatis DEI, ſeu ſecundùm exiſtentiam, quam Chriſtus habuit per hoc, quòd terminaret actionem generativam, & Maternitatem DEI. Non meruerit verò ſecundùm exiſtentiam omnem, quam habuit independentem ab actuali influxu Maternitatis DEI in ipſam; non meruit enim exiſtentiam, quam Chriſtus habuit in ſua Paſſione, quando B. Virgini meruit gratias actuales ad merendam Maternitatem. Ad Rationem ulteriorem conformiter reſponderi poteſt. *Primò.* Incarnationem per hoc fuiſſe gratiam ſingulariſſimam, & opus puræ miſericordiæ, & liberalitatis Divinæ. Quia quò ad ſubſtantiam non cadebat ſub meritum, etiamſi caderet ſub meritum quò ad circumſtantias. *Secundò* per hoc. Quia Incarnatio non cadebat ſub meritum de condigno, ſed non niſi ſub meritum de congruo. Dependentia enim Incarnationis à tali merito non deſtruit rationem ſingulariſſimæ gratiæ, nec rationem operis meræ Miſericordiæ & liberalitatis. Cùm ipſum tale meritum à gratia merè liberaliter data dependeat, & liberalitate & favore DEI compleri debeat; ut ei præmium retribuatur. *Tertiò.* Aliqui Theologi cum eximio Doctore dicunt Incarnationem fuiſſe ſpecialiſſimam gratiam, & opus meræ miſericordiæ per hoc: Quia Incarnatio in ſtatu intentionis fuit independens à meritis, licèt in ſtatu & ordine executionis fuerit dependens ab iisdem. Si per hunc reſpondendi modum intelligatur, quòd Incarnatio ſecundùm ſe, quomodo ſumpta ſubeſt ordini intentionis, fuerit independens à meritis; fuerit verò ab his dependens quò ad circumſtantias, quæ in executione attendi, & in effectum deduci debebant; Hæc reſponſio coincidit cum prima.

240. Tertiæ probationis, Nego illud Antecedens, quòd quæcunque merita Beatæ Virginis ſupponunt Maternitatem DEI. Licèt verò quævis ſupponant Incarnationem VERBI Divini, & exiſtentiam Chriſti. Quia tamen non omnia merita Beatæ Virginis ſupponunt exiſtentiam Chriſti, actualiter dependentem à Maternitate DEI, ſeu pro illo inſtanti, pro quo dependebat exiſtentia Chriſti à Maternitate DEI, ideò non omnia merita Beatæ Virginis ſupponunt Maternitatem DEI. Illa nimirum merita Beatæ Virginis, quæ ſupponunt exiſtentiam Chriſti, ejúsque merita pro eo inſtanti, pro quo dicta exiſtentia non dependebat actu à Maternitate DEI, non neceſſariò ſupponunt Maternitatem DEI. Probationis conſequentiæ Sequelam Nego. Nego itèm ulteriorem probationem, ejúsque Sequelam. Quòd inter meritum Beatæ Virginis, quô illa meretur Maternitatem DEI, & inter exiſtentiam Chriſti daretur mutua cauſalitas. Neque enim meritum Beatæ Virginis cauſando Maternitatem DEI, ità cauſavit exiſtentiam Chriſti, ut hæc pro omni ſuæ durationis inſtanti dependeret à Maternitate DEI, & ejus merito. Sed ità cauſavit dictam Chriſti exiſtentiam, ut hæc pro tunc non niſi dependeret à Maternitate, & ejus merito, quando, ſeu pro quo tempore actu dabatur, ſeu exiſtebat Maternitas DEI, & generatio Chriſti ſecundùm carnem. Neque etiam exiſtentia Chriſti quocunq; tempore, & ſub quacunque duratione exiſtens, per quævis ſua merita quandocunque elicita, cauſabat gratias, & auxilia data in ordine ad ponendum à Beata Virgine meritum Maternitatis DEI. Sed exiſtentia Chriſti tunc non niſi cauſabat gratias, & auxilia collata in ordine ad ponendum meritū Maternitatis DEI, quando dicta exiſtentia non dependebat actualiter à Maternitate DEI. Idque cauſabat per merita elicita ab exiſtentia Chriſti, cùm hæc non dependeret ab eadem Maternitate.

Adverto. Mutuam Cauſalitatem inter duas cauſas tunc, dum una non dependet ab altera, non implicare, ſed ſubinde dari. Sic ignis excitatus & productus à Petro, illuminat deinde Petrum. Porro, ſi Beata Virgo mereretur Maternitatem DEI, daretur in tali ſuppoſitione mutua cauſalitas inter duas cauſas, dum una non dependeret ab alia. Nimirum meritum, quô Beata Virgo mere-

retur Maternitatem DEI, causaret existentiam Christi, dum ab ea, tanquam Causa sua morali non dependeret. Et existentia Christi per sua merita causaret Maternitatem DEI, dum non dependeret actu à Maternitate. Quia causaret illam per merita mortis, & Passionis Christi, quæ ponendo merita, existentia Christi, non dependebat actu à Maternitate DEI.

241. Quartæ probationis Nego Antecedens cum sua probatione. Ad ulteriorem probationem Dico. Etiamsi B. Virgini pleraq; gratiæ Divinæ auxilia collata fuerunt intuitu Maternitatis DEI, ùt habitæ vel habendæ. Cæterùm auxilia, quæ Beatæ Virgini conferebantur in ordine ad promerendam Maternitatem DEI, non conferebantur eidem intuitu Maternitatis DEI præhabitæ; ità enim Maternitas præsupponeretur ante se ipsam. Licèt verò Christus Beatæ Virgini meruerit quævis auxilia gratiæ, quæ aliquando collata habuit, tamen non ità illa meruit, ut omnia & singula illa conferrentur intuitu Maternitatis DEI, nec omnia meruit tanquam Matri suæ futuræ, & quia Matrem DEI futuram decebant. Illa enim auxilia, quæ conferebantur Virgini, per ordinem ad promerendam Maternitatem DEI, non ità meruit, ut Beatæ Virgini conferrentur intuitu Maternitatis, & per respectum illius &c. Potest etiam sic distingui ulterior probatio. Omnia auxilia gratiæ collata fuerunt Beatæ Virgini intuitu Maternitatis DEI, vel tanquam causæ meritoriæ, vel tanquam causæ finalis, Concedo probationem. Omnia auxilia gratiæ collata fuerunt Beatæ Virgini, intuitu Maternitatis DEI, nonnisi tanquam causæ meritoriæ, Nego probationem. Et Dico. Beatæ Virgini tam illa auxilia, quibûs meruit Maternitatem, quàm illa, quibûs non meruit eandem, fuisse collata intuitu Maternitatis DEI: illa intuitu Maternitatis prout causæ meritoriæ, hæc intuitu Maternitatis, tanquam causæ finalis.

Confirmationis Antecedens vel simpliciter Nego, vel Distinguo. Beata Virgo, priùs est electa in Matrem DEI ex meritis Christi, quàm acceperit exercitè & pro statu reali gratias sive actuales, sive habituales. Concedo Confirmationem. Priùs est electa in Matrem DEI, quàm in destinatione DEI, & pro statu intentionali ac objectivo acceperit gratias, &c. Nego Confirmationem. Et Dico. Beatam Virginem priùs esse electam in Matrem DEI ex meritis Christi, quàm acceperit exercitè, & pro statu reali gratias, quas aliquando habuit. Quia in Matrem DEI electa est ab æterno; gratias verò pro statu reali, & exercitè accepit in tempore. Non est tamen priùs electa, quàm in destinatione DEI, & pro statu intentionali & objectivo acceperit quasdam gratias, sicut non priùs est electa, quàm fuerint destinatione, & prævisione absoluta DEI, ac in statu intentionali & objectivo merita Christi, siquidem est electa in Matrem DEI ex meritis Christi. Aliquæ enim gratiæ actuales destinabantur Beatæ Virgini in ordine ad promerendam ab ipsa Maternitatem DEI. Hæ ergo gratiæ fuerunt priores pro statu intentionali & objectivo ipsa Electione Beatæ Virginis in Matrem DEI. Aliæ gratiæ, quæ B. Virgini collatæ fuerunt ex alio fine, & non ex fine promerendæ Maternitatis, fuerunt pro posteriori signo, quàm electio Virginis in Matrem DEI.

## §. II.

### Quid Beata Virgo, & qualî meritô meruerit aliis?

242. Præmitto, Beatam Virginem non meruisse ulli creaturæ rationali de condigno remissionem cujusquam peccati. Neque enim meruit de condigno remissionem peccati mortalis; neque meruit remissionem peccati venialis. Non meruit de condigno remissionem peccati mortalis. Quia nulla pura creatura, quantacunque gratiâ sanctificante exornata, potest mereri de condigno remissionem peccati mortalis; ùt habetur Disp. 1. Num. 238. & sequentibus. Non meruit etiam de condigno remissionem peccati venialis. Quia itidem nulla pura creatura quantacunque gratia sanctificante exornata, potest mereri de condigno remissionem peccati venialis. Sicut nulla pura creatura potest satisfacere de condigno per peccato veniali, ùt dictum est Disp. 1. Num. 252.

Neque

Neque valet, si dicas. Etiamsi nulla pura creatura, quantâcunque gratiâ sanctificante exornata non possit mereri de condigno remissionem peccati, tamen pura creatura habens dignitatem Maternitatis DEI potest mereri de condigno dictam peccati remissionem. Maternitas enim utpote superioris ordinis, quàm sit gratia sanctificans, potest tribuere condignitatem merito, ut sit meritum condignum remissionis peccati, quam ei tribuere non potest quantacunque gratia sanctificans. Non valet, inquam; etiamsi enim Maternitas DEI sit major dignitas, & majoris æstimabilitatis, quàm sit gratia sanctificans, tamen dignitas & æstimabilitas Maternitatis DEI non pertingit eò, ut ratione Maternitatis DEI, meritum DEIparæ sit æquale remissioni peccati, adeoque ut sit meritum condignum remissionis peccati; quia non præstat Maternitas DEI, ut ponente meritum Matre DEI, tantus per obsequium meritorium humilietur, quantus per peccatum offensus est. Maternitas enim DEI non præstat, ut Virgo DEIpara non sit pura creatura, ut sit homo DEUS, qui solus potuit satisfacere ad æqualitatem pro peccatis nostris & ponere meritum condignum remissionis peccati. Hôc præmissô

Dum inquiritur: Quid Beata Virgo, & quali merito meruerit aliis? Hæc inquiruntur: An Beata Virgo meruerit aliquid hominibus? An meruerit Antiquis Patribus, qui ante ipsam vixerunt? An meruerit hominibus, qui post illam vixerunt, vivunt, & victuri sunt? Quid utrisque meruerit? Quali meritô meruerit, an meritô de condigno, an meritô de congruo?

243. Dicendum est. Quòd B. Virgo meruerit omnibus hominibus quocunque tempore viventibus, adeoque tam Antiquis Patribus quàm iis, qui convivebant Beatæ Virgini, & deinceps victuri erant, meruerit, inquam, illis quæcunque dona DEI & beneficia tam spiritualia & supernaturalia, quàm temporalia. Meruit verò meritô nonnisi congruô, non verò meritô condignô.

Probatur assertio per partes. Prima pars probatur. Tum Authoritate Patrum. S. Augustini serm. 18. de Sanctis sic ad Beatam Virginem orantis, *Sancta MARIA succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen.* Qua sua Oratione supponit S. Doctor Beatam Virginem meruisse & mereri hominibus dona quævis, & beneficia DEI. Eodem Sermone S. Doctor Beatam Virginem appellat: *Tu es spes unica peccatorum.* S. Ambrosius in Caput 1. Lucæ, *Nec mirum, si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoavit à Matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima hauriret fructum ex pignore.* S. Anselmus de Excell. Virg. Cap. 11. *Sicut DEUS cuncta parando, Pater est & Dominus omnium, ità Beata Virgo meritis suis cuncta reparando, Mater est & Domina rerum.* S. Bernardus Serm. 2. de Assumpt. *Angelus salutat MARIAM gratiâ plenam, & adhuc in eam asserit Spiritum Sanctum superventurum. Ad quid putas? nisi ut etiam superimpleat eam. Ad quid? nisi ut adveniente Spiritu Sancto plena sibi, eodem superveniente, nobis quoque superplena & supereffluens fiat. Ipsa nempe Mediatrix nostra; ipsa est, per quam suscepimus Misericordiam tuam DEUS; ipsa, per quam & nos Dominum JESUM in domos nostras excipimus.* Et serm. de Nativ. Virginis. *Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus MARIAM veneremur; quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per MARIAM. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ.* S. Bonaventura in Speculo Cap. 6. *Omnis gratia ad MARIAM confluxit: Quia per MARIAM omnis gratia ad cæteros defluxit.* Tum quia SS. Patres & Ecclesia aliquas Denominationes tribuunt Beatæ Virgini, ipsámque talibus nominibus compellant, quæ illi non aliter conveniunt, nisi per hoc, quòd meritis suis nos apud DEUM adjuvet, & gratias varias obtineat. Nimirum, Patres Beatam Virginem vocant Matrem viventium, Dominam rerum, & Reginam Electorum, vocant Thesaurariam gratiarum, Advocatam nostram ad Filium, Cooperatricem Redemptionis Mundi, Mediatricem inter suum & DEI Filium, & inter peccatores, Reparatricem generis humani, Consolatricem afflictorum, Salutem in-

firmorum, Refugium peccatorum, Auxilium Chriſtianorum, &c. Ergo Beata Virgo ſuis meritis influit in nos vitam, ut DEO vivamus per gratiam. Ergo tanquam Domina rebus omnibus diſponit, in bonum noſtrum, omnia nobis providet. Ergo tanquam Regina Electorum, ità regit ſubditos, ut ſalutem conſequantur; tanquam Theſauraria gratiarum, de theſauro hoc nobis gratias, DEique dona liberaliter elargitur; tanquam Advocata noſtra ad Filium apud ipſum pro nobis intercedit; tanquam Mediatrix, gratias impetrando, ſuo Filio nos conciliat; tanquam Reparatrix generis humani ſuis meritis obtinet, ut ex peccatis conſurgamus; tanquam Conſolatrix afflictorum, refovet flebiles, & ſolatur nos in noſtris afflictionibus; tanquam Salus infirmorum, ſanat infirmitates noſtras; tanquam Refugium peccatorum, ad ſe confugientes recipit, remiſſionem peccatorum nobis impetrat; tanquam Auxilium Chriſtianorum, defendit, protegit, tuetur Chriſtianos contra hoſtes viſibiles & inviſibiles. Omniàque hæc præſtat tanquam Cauſa moralis per merita ſua. Tum quia potuit Beatæ Virgini conferri tanta gratia, & tantum privilegium, ut per eam cæteri omnes puri homines acciperent quaſcunque gratias, quæcunque dona DEI & beneficia. Quæ enim in hoc eſt implicantia? Certè poſſibilis eſt pura creatura, quæ auxiliis gratiæ Divinæ adjuta, mereri poſſit omnibus aliis creaturis puris rationabilibus totum id, quod illæ ex dono & beneficio DEI ſunt habituræ. Poſſibile itèm eſt, ut ad tantam dignitatem aliqua evehatur. Si enim potuit aliqua creatura rationalis evehi ad eam dignitatem, ut eſſet Mater DEI, potuit quoque aliqua ad eam dignitatem evehi, ut omnes aliæ puræ creaturæ rationales, aut ſaltèm omnes puri homines, per illam, & ejus merita haberent totum, quidquid boni ipſis aliquando collatum, vel conferendum eſt. Cùm hæc tanta dignitas non ſit major dignitate Matris DEI; & quia illa debetur dignitati Matris DEI. Beata Virgo cùm habuerit dignitatem Matris DEI, habuit quoque tantam dignitatem, ut per eam, ejuſque merita omnes alii puri homines haberent totum, quidquid gratiæ & boni ipſis conferretur. Ex altera parte decuit, ut B. Virgo hoc privilegium haberet; quia cùm illud eſſet præcipuæ æſtimabilitatis, ſicut decuit, ut B. Virgo haberet plura alia privilegia, ità etiam decuit, ut etiam hoc, per quod maximè amabilis, & honorabilis redderetur, haberet. Certè, cùm Chriſtus è Cruce Virginem DEIparam in Matrem nobis dederit, nos verò ejus Filios eſſe voluerit, decuit, ut B. Virgo conformando ſe ultimæ morientis Filii voluntati, nos amaret ùt Filios, in omnibus noſtris neceſſitatibus Matrem ſe nobis monſtraret, pro nobis intercederet, ſuiſque meritis omnia bona, quæ accipimus obtineret. Et ut omnia illa prædicata, quæ ipſi tribuuntur à Patribus, de illa verificarentur. Inſuper SS. Patres, & Eccleſia agnoſcunt Beatam Virginem mereri nobis omnes gratias, & dona, ùt conſtat ex adductis Authoritatibus. Ergo B. Virgo meruit omnibus hominibus, quidquid gratiarum, donorum, & beneficiorum habent à DEO.

244. Altera pars Concluſionis de puris hominibus exiſtentibus poſt Virginis ortum, & exiſtentiam, quòd illis Beata Virgo meruerit omne id bonum, quod habent, probata habetur in primæ partis probatione. De Antiquis Patribus; an illi gratias, quas habuerunt, acceperint ex meritis Beatiſſimæ, eſt aliqua difficultas. Cæterùm etiam hæc pars ſimili ratione, atque prima pars probatur. Beata Virgo potuit illis mereri, ſicut & Chriſtus eſt promeritus iiſdem gratias, quas habuerunt. Decuit etiam, ut B. Virgo mereretur iiſdem gratias, ut & ipſi ſentirent Virginis juvamen. Nec hæc opinio repugnat Scripturæ, aut Eccleſiæ, & Patrum Doctrinæ. Ergo, cùm de Beata Virgine ſentiendum ſit quàm glorioſiſſimè, B. Virgo Patribus Antiquis meruit gratias, & dona ipſis à DEO collata.

245. Tertia pars probatur. Beata Virgo meruit puris hominibus quæcunque dona gratiæ, nimirum meruit veniam & remiſſionem peccatorum, ſeriam, veram, & ſalutarem pœnitentiam de peccatis, emendationem vitæ, præſervationem à peccatis, tentationum victoriam, gratias excitantes ad quæcunque pietatis opera, gratias itèm adju-

van-

vantes, vocationem ad eum vitæ statum, in quo salutem consecuturi sumus, donum perseverantiæ in bonis operibus, gratiam finalem, mortem felicem, & vitam æternam. Ex bonis temporalibus, meruit nobis sanitatem mentis & corporis, morborum depulsiones, fertilitatem agrorum, aëris salubritatem, aversiones pestis, famis, & belli. Rerum experientiam, Eruditionem bonam, Judicii maturitatem, omniaque alia bona ad vitam hanc mortalem in tranquillitate, prosperè, & sinè damnis, & incommodis ducendam. Meruit, inquam, hæc omnia. Tum quia *hæc est voluntas ejus, qui totum nos voluit habere per MARIAM* Tum quia hæc omnia dona non excedunt vim meritoriam Beatæ Virginis, non excedunt affectum, voluntatem, & desiderium succurrendi mortalibus. Non excedunt potentiam Filii DEI, affectum ejus erga Matrem; ac defactò talia dona à DEO accipiunt homines. Quid ergo prohibet sentire & dicere, quòd hæc per merita non solùm Christi DEI hominis, sed etiam per merita Virginis DEIparæ accipiant ?

Neque valet, si Dicas. Veniam & remissionem peccatorum non haberi immediatè per merita Virginis, sed ad summum haberi illam mediatè. Nimirum, taliter B. Virgo impetrat gratias actuales excitantes & adjuvantes ad eliciendam contritionem, ad dolorem de peccatis, ad faciendam pœnitentiam, prout oportet ad salutem, quibus excitatus & adjutus peccator elicit contritionem, aut cum dolore requisito confitetur peccata, ab ipsis absolvitur, & obtinet veniam ac remissionem. Non valet, inquam, quia Virgo Beata obtinet nobis imediatè suis meritis de congruo, tam ipsas gratias actuales excitantes & adjuvantes, ut eliciamus contritionem, vel dolorem de peccatis, & ut Sacramentum deletivum peccati suscipiamus, quàm etiam iisdem meritis obtinet, immediatè ipsam veniam & remissionem peccatorum. Hanc enim ità obtinet, qualiter obtineri potest ac debet adultis peccatoribus secundùm præsentem DEI Providentiam, secundùm quam non fit remissio peccatorum hominibus adultis, nisi dependenter ab eorum conversione per actus pœnitentiæ. Nec id officit, quò minùs B. Virgo immediatè mereatur hominibus adultis veniam & remissionem peccatorum. Sicut non officit, quò minùs venia & remissio peccatorum hominis adulti habeatur immediatè per merita Christi, quia eadem remissio secundùm præsentem Providentiam habetur dependenter ab actibus peccatoris adulti pœnitentis, ad quos actus meruit immediatè iisdem Christus gratias actuales excitantes & adjuvantes.

246. Quarta pars Conclusionis probatur. Quia B. Virgo ità suis meritis meruit aliis hominibus gratias & cætera DEI dona, ut valor meritorum ejus juxta providentiam præsentem, & statutum Divinum totus impenderetur in gratiæ habitualis ipsi Virgini collatæ augmentum, juxta illud Lucæ 6. *Mensuram bonam & confertam, & coagitatam dabunt in sinum vestrum.* Et Ezech. 18. *Justitia Justi super ipsum erit.* Et Ezech. 33. *Unumquemque juxta vias suas judicabo.* Aliis verò præmiô datô, nonnisi ex quadam congruentia retribuat merita ejusdem Sanctæ Virginis. Ergo Beata Virgo non meruit aliis puris hominibus gratias de condigno, sed meruit illis nonnisi de congruo.

## Proponitur Objectio.

247. Et arguitur Beatam Virginem non meruisse omnibus puris hominibus gratias, quas illi aliquando à DEO accipiunt. Tum quia adductis SS. Patrum Authoritatibus non evincitur ipsam meruisse dictas gratias; His enim SS. Patres intendunt præcisè, quòd B. Virgo generando DEUM hominem, exstiterit causa mediata omnium gratiarum, quas homines per Christum accipiunt, non verò, quòd ipsa immediatè suis meritis illas obtinuerit. Ergo Tum quia si B. Virgo omnibus puris hominibus meruisset omnes gratias, quas habuerunt, vel accepturi erant. Beata Virgo fuisset causa moralis universalis; sed non fuit talis causa. Per rationem enim talis causæ alicui alteri præter Christum convenientem, derogatur dignitati Christi, ejusque meritorum. Quæ dignitas in eo consistit, quòd ipse tanquam Caput morale per sua merita in omnes puros homines, tanquam in Membra Moralia ejus-

juſdem Corporis Myſtici influat omnes gratias, ſiquidem etiam B. Virgo merendo gratias omnibus hominibus, transmitteret ipſas in reliqua membra, deberetque eſſe Caput omnium hominum. Confirmatur. Non dantur duæ Cauſæ primæ & univerſaliſſimæ efficientes, quarum una ſit DEUS; altera pura creatura effective cauſans quoſcunque effectus creatos. Ergo neque dantur duæ Cauſæ univerſales morales, quarum una ſit DEUS homo, altera ſit pura creatura, Virgo DEIpara. Tum quia B. Virgo neque meruit gratias Patribus Antiquis, neque meruit illis hominibus, qui poſt Beatam Virginem in terris agentem vivunt. Ergo. Antecedens probatur. Non meruit Patribus Antiquis, quia cauſa moralis purè creata finita & limitata per merita finiti valoris non ſe extendit ad præmium præteritum, & in anteceſſum exiſtens, niſi fortè per meritum merè compenſativum, quod non eſt meritum propriè tale. Etiamſi cauſa meritoria, quæ eſt DEUS homo, ſeu Chriſtus per ſua merita, utpote infiniti valoris poſſet ſe extendere ad præmium de præterito exiſtens. Atqui B. Virgo eſt Cauſa Moralis purè creata finita, merita etiam ipſius quantumvis ſint magnæ æſtimabilitatis, & magni valoris, ſunt tamen valoris ſimpliciter finiti. Ergo. Non meruit etiam B. Virgo gratias hominibus poſt ipſius merita exiſtentibus; debuiſſet enim dictas gratias illis mereri per merita vitæ ſuæ mortalis, ſed per hæc non meruit. Gratiæ enim, quæ conferuntur hominibus poſt Virginis Aſſumptionem, conferuntur ipſis propter Virginis Patrocinium & interceſſionem, quâ exiſtens jam in cœlo intercedit pro nobis ad Filium. Confirmatur. Ut B. Virgo cenſeatur meruiſſe ſive Antiquis Patribus, ſive poſteris ipſorum gratias, debuiſſet iiſdem applicare ſua merita in ordine ad obtinendas ipſas certas & determinatas gratias. Sed non potuit applicare dicta merita, neque enim potuit applicare ad merendum Antiquis. Quia deberet applicare pro gratiis prout obtinendis, ad quas fruſtra applicantur merita, ſi ante merita gratiæ jam obtentæ ſunt. Non potuit etiam Virgo Beata applicare ſua merita hominibus, qui deinceps vixerunt, aut vivunt. Quia debuiſſet diſtinctè cognoſcere omnes homines deinceps exſtituros, debuiſſet cognoſcere omnes illorum neceſſitates, omnes item gratias, & inter has ipſas, aliquas purè ſufficientes, alias congruas & efficaces, quod videtur excedere vim cognoſcitivam Virginis, ſolique DEO proprium eſſe. Ergo.

## Reſpondetur ad Objectionem.

248. Ad primam Rationem, quâ impugnatur noſtra Aſſertio. Reſpondeo Negando Antecedens. Nego item probationem Antecedentis, & Dico, quòd SS. Patres aſſerant utrumque, nimirum tam illud, quòd B. Virgo generando Chriſtum DEI Filium, extiterit Cauſa mediata omnium gratiarum, quas homines per Chriſtum accipiunt, quàm etiam aſſerunt, quòd B. Virgo ſuis meritis immediatè obtinuerit dictas gratias. Hæc mens SS. Patrũ colligitur ſatis clarè ex adductis Authoritatibus SS. Auguſtini, Anſelmi, Bernardi, & Bonaventuræ. Alii etiam Patres ità intelligi debent; cùm rationes aliæ ità eſſe intelligendos ſuadeant. Poteſt etiam diſtingui probationis Antecedens. Nec adductis Authoritatibus Patrum, nec aliis rationibus evincitur Beatam Virginem meruiſſe gratias omnibus puris hominibus. Nego Antecedens. Authoritatibus Patrum non evincitur, evincitur tamen aliis Rationibus Beatam Virginem meruiſſe hominibus gratias, imò evincitur iiſdem rationibus debere intelligi Authoritates SS. Patrum de merito Beatæ Virginis gratiarum collatarum hominibus. Concedo, vel Omitto Antecedens, & Nego Conſequentiam, ac Dico. Etiamſi adductis Patrum Authoritatibus non evinceretur Beatam Virginem meruiſſe gratias omnibus hominibus Quia tamen id aliis rationibus evincitur, ſentiendum eſt Beatam Virginem meruiſſe gratias hominibus juxta Regulam S. Auguſtini ſuprà adductam. Ubi Scriptura Divina nihil de Virgine commemorat, inquirendum eſt, quid rationi conveniat? fiátque ipſa ratio Authoritas, ſinè qua nec eſt, nec valet Authoritas. Quòd ſi dum nulla eſt Authoritas Scripturæ & Patrum, ſi agatur de Virgine DEIpara, ſupplet

supplet recta ratio defectum Authoritatis, à fortiori in his, quæ dicuntur de B. Virgine, si dubius, vel non ità clarus, & expressus sit aliquarum Authoritatum sensus, hæ intelligi, & accipi debent secundùm rectam rationem, ratióque ipsa debet exponere Authoritatis dubium sensum.

249. Secundæ Rationis omissâ Sequelâ, Nego Minorem. Probationis Nego Antecedens, & Dico, quòd Beata Virgo sit Causa moralis universalis - - - per hoc non derogari Dignitati Christi, ejúsque meritorum ex his rationibus. Primò. Quia Beata Virgo non est Causa moralis æquè universalis, atque Christus est Causa moralis universalis. Christus enim est Causa moralis ad plura præmia promerenda se extendens, quàm se extendat Beata Virgo. Quia Christus promeruit Beatæ Virgini primas gratias actuales, quas Beata Virgo sibi non meruit, cùm tales gratiæ dentur omnino gratuitò, hoc est, absque omni merito tales gratias accipientis. Cùm fiant in nobis sinè nobis liberè operantibus, Cùm sint principium meriti, quod non debet cadere sub meritum. Secundò. Quia Beata Virgo est Causa moralis inferior, Christus est Causa moralis superior. Christus meretur per virtutem non acceptam à meritis alicujus alterius, Beata Virgo meretur per virtutem participatam, & acceptam à meritis Christi. Præterea Beata Virgo meretur dependenter à meritis Christi, ità ut non mereretur gratias, si Christus per sua merita ad illas causandas non concurreret. E contrà Christus non est ità dependens à meritis Beatæ Virginis, ut in alia saltèm Providentia non mereretur nobis gratias, casu quo Beata Virgo easdem non mereretur. Tertiò. Quia Christus excellentiori modo meretur gratias hominibus, quàm illas mereatur B. Virgo. Christus meretur per merita de condigno superabundantia, & infiniti valoris. Beata Virgo meretur per merita de congruo, per merita, quæ compleri debent favore, & liberalitate DEI, per merita finiti valoris. Ex quibus patet, per hoc, quòd Beata Virgo mereatur gratias hominibus, non derogari dignitati Christi, ejúsque meritorum.

Ad Rationem ulteriorem Dico, quòd Christus tanquam Caput morale per merita sua in puros homines, & in Matrem suam influat omnes gratias; Beata Virgo non influit tanquam Caput, sed ùt volunt Patres, Beata Virgo habet se ùt collum corporis mystici, per quod Christus, qui est caput ejusdem corporis, in reliqua membra transfundit gratias. Christus Soli comparatur, qui proprio lumine illuminat universos. MARIA Virgo comparatur Lunæ, quæ lumine à sole accepto illuminat. Christus propria virtute, non aliunde accepta, eáque principali meretur. B. Virgo vim totā merendi habet ex meritis Christi, quia ex his accipit gratias ad merendum requisitas.

Confirmationis omisso Antecedente; Dici enim potest dari duas Causas efficientes universales sibi subordinatas. Una talis Causa est ipse DEUS, omnes omnino effectus producens, altera Causa itidē efficiens universalis est Sol saltèm respectu corporum sublunarium, in quæ influit, & diversos producit effectus. Ex hac ratione omisso Antecedente, Nego Consequentiam. Disparitas est: Quia si darentur duæ Causæ efficientes universalissimæ, una illarum deberet esse increata, altera creata. Sed non possunt dari & haberi tales Causæ, etiamsi enim datur Causa increata efficiens universalissima, tamen nulla creatura potest esse Causa efficiens universalissima. Tum quia esse Causam universalissimā efficienter concurrentem ad omnes effectus, est perfectio & prædicatum soli DEO proprium, & cum DEO convertibile. Ergo non potest convenire creaturæ. Tum quia si Causa creata posset esse Causa efficiens universalissima, posset causare effectus tam per eductionem formæ ex subjecto, quàm effectus, qui creatione producuntur. Sed Causa creata, seu creatura, non potest producere utrosq; hoc effectus, quia non potest producere effectus creativè, seu tam ex nihilo sui, quàm ex nihilo subjecti. Talis enim virtus est soli DEO propria. Tum quia Causa illa creata efficiens universalissima deberet esse immensa & æterna. Cùm enim ad producendum efficienter effectum necessaria sit existentia Causæ tunc, dum hæc producit effectum, Causa illa universalissima effici-

ens respectu quorumvis effectuum deberet existere in omni tempore, siquidem quovis tempore alios & alios effectus produceret, adeoque deberet esse æterna. Cùm etiam præsentia localis Causæ efficientis sit necessaria ad agendum, ut Causa ibi sit, ubi agit. Ut Causa efficiens producat quoscunque per orbem effectus, debet ipsis præsens localiter esse, adeoque debet esse immensa. Atqui nulla creatura potest esse æterna & immensa. Ergo &c. E contrà possunt dari Causæ morales,& meritoriæ universales, quarum una sit DEUS homo, quæ meritò de condigno mereatur omnibus puris hominibus omnes gratias. Altera sit pura creatura, quæ meritò de congruo mereatur has ipsas gratias. De Causa meritoria universali, quæ est homo DEUS, non est controversia; facilè enim conceditur Christum Dominum verum DEUM & hominem meruisse de condigno omnibus aliis hominibus omnes gratias, ut non sit, qui se abscondat à calore ejus. Posse etiam dari Causam purè creatam, quæ sit meritoria universalis,mereatúrque de congruo omnes gratias; ex eo est: Quia talis Causa neque ex illis rationibus implicat, ex quibus implicat Causa purè creata efficiens universalis. Neque ex aliis Rationibus. Non ex illis. Neque enim esse Causam meritoriam universalem, est prædicatum soli DEO homini proprium; qua enim ratione id deducitur, præsertim si per Causam meritoriam intelligatur Causa meritoria de congruo? Neque ex eo, quòd pura creatura esset Causa meritoria universalis, infertur puræ creaturæ convenire virtutem creativam. Talis enim virtus propriè convenire potest soli Causæ physicè efficienti. Causam autem meritoriam purè creatam causare effectum, qui creatur, est Causam meritoriam suis meritis movere & inducere Causam efficientem, ut creet aliquem effectum, in quo nulla est implicantia. Addo, Mereri gratias quascunque, non est movere Causam efficientem, ut hæc creet propriè gratias, siquidem gratiæ eductivè, non creativè in nobis producuntur. Non implicat etiam Causam purè creatam esse Causam meritoriam universalem, ex eo, Quia illa Causa creata deberet esse immensa, æterna. Hoc enim non sequitur. Quia ut Causa moralis & meritoria causet effectus, semper & ubiq; sufficit, quòd Causa efficiens,quam Causa moralis creata movet, sit semper &ubique, adeoq; ut Causa efficiens sit æterna & imensa, ut insuper eadem Causa sit intellectiva & omniscia. Ipsa verò Causa moralis, satis est, quòd existat in certa temporis differentia, & in uno certo loco. Cùm enim talis causa causet nonnisi cognita, ùt existens, & licèt non existat semper & ubique, possit tamen semper & ab ente immenso cognosci ùt existens in certa temporis differentia, & in certo aliquo loci spatio, potest Causa creata moralis non existens semper & ubique causare quosvis effectus, quocunque tempore, & locò existentes. Certè merita Christi causant semper & ubique gratias, etiamsi quò ad totum suum esse non sint semper & ubique. Non etiam ex aliis rationibus repugnat Causa purè creata moralis universalis. Quia hæ rationes non assignantur. Ergo.

250. Tertiæ Rationis Nego Antecedens, quò ad utramque partem. Primæ partis probationem Nego, & Dico. Merita finita limitata valoris finiti posse se extendere ad præmium de præterito existens, ídque hæc merita possunt se extendere inducendo,& movendo præmiãtem ad conferendũ præmium. Quia hæc merita cognita, ùt existentia in sua temporis differentia possunt allicere & movere præmiantem ad conferendum præmium, non minùs atque merita valoris simpliciter infiniti possunt se extendere ad præmium in præterito existens. Siquidem Christus suis meritis meruit gratias Patribus antiquis. Etiamsi enim talia merita sunt tempore & duratione posteriora, præmia sunt priora prævisione absoluta, & objectiva motione, ità ut verum sit dicere: Quia DEUS hæc vel illa merita prævidit absolutè exstitura in hac temporis differentia, ideò Patribus antiquis has vel illas gratias contulit. Ad secundæ Partis probationem Dico, Beatam Virginem meruisse hominibus nunc existentibus gratias per merita vitæ suæ mortalis. Hæc enim habuerunt omnem proportionem ad merendum tale præmium, & decebat, ut essent meritoria hujus præmii. Nec

obstat

obstat, quòd Beata Virgo in Cælis cum Christo regnans pro nobis intercedat. Non obstat, inquam. Intercessio enim & Patrocinium Virginis in Cælo existentis, non excludit meritum ejusdem præmii positum in hac vita mortali. Unum enim idemque præmium potest causari à multiplici merito; maximè cùm Beata Virgo ità nunc in Cælis existens pro nobis intercedat, ut Christo suo Filio repræsentet materna sua obsequia, & vitæ mortalis merita, per illáque postulet gratias, & alia beneficia, quibûs indigemus, & pro quibus ad eà recurrimus.

Confirmationis Majorem Distinguo. Ut Beata Virgo censeatur meruisse gratias sive Patribus antiquis, sive posteris, debuisset sua merita applicare iisdem vel explicitè, vel implicitè, vel in communi, vel in singulari. Concedo Majorem. Debuisset sua merita applicare tam Patribus antiquis, quàm posteris expresè & explicitè ac in singulari. Nego Majorem, & distincta similiter Minore, Nego Consequentiam, & Dico: Merita possunt aliis applicari dupliciter, vel explicitè & expresè, vel implicitè. Itèm, vel multis in communi, vel singulis in particulari, aut potiùs in singulari & in individuo. In communi pluribus applicat Sacerdos celebraturus sacrificium, dum sic orat pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus. In particulari seu singulari applicantur merita, dum pro hoc individuo v. g. Parente, pro tali præmio & beneficio ipsi impetrando oratur. Beata ergo Virgo etiamsi non applicâsset sua merita explicitè & in singulari tam antiquis Patribus, quàm eorum posteris, applicavit tamen iisdem implicitè, & in communi. Sciebat enim se constitutam esse Matrem omnium Viventium. Sciebat totum genus humanum in Joanne fuisse sibi commendatum in Filium. Sciebat, quòd ad ipsam pertineret mereri Filiis gratias, pro illis intercedere. Hac igitur Beata Virgo instructa scientiâ, sua merita applicavit iisdem, ut per hæc illis impetraret gratias, usa illis Christi Verbîs: pro illis oro, quos dedisti mihi, & quos voluisti esse meos Filios. Dici etiam potest Beatam Virginem non solùm implicitè & in communi applicâsse tam Patribus antiquis, quàm posteris sua merita, sed etiam applicâsse illa expressè, explicitè, & in particulari. Ad probationem ulteriorem Dico. Potuisse Beatam Virginem applicare sua merita Patribus antiquis tam implicitè, quàm explicitè, non solùm in communi, sed etiam in singulari. Licèt verò gratiæ Patribus antiquis datæ, tempore & duratione præcesserint merita Beatæ Virginis, tamen ipsa merita dictas gratias præcesserunt causalitate ipsis propria, præcesserunt prævisione & motione, ut intuitu meritorum conferrentur illæ gratiæ. Eadem Virgo applicavit sua merita hominibus, qui post ipsam vixerunt & vivunt; idque potest dici, quòd applicaverit sua merita etiam explicitè & in singulari singulis hominibus in ordine ad has determinatè in individuo & in specie gratias obtinendas, per ordinem ad hos, vel illos fines. &c. Non diffiteor ad talem meritorum applicationem, debuisse Beatam Virginem cognoscere distinctè omnes & singulos homines, omnes illorum necessitates, omnes & singulas gratias. Cæterùm talis cognitio potest admitti in Beata Virgine, cùm nec ipsi repugnet, ipsámque deceat, & ejus excellentiam attollat. Quandoquidem Beata Virgo habuit scientiam per se infusam, habitum infusum Fidei, totque præteritorum, & futurorum revelationes, quibûs præsuppositis non excedit virtutem intellectivam Beatæ Virginis talis cognitio, multò minùs est soli DEO propria, cùm & in humanitate Christi inveniatur, & Beata Virgo nunc illam habeat in statu suæ Beatitudinis.

## §. III.

### Quanta fuerit præstantia meritorum Beatæ Virginis, & ex quibus desumpta Principiis?

251. Præmitto, Beatæ Virginis merita non fuisse vulgaria, nec æqualia meritis aliorum Sanctorum. Quemadmodum enim ipsius dignitas, & excellentia superabat dignitatem & excellentiam quorumvis Sanctorum, ità dignitas, excellentia, & æstimabilitas ipsius superabat dignitatem, excellentiam, & æstima-

æstimabilitatem meritorum, quæ habebant alii Sancti.

Hôc præmissô, quæritur: Quanta præstantia, & æstimabilitas meritorum Beatæ Virginis fuerit? seu quo, & quanto excessû superaverint Beatæ Virginis merita, merita aliorum Sanctorum?

252. Dicendum est primò. Præstantiam, & æstimabilitatem meritorum Beatæ Virginis fuisse inferiorem æstimabilitate meritorum Christi. Longè verò superiorem æstimabilitate meritorum quorumvis aliorum Sanctorum, meritorum, inquam, collectivè sumptorum.

Prima Pars probatur. Quia æstimabilitas meritorum Beatæ Virginis fuit finita simpliciter, desumebatur à forma dignificante creata, limitata, & finita simpliciter, nimirum desumebatur à gratia sanctificante, & Maternitate DEI, quarum utraque est forma dignificativa creata, limitata, finita simpliciter, & refundens in merita Beatæ Virginis valorem simpliciter finitum. Jam verò æstimabilitas meritorum Christi fuit infinita simpliciter, desumebatur à forma dignificante increata, illimitata, & simpliciter infinita, nimirum à Personalitate VERBI unita hypostaticè humanitati Christi, refundente in merita ejusdem Christi valorem simpliciter infinitum. Ergo.

253. Secunda Pars probatur. Tum quia gratia habitualis, quam habuit Beata Virgo fuit longè major quibúsvis gratiis quorumvis aliorum Sanctorum collectivè sumptis, ùt docui num 144. Ergo & merita ejusdem Virginis fuerunt longè majora & æstimabiliora quibusvis meritis collectivè sumptis aliorum Sanctorum. Hæc enim proportionari debent gratiæ, à qua dignificantur, suúmque valorem desumunt. Quare, si gratia Beatæ Virginis fuit major & præstantior quibusvis gratiis collectivè sumptis aliorum Sanctorum, etiam merita à tali gratia dignificata, fuerunt majora & præstantiora quibusvis meritis aliorum Sanctorum collectivè sumptis. Tum quia valor & æstimabilitas meritorum Beatæ Virginis, desumebatur etiam à Maternitate DEI, quæ est forma sanctificans & dignificans merita, longè excellentior, quia Superioris ordinis, quàm sint formæ dignificantes merita aliorum Sanctorum. Ergo cùm Maternitas DEI superet & excedat omnes Sanctitates, quæ inveniuntur in puris hominibus collectivè sumptis; etiam merita B. Virginis à Maternitate DEI dignificata, superant merita quorumvis Sanctorum collectivè sumpta, eorúmque æstimabilitatem. Tum quia potuit id fieri, ut merita Beatæ Virginis longè excederent merita quorumvis Sanctorum collectivè sumpta; quæ enim in eo repugnantia? Decuit etiam Beatam Virginem, ut ipsius merita excederent sua æstimabilitate quæcunque merita aliorum Sanctorum etiam collectivè sumpta; cùm per talia merita augeatur plurimùm Dignitas & excellentia Beatæ Virginis. Non adversatur præterea hæc doctrina Scripturæ & Patribus. Ergo. Tandem, quia meritorum Beatæ Virginis excellentia crescebat ex talibus principiis, ex quibus non crescebant merita aliorum Sanctorum, ùt constabit ex proxima assertione. Ergo. Ex utraque hac assertionis parte patet, quo sensu illud Gregorii Magni in 1. Reg. 1. de Beata Virgine dictum: *Meritorum verticem usque ad solium Divinitatis erexit*, intelligi debeat; nimirum intelligi debet eo sensu: quòd merita Beatæ Virginis, à solis Christi meritis perfectione & æstimabilitate superentur. Omne verò meritum puræ creaturæ ità sit infra merita DEI hominis, ut etiam sit infra Beatæ Virginis merita, nec ullius alterius puræ creaturæ merita sint ità vicina meritis DEI hominis, atque illis sunt vicina merita DEIparæ Virginis.

254. Dicendum est secundò valorem & æstimabilitatem meritorum Beatæ Virginis crevisse ex pluribus Principiis, & Capitibus.

Primò crevit ex causa morali & meritoria, ejúsque meritis. Quæ causa fuit Christus, DEI & Virginis Matris Filius, ejúsque merita. Licèt enim merita Christi videantur Principium commune Beatæ Virgini cum aliis Sanctis. Sicut enim alii Sancti suas gratias sive habituales, sive actuales, dependenter à quibus ponunt sua merita, habent ex meritis Christi, ità & Beata Virgo suas quascunque gratias, & ipsa sua merita habuit

habuit ex meritis Christi. Tamen Christus sua merita aliter applicavit Virgini suæ Matri, aliter aliis Sanctis. Virgini Matri suæ applicavit sua merita, ut obtineret pro ipsa excellentiora, ampliora, & intensiora dona gratiæ, & auxilia supernaturalia ad merendum. Aliis Sanctis meruit dona, & auxilia communia, & minùs intensa. Et per hoc factum est, ut merita B. Virginis excellentiora & majora essent meritis aliorum Sanctorum.

255. Secundò. Excellentia meritorum B. Virginis, illorúmque æstimabilitas habetur ratione principiorum efficientium supernaturalium; qualia principia sunt, gratia habitualis, habitus infusi virtutum, auxilia gratiæ actualis, nimirum sanctæ illustrationes, & piæ affectiones. Secundùm enim istorum principiorum magnitudinem, præstantiam, & extensionem crescebant merita Beatæ Virginis. Quare, cùm B. Virgo habuerit excellentiorem & majorem gratiam habitualem, quàm haberent alii Sancti collectivè sumpti, intensiores itèm habitus, intensiora & majora gratiæ actualis auxilia, habuit quoque majora præ aliis Sanctis merita.

256. Tertiò. Excellentia meritorum B. Virginis habetur ex applicatione potentiarum intentionalium Animæ B. Virginis, Intellectûs & Voluntatis. Beata enim Virgo potentias suæ Animæ, Intellectum, & Voluntatem ità applicabat ad eliciendos variarum virtutum actus, ut semper operaretur juxta datæ sibi gratiæ mensuram, seu, ut operaretur ex tota gratiæ sive actualis, sive habitualis vi & virtute, ut intensioni sive habituum infusorum, sive auxiliorum actualis gratiæ, correspponderet intensio actûs virtuosi à B. Virgine eliciti, seu intensio meriti. Cùm præsertim B. Virgo caruerit fomite peccati, passionibus, & tentationibus, similibúsque impedimentis, quæ in aliis puris hominibus sunt causa remissioris actûs virtuosi & salutaris, nè his impediti agant secundùm totam virtutem & activitatem habitûs infusi, & auxiliorum gratiæ actualis. Unde B. Virgo talibus carens obstaculis & impedimentis, cùm habuerit gratiam habitualem, & habitus infusos, & gratias actuales, supra alios Sanctos, valde intensas, habuit quoque majoris intensionis merita supra omnes alios Sanctos.

257. Quartò, Excellentia meritorum Beatæ Virginis habetur ex præstantia & multiplicitate motivorum concurrentium ad actus meritorios Beatæ Virginis. Quò nobilius enim & præstantius est motivum actûs, eò præstantior, ac nobilior est & ipse actus. Hinc quia motiva Virtutum Theologicarum sunt nobiliora motivis, Virtutum Moralium; Motiva enim Virtutum Theologicarum sunt Prædicata Divina; Motiva Virtutum Moralium sunt honestates creatæ, ideò etiam actus Virtutum Theologicarum sunt nobiliores, & præstantiores actibus Virtutum Moralium. Rursus, quia inter ipsa motiva Virtutum Moralium est aliqua inæqualitas, cùm ipsæ honestates creatæ sint inæquales, ideò & ipsi actus diversarum virtutum morales sunt inæquales, quidam illorum perfectiores aliis, quidam non ità perfecti. Quòd si plura ex præstantioribus & nobilioribus motiva concurrant ad unum eundémque actum, seu, si aliquis actus respiciat plura hujusmodi motiva, & ex talibus motivis eliciatur, talis actus erit excellentior & nobilior aliis actibûs non respicientibus hæc & tot motiva, majorísque erit meriti, quàm illi alii actus. Cùm ergo Beata Virgo elicuerit actus respicientes nobilissima motiva, quales actus sunt Fidei, Spei, Charitatis. Cùm itèm elicuerit actus ex pluribus virtutum supernaturaliũ motivis; qualia motiva sunt Religionis, Obedientiæ, humilitatis, & similium; Beatæ Virginis actus virtuosi fuerunt nobilissimi & præstantissimi, & magni coram DEO meriti, facilèque etiam ex hoc capite superârunt merita aliorum Sanctorum.

258. Quintò. Excellentia B. Virginis meritorum etiam per hoc habetur, quòd merita B. Virginis statim in primo vitæ instanti inceperint. Beata enim Virgo per speciale DEI privilegium in primo suæ Conceptionis instanti habuit usum rationis sufficientem ad meritum; in eodem instanti conversa fuit ad DEUM per actus Fidei, Spei, Amoris DEI super omnia, atque per hos & similes actus meruit gratiam sanctificantem, quam in eodem instanti accepit. Si enim Angeli in primo creationis suæ in-

inſtanti diſpoſuerunt ſe ad gratiam habitualem, eámque acceperunt dependenter à ſua diſpoſitione,& merito. Si Adam primus hominum Parens in primo inſtanti creationis, & infuſionis Animæ in corpus diſpoſuit ſe ad ejuſdem Animæ in eodem inſtanti ſanctificationem, etiam Beata Virgo Angelorum, & omnium hominum Regina dependenter à ſuo merito accepit primam ſuæ Conceptionis & Animæ Sanctificationem & æſtimabilitatem ſui meriti ſupra merita hominum, qui in peccatis concipiuntur.

259. Sextò. Excellentia meritorum B. Virginis habetur adhuc ex continuatione meritorum toto vitæ ſuæ tempore, ſinè ulla interruptione actuum meritoriorum. Neque enim hi actus interrumpebantur propter aliquam Virginis defatigationem. Quia hæc locum non habuit in B. Virgine. Neque enim hæc defatigabatur labore in comparandis ſpeciebus, ad exercendos actus virtutum meritorios neceſſariis; ſiquidem ſpecies objectorum cognoſcibilium ſibi infuſas habuit ſimul cum ſcientia,& cum habitu infuſo Fidei, aliarúmque virtutum habitibus pariter infuſis, & dependenter ab his ſpeciebus eliciebat actus virtutum meritorios. Neque B. Virgo defatigabatur ratione alicujus repugnantiæ appetitûs ſenſitivi appetitui rationali; cùm B. Virgo caruerit fomite peccati, caruerit paſſionibus & tentationibus, ratione quorum in aliis puris hominibus oritur repugnantia appetituum, per quam caro concupiſcat adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem. Neque etiam ſomnô Beatæ Virginis interrumpebantur actus ipſius meritorii. Tum quia ſomnus B. Virginis fuit breviſſimus. Beata enim Virgo propter optimum corporis temperamentum, & propter moderatiſſimam vivendi rationem exigui temporis ſomno indigebat, ùt docet Eximius Doctor P. Suarez Diſp. 18. Sect. 2. *De hoc inſuper ſomni tempore, ut corpus ſuum affligeret, detrahebat Beata Virgo & bonam hujus temporis partem vigiliis & orationi impendebat*; propter hanc ſomni brevitatem cenſet prædictus Doctor, *quòd meritum Beatæ Virginis morali quodam modo continuatum fuit, & non interruptum.* Tum quia B. Virgo ſomnô non impediebatur in exercitio virtutum, ùt docet S. Ambroſius lib. 2. de Virg. *Dormire non priùs cupiditas, quàm neceſſitas fuit, & tamen cùm quieſceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in ſomniis, aut lecta repetit, aut ſomnô interruptô continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda prænuntiat.* Et S. Auguſtinus 5. contra Julianum Cap. 9. dicit. *In ſtatu Innocentiæ tam felicia erant ſomnia dormientium, quàm vita vigilantium.* Ergo & Virginis Innocentiſſimæ dormientis ſomnia tam felicia, & æquè meritoria fuerunt, atque felix & meritoria fuit vita vigilantis. Tum quia in tantum per ſomnum Virginis interrupta fuiſſent merita ipſius, in quantum per ſomnum ligatæ fuiſſent potentiæ intentionales intellectus,& voluntas, & impeditæ, nè actus meritorios elicerent. Sed non fuerunt ligatæ, nec impeditæ; in nobis enim per hoc ligantur potentiæ intentionales, quòd in ſomno nullæ ſenſationes ſenſuum externorum eliciantur, quòd non producantur, nec excitentur phantaſmata dependenter à quibus producuntur actus intentionales intellectûs & voluntatis. Atqui potentiæ intellectûs,& voluntatis B. Virginis hôc modô non fuerunt ligatæ. Beata enim Virgo actus ſaltèm aliquos intellectûs & voluntatis producebat independenter à productione,& excitatione phantaſmatum, quia illos producebat dependenter à ſcientia per ſe infuſa, dependenter ab habitu infuſo Fidei,& ſpeciebus pariter infuſis, ad uſum talis ſcientiæ & habitûs neceſſariis. Quemadmodum tales actus exiſtens adhuc in utero Matris ſuæ, dum adhuc uti non potuit miniſteriô ſenſuum exteriorum, eliciebat,& producebat. Ergo. Tum quia ligatio potentiarum intentionalium per ſomnum locum non habuit in B. Virgine. In ea enim locum non habuit pœna peccati originalis, quæ eſſet impeditiva exercitii virtutum; talibus enim pœnis, quæ illam impedirent in exercendis virtutibus, non ſubjacebat B. Virgo, ut patet in fomite peccati, & ſimilibus. Sed ligatio potentiarum ſpiritualium intentionaliū per ſomnum eſt pœna peccati originalis, impeditiva exercitii virtutū, quæ ligatio non fuiſſet in ſtatu innocentiæ, ùt conſtat ex S. Auguſtino. Ergo.

260.

260. Dices. Beata Virgo non solùm eliciebat actus supernaturales & meritorios, respicientes motivum supernaturale, sed etiam eliciebat actus naturales non meritorios respicientes motiva naturalia, idque tales actus eliciebat interpolatè, quia actus naturales, utpote minùs perfecti, debent præcedere actus perfectiores, quales sunt actus supernaturales. Deinde, juxta occurrentiam motivorum, debent elici actus motivis proportionati. Cùm ergo Beatæ Virgini non semper occurrerent & proponerentur motiva supernaturalia, sed etiam occurrerent, & proponerentur ipsi motiva supernaturalia; B. Virgo non semper elicuit actus respicientes motiva supernaturalia, sed subinde elicuit actus respicientes motiva naturalia; adeoque elicuit etiam actus naturales. Unde ulteriùs sequitur per actus naturales fuisse identidem interruptos actus supernaturales, & meritorios Beatæ Virginis.

Respondeo. Dici inprimis posse, quòd omnes actus intellectûs & voluntatis B. Virginis efficaces & deliberati fuerint supernaturales & meritorii, nulli fuerunt naturales, & non meritorii. Quia dicti actus habebant omnia prædicata, quæ sunt de essentia actûs supernaturalis meritorii, & omnes conditiones requisitas ad esse talium actuum; fuerunt enim primò actus illi liberi, quia ex plena deliberatione & determinatione B. Virginis eliciti. Beata enim Virgo à nullo principio ad suos actus necessitabatur, sed sicut omnium aliarum rerum, ità idque vel maximè suorum actuum habuit plenum, & perfectum dominium. Secundò. Actus Beatæ Virginis omnes fuerunt honesti, nulli erant moraliter mali, nulli vitiosi; tales enim actus repugnant summæ puritati, summæ sanctitati, & impeccabilitati Beatæ Virginis. Nulli erant indifferentes, quia ad finem supernaturalem referebantur, nimirum ad obsequium & gloriam DEI, &c. Tertiò. Omnes tales actus Beatæ Virginis causabantur ab habitibus infusis supernaturalibus virtutum, vel aliis principiis; cùm enim B. Virgo habuerit tales habitus, ipsis pro suo libitu utebatur. Quartò. Omnes actus B. Virginis efficaces, & deliberati eliciebantur dependenter à præviis supernaturalibus sanctis illustrationibus, & piis affectionibus. Virgo enim Beata habuit abundantes hujusmodi gratias, nunquam illis destituebatur, sed semper excitabatur ad operandum salutariter & meritoriè, semper itèm cooperabatur dictis gratiis, idque juxta mensuram earundem. Quintò tandem, dicti actus ut essent meritorii de condigno augmenti propriæ gratiæ, dignificabantur tanquam à principio formali, à gratia habituali, quæ in Virgine Beata fuit intensissima, & quâ fuit plena: dignificabantur itèm à Maternitate DEI. Præterea nihil defuit actibus efficacibus deliberatis B. Virginis, quò minùs essent supernaturales & meritorii. Ergo. Certè, si quid defuisset, defuisset illud, quòd B. Virgo aliquibus suis actibus respiceret motivum naturale, & non supernaturale. Atqui hoc non defuit; quia nullum motivum actûs honesti, si proponatur per illustrationes sanctas, & pias affectiones supernaturales, est motivum merè naturale, & non potiùs supernaturale. Cùm enim virtutis unum idemque motivum respicientis actus possint esse quidam naturales, quidam supernaturales; tale motivum respectu actuum supernaturalium per hoc erit supernaturale, quòd proponatur per illustrationes sanctas, & pias affectiones supernaturales, & quòd ad earum excitationem fiat actus. Erit verò motivum naturale per hoc, quòd proponatur per illustrationes, & pias affectiones naturales. Cùm ergo B. Virgo semper habuerit gratias actuales excitantes supernaturales, nimirum sanctas illustrationes, & pias affectiones supernaturales, & ad talium gratiarum excitationem, produceret quoscunque actus virtutum efficaces & deliberatos; Beata Virgo omnibus suis actibus respiciebat motivum supernaturale, & omnes sui actus efficaces, & deliberati erant supernaturales, & meritorii. Dici deinde potest cum aliis, quòd B. Virgo elicuerit semper actus supernaturales & meritorios, ex eo, quia cùm eliceret tales actus, quorum singuli respiciebant plura motiva, illi actus B. Virginis, qui respiciebant motivum naturale, respiciebant simul motiva supernaturalia, & ratione respectûs talium motivo-

rum, erant actus entitativè supernaturales & meritorii. Tandem dici potest, quòd etiamsi B. Virgo elicuisset actus merè naturales, tamen per tales actus non interrumpebantur actus meritorii ejusdem; neque enim actus naturales eliciebantur interpolatè, & cum cessatione aliqua ab actibus supernaturalibus, sed ità eliciebantur, ut simul elicerentur actus supernaturales respicientes motivum supernaturale. Cùm actus naturales honesti, & virtuosi nullam dicant incompossibilitatem cum actibus supernaturalibus, & meritoriis, ut cum illis stare non possint: decueritque Matrem DEI Sanctissimam, ut in vita sua semper mereretur. Licèt verò actus naturales deberent præcedere actum supernaturalem, quod gratis & levi fundamento asseritur, tamen non debent illum præcedere prioritate temporis, & durationis, sed debent præcedere vel prioritate naturæ, vel aliqua alia prioritate etiam minùs propria. Occurrentia quoque motivorum naturalium, aut non est simpliciter prior, quàm occurrentia motivorum supernaturalium, aut est prior, non prioritate temporis & durationis, sed prioritate aliqua alia v. g. Naturæ, vel Rationis &c.

261. Septimò. Excellentia meritorum Beatæ Virginis habetur ex principiis formalibus dignificativis, seu à forma dignificante talia merita, in eáque refundente valorem, æstimabilitatem, & condignitatem. Porrò meritorum Beatæ Virginis duplex fuit forma dignificans. Una fuit forma gratia habitualis; sicut enim aliorum Sanctorum merita condignitatem, & æstimabilitatem suam habent à gratia habituali, ut sint meritoria de condigno augmenti propriæ gratiæ, seu quòd ponantur à persona grata præmianti; Ità & merita Beatæ Virginis suam condignitatem, & æstimabilitatem habebant à gratia habituali, ut essent meritoria de condigno augmenti gratiæ, quæ ad singula merita augebatur juxta mensuram gratiæ dignificantis. Et quia gratia habitualis B. Virginis fuit intensior & major quibuscunque gratiis collectivè sumptis quorumvis Justorum. Quia itèm dicta gratia crescebat per singula merita ad mensuram gratiæ præhabitæ; Merita B. Virginis dignificata per tantam gratiam, habebant condignitatem, valorem, & æstimabilitatem valde magnam, & propè immensam. Altera forma dignificans merita B. Virginis fuit Maternitas DEI; Matris enim merita sunt æstimabiliora apud Filium, quàm cujusvis alterius personæ creatæ à Matre distinctæ. Hæc forma, quia in ratione sanctitatis, & formæ sanctificantis, fuit excellentior quibusvis aliis formis sanctificantibus purè creatis; quia itèm fuit altioris ordinis, fuit enim ordinis connexi cum existentia unionis hypostaticæ, eámque inferentis, ideò merita Virginis à tali forma dignificata, fuerunt magno excessu excellentiora & præstantiora aliis quibusvis meritis puræ creaturæ, imò fuerunt altioris ordinis supra illa alia merita.

# PUNCTUM IV.

## De Gloria Beatæ Virginis.

Ea, quæ de Gloria Beatæ Virginis tractanda censentur, duobus §. proponentur. Primò Resolvetur, qualis, & quanta sit gloria Virginis Beatæ? Secundo §. resolvetur Quæstio illa: An si Beata Virgo mortua fuisset ante Christi Passionem & Mortem, assumpta fuisset in Cœlum, eámque gloriam statim in Cœlis habuisset, quam nunc habet?

## §. I.

### Qualis, & quanta sit Gloria Beatæ Virginis?

262. Præmitto primò. Beatam Virginem non habuisse permanenter Visionem beatam, in qua principaliter consistit Beatitudo Essentialis, & Gloria Animæ. Licèt certis temporibus etiam in vita mortali habuerit sibi concessam brevi spatio temporis durantem visionem intuitivam DEI; multò minùs habuit permanenter gloriam sacri sui Corporis, quam habet nunc assumpta in cœlos, quamvis Num. 198 censuerim, quòd etiam Corporis gloriam habuerit identidem ad breve tempus sibi concessam.

263. Præmitto secundò. Quòd Bea-

Beata Virgo post mortem & assumptionem suam habeat in Cælis gloriam non solùm animæ, consistentem in visione intuitiva DEI, & amore fruitivo ejusdem, sed etiam corporis, consistentem in glorificatione ejusdem per corporis collocationem in Cælo Empyreo, & per quatuor dotes, quæ conferuntur à DEO gloriosis corporibus, nimirum per subtilitatem, agilitatem, claritatem, & impassibilitatem. Etiamsi enim ex puris hominibus ante diem judicii nullus Beatorum habeat gloriam corporis sui, in quo vixit, sed solùm animæ ipsorum sunt in gloria, habéntque suam beatitudinem videndo intuitivè DEUM, & amando ipsum amore fruitivo, in quibus actibus consistit gloria & Beatitudo animæ. Corpora verò eorundem nonnisi post resurrectionem universalem, in qua reunientur suis animabus, & post extremum judicii universalis diem assumentur in Cælum, & glorificabuntur. Virgo tamen Beata cum corpore post mortem in Cælum assumpta, ùt docet Ecclesia & SS. Patres, habet & animæ & corporis Beatitudinem, & gloriam, quam utramque simul præter DEI & Virginis Beatæ Filium, nullus adhuc mortalium habet.

264. Præmitto tertiò. Gloriam & Beatitudinem aliam esse essentialem, aliam accidentalem. Essentialis Beatitudo est illa, sinè qua non subsistit essentia & ratio Beatitudinis, nec sinè ipsa potest quisquam esse felix & beatus. Est verò beatus, si hanc habeat. Talis Beatitudo consistit in visione intuitiva DEI, & in amore ejus fruitivo. Si enim hi actus non intelligantur esse in aliqua creatura rationali, illa non est felix & beata; Si verò per hos actus possideat intentionaliter DEUM, licèt non adsint alia, censetur talis creatura esse summè felix, & Beata. Beatitudo accidentalis est, sinè qua potest quis esse simpliciter beatus, advenire tamen potest, & solet beatitudini essentiali & causare ac augere gaudium, & perfectionem Beati. Talis beatitudo consistit in quibusdam cognitionibus objectorum creatorum, in Laureolis aliquibus, in dotibus corporis gloriosi, earúmque perfectione speciali. His præmissis dubitatur in præsenti: Gloria essētialis animæ B. Virginis qualis & quāta sit, qualis itèm, & quanta sit gloria accidentalis ejusdem?

265. Dicendum est primò. Gloriam essentialem Beatæ Virginis consistentem in visione intuitiva, & amore DEI fruitivo, inferiorem esse gloriâ essentiali animæ Christi, majorem verò & intensiorem gloria essentiali omnium collectivè Sanctorum.

Ratio primi est. Tum quia major gloria & Beatitudo debetur Humanitati Filii DEI naturalis, quàm Matri ejusdem Filii secundùm carnem. Humanitati enim Filii DEI naturalis gloria debetur jure potiore & excellentiore, nimirum jure Filiationis DEI naturalis. Beatæ verò Virgini debetur gloria jure inferiore, quia debetur jure Filiationis DEI adoptivæ, & jure Maternitatis Filii DEI. Porrò sicut jus conveniens ratione Filiationis DEI naturalis, est longè superius & excellentius, quàm jus Filiationis DEI adoptivæ, & quàm jus Maternitatis DEI; Ità & gloria, ad quam habetur jus ratione Filiationis DEI naturalis, debet esse longè excellentior, quàm gloria, ad quam habetur jus ratione Filiationis DEI adoptivæ, & ratione Maternitatis DEI, cùm præsertim dari possit inæqualitas inter utrâque hanc gloriam. Tum quia, etiamsi Matri Regis debeatur magnus honor, & gloria, tamen major gloria & honor debetur ipsi Regi, præsertim si Rex sit DEUS homo. Sed Beata Virgo est Mater Regis Seculorum, Christus hujus Matris Filius, est Rex, ísque DEUS homo. Ergo Christo major debetur honor & gloria, quàm Virgini Beatæ, adeoque gloria essentialis Beatæ Virginis est minor & inferior gloriâ essentiali animæ Christi.

266. Ratio secundi est. Tum quia gloria Beatæ Virginis est proportionata gratiæ, quam habuit in vita sua, ídque gratiæ, quam habuit in vitæ suæ termino. Hæc enim debet proportionari tali gratiæ tanquam hæreditas juri ad hæreditatem. Eadem gloria est proportionata meritis Beatæ Virginis tanquam præmium eorundem, & tanquam pretium & merces laborum & obsequiorum, tanquam corona bona certaminis &c. Cùm ergo gratia habitualis, quam Beata Virgo habuit in vitæ suæ morta-

mortalis termino, fuerit magno exceſſu major quibûscunq; gratiîs collectivè ſumptis quorumcunq; juſtorum, merita pariter B. Virginis, cùm fuerint notabiliter majora & æſtimabiliora meritis collectivè ſumptis quorumcunq; Sanctorum; etiã gloria eſſentialis B. Virginis magno exceſſu ſuperat gloriam quorumvis Sanctorum, ſeu ipſorum beatitudines collectivè ſumptas, hisque eſt æſtimabilior. Huc ſpectat illud D. Bernardi Serm. 1. de Aſſumptione. *Quantum gratiæ in terris adepta eſt præ cæteris, tantum obtinuit in Cælis gloriæ ſingularis.* Tum quia ratione Maternitatis DEI, Virgini DEIparæ debebatur gloria ſingularis. Certè enim Filius honorat Matrem, ipſam ſibi in gloria vult eſſe proximam, vult eam ſibi à dextris aſſiſtere, juxta illud: Aſtitit Regina à dextris tuis &c. Non vult, ut illi in gloria coæquentur alii Sancti. Id enim & Filium, & Matrem ejus decet. Hanc rationem inſinuat Mellifluus Doctor Serm. citato, ubi dicit: *Nec in terris locus dignior uteri Virginalis templô, in quo Filium DEI MARIA ſuſcepit, nec in Cælis regali ſoliô, in quo MARIAM MARIÆ Filius ſublimavit.*

Quod ſi quæras: per quid B. Virgo majorem gloriam habet præ quibusvis Sanctis, & in quo conſiſtit hic gloriæ Virginis exceſſus?

267. Reſpondeo, Beatam Virginem gloriam eſſentialem habere majorem tam intenſivè, quàm extenſivè, quàm habeant quivis alii Sancti. Habet majorem gloriam intenſivè, quatenus perfectiore & intenſiore claritate videt DEUM, ſeu clariorem & intenſiorem viſionem intuitivam DEI habet, & perfectiore ac intenſiore amore fruitivo in ipſum fertur. Sicut enim eſt inæqualitas inter claritatem ſolis, claritatem Lunæ, & claritatem ſtellarum, ità eſt inæqualitas viſionum, quibûs DEUS Beatitudo noſtra objectiva intuitivè videtur. Claritas viſionis, qua anima Chriſti intuitivè videt DEUM, habet ſe permodum claritatis ſolis. Claritas viſionis, qua Beata Virgo videt DEUM, habet ſe permodum claritatis lunæ. Claritas viſionum, qua alii Sancti eundem DEUM intuentur facie ad faciem, habet ſe permodum claritatis ſtellarum. Habet etiam Beata Virgo majorem extenſivè gloriam, quatenus viſio ipſius extendit ſe ad repræſentandum intuitivè, non ſolùm eſſentiam DEI, Perſonas omnes Divinas, & primaria DEI Attributa, ſed etiam extendit ſe ad repræſentanda clarè prædicata DEI ſecundaria, ſeu gradus Attributorum. Itèm extendit ſe Beatæ Virginis viſio, non ſolùm ad videnda prædicata DEI neceſſaria, ſed etiam ad videnda prædicata libera, ùt ad plura Decreta DEI. Quatenus itèm in VERBO videt plures creaturas, quatenus itèm videt intuitivè, quæcunque in vita ſua cognovit, per ſcientiam per ſe infuſam, per habitum infuſum Fidei, & ex Revelationibus ſibi à DEO factis, denique per ſcientias acquiſitas & experimentales. Quatenus denique videt quascunque veritates ad ſtatum Matris DEI, tanquam Reginæ omnium creaturarum, Matris omnium viventium, Mediatricis & Advocatæ noſtræ ſpectantes, idque non ſolùm veritates circa objecta abſolutè aliquando exiſtentia, ſed etiam veritates aliquas merè conditionatè futuras, quas DEUS per ſcientiam Mediam videt, vúltque Virgini DEIparæ manifeſtas eſſe.

268. Dicendum eſt ſecundò. Beatam Virginem præter gloriam eſſentialem, habere etiam gloriam accidentalem, eámque majorem præ aliis Sanctis.

Probatur. Tum quia Beata Virgo habet cognitiones aliquorum effectuum de novo evenientium, quæ in anima Sancta ipſius ità cauſant & augent gaudium, ut ſinè tali gaudio & cognitionibus gaudium illud cauſantibus, Beata Virgo fuiſſet perfectiſſimè felix & Beata. Ergo Beata Virgo habet gloriam accidentalem, hæc enim conſiſtit in dictis cognitionibus & gaudio. Antecedens probatur. Beata Virgo cognoſcit Beatam ſe dici à quibusdam gentibus, de novo ad DEUM, ſuum Filium per fidem ſuſceptam converſis, & indè gaudium percipit, juxta illud: *Exultavit Spiritus meus in DEO ſalutari meo. Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Cognoſcit hæreticos converti ad veram fidem, Hæreſes extingui, & interimi, & indè gaudet & lætatur, juxta illud Eccleſiæ. *Gaude MARIA Virgo, cunctas hæreſes ſolas interemiſti in univerſo mundo.* Cognoſcit Beata Vir-

Virgo ſua ope & interceſſione peccatores plerosque DEO reconciliari, & ſeriam agere pænitentiam, & exinde concipit gaudium. Si enim *Sanctis Angelis gaudium eſt in Cælo ſuper uno peccatore pænitentiam agente*, quantò magis gaudet Regina Angelorum, quotiescunque cognoſcit peccatorem aliquem converti ad DEUM, & agere pænitentiam. Cognoſcit multos Catholicos, ad ſe ùt Matrem recurrere, ſuam opem ùt Filios implorare, in neceſſitatibus ſuis confugere, affectu filiali in ſe ferri. Videt Fidelium orationes, honores ſibi exhibitos &c. Videt plurimos ſua interceſſione obtinere gratias & beneficia, quibûs egent, quæ poſtulant. Videt illis à Filio ſuo Chriſto conferri ſalutis media, & ad ſalutem plerosque per ſuam interceſſionem pervenire. Videt ſuis Filiis Cælos repleri, & reſtaurari ruinas Angelorum. Et ex his omnibus Virgo B. percipit gaudium; neque enim fieri poteſt, ut Mater non lætetur felicitate Filiorum. Ergo. Tum quia Beata Virgo, ùt docent communiter Theologi, habuit Aureolas, quales quibusdam ſanctis conferuntur. Habuit Aureolam Virginitatis, propter ſuam intemeratam Virginitatem, ratione cujus Virgo fuit mente & corpore puriſſima, tantùm à DEO honorata, ut Virgo conciperet, Virgo pareret, Virgo in æternum permaneret. Habuit Aureolam doctoralem, tanquam Magiſtra Apoſtolorum. Habuit Aureolam Martyrii, quia fuit Martyr in anima, in Paſſione & morte Filii ſui, *Animam ipſius doloris gladius pertranſivit*. Eximius Doctor P. Franciſcus Suarez Tom. 2. Diſp. 21. Sect. 4. citans S. Bonaventuram in Speculo cap. 6. cenſet *Beatam Virginem habere quartam Aureolam ſoli ſibi propriam & ſpecialem, quam, præter ipſam, nemo habet, nimirum Aureolam Maternitatis DEI, ſeu ſingularem aliquem & admirabilem ſplendorem, vel aliquid aliud, quod eſſet veluti inſigne Regiæ dignitatis, ac Maternitatis DEI.* Ergo Beata Virgo habuit gloriam accidentalem, quæ inadæquatè ſumpta conſiſtit in hujusmodi Aureolis. Ratione hujus gloriæ Beata Virgo itá excedebat alios Sanctos, ſicut Maternitas DEI excedit alias ſanctitates; & ſicut Maternitas DEI eſt ſuperioris ordinis, itá Beatæ Virginis gloria eſt ſuperiòris ordinis, quàm ſit gloria aliorum Sanctorum. Hinc aliqui Theologi putant, quòd Beata Virgo conſtituat ſpecialem chorum in Cælis, in quo exiſtens habet hoc, quòd ſit exaltata ſuper omnes Angelorum choros. Tum quia gloria accidentalis inadæquatè ſumpta, conſiſtit in dotibus glorioſi Corporis, earum perfectione ſpeciali. Cùm ergo Beata Virgo habuerit dotes corporis glorioſi in gradu perfectiſſimo, tales enim Matrem DEI dotes decent; Beata Virgo quò ad rationem dictam habuit gloriam accidentalem perfectiſſimam.

## §. II.

### An Beata Virgo, ſi mors ipſius præceſsiſſet Paſsionem & Mortem Chriſti, deſcendiſſet ad limbum, an verò aſſumpta fuiſſet immediatè ad Cælum, eámque gloriam ſtatim habuiſſet in Cælis, quam nunc habet?

269. Præmitto primò. In præſenti Providentia, ſecundùm quam Paſſio & Mors Chriſti præceſſit, Mors verò Beatæ Virginis ſubſecuta eſt; Certum eſt Beatæ Virginis animam non deſcendiſſe ad limbum. Per mortem enim, & deſcenſionem Chriſti ad inferos, eductis ex limbo Patribus, confractis portis æreis & vectibûs ferreis, nullæ ampliùs animæ ad limbum deſcendunt. Certum ſecundò eſt, animam Beatiſſimæ immediatè poſt mortem fuiſſe eſſentialiter Beatam. Animæ enim finito per mortem ſtatu viæ, & conſtitutæ in termino, ſi non impediantur, admittuntur ſtatim ad viſionem DEI, & ſunt eſſentialiter beatæ. Sed Beatæ Virginis anima per mortem, ſubſecutam poſt mortem Chriſti finivit ſtatum viæ, fuitq; conſtituta in termino, nec impediebatur, nè aſſequeretur beatitudinem eſſentialem, ſeu viſionem; neque enim impediebatur ullo peccato actuali vel originali, quia ab omni immunis fuit. Neque

que etiam impediebatur aliqua lege. Si quæ enim lex fuit, nè animæ Sanctæ poſt mortem ſtatim videant intuitivè DEUM, lex illa per Paſſionem & mortem Chriſti ſublata eſt. Ergo anima Beatæ Virginis, in præſenti Providentia, poſt mortem ſuam immediatè admiſſa eſt ad viſionem intuitivam DEI, fuitque eſſentialiter Beata. Certum tertiò & illud eſt. Quòd Beatæ Virginis aſſumptionem in Cælum præceſſerit vera mors ejusdem. Et quòd Beata Virgo verè mortua fuerit, antequam aſſumeretur in Cælum, ùt docet Eccleſia & SS. Patres. Ex quibus S. Joannes Damaſcenus, cùm ſibi objeciſſet. *Ex qua omnibus vera vita manavit, quomodo illa mortem guſtaret?* Statim reſpondet. *Sed cedit legi latæ ab eo, quem genuit, & ùt Filia veteris Adam veterem ſententiam ſubiit.* Quartò tandem certum eſt. *Corpus Beatæ Virginis poſt mortem & dormitionem ejuſdem manſiſſe per aliquod tempus exanime, in loculo fuiſſe depoſitum Gethsemani. Per tres dies continuos in eo loco fuiſſe auditum concentum Angelorum, idque certum eſt ex antiqua traditione,* ùt teſtatur S. Joannes Damaſcenus Orat. 2. de Dormit. DEIparæ, adeoque certum eſt Beatam Virginem cum corpore poſt mortem non eſſe immediatè aſſumptam in Cælum, ſed inter mortem Virginis, & inter glorioſam ejus aſſumptionem interceſſiſſe circiter tempus tridui, poſt quod ceſſavit concentus Angelorum in loco, in quo depoſitum fuit ſacrum Corpus Beatæ Virginis. De eo controverti poteſt. Intrà tempus mortis Beatæ Virginis, & inter reunitionem animæ Corpori, quæ fuit vel in aſſumptione, vel proximè ante aſſumptionem Virginis; ubinam anima Beatæ Virginis fuerit, an in terris, an ad Cælos evolaverit? In hujus controverſiæ deciſionem nullibi incidi. Cenſeo tamen animam Beatæ Virginis poſt ſeparationem ſui à corpore per mortem evolâſſe immediatè ad Cælum, ſicut eò ſtatim evolant animæ Beatorum, quæ purgatione poſt mortem non egent: ità tamen, ut ſacra illa anima in decurſu tridui à morte, ad corpus ſuum redierit, illique reunita cum corpore glorioſo aſſumpta fuerit in Cælum.

270. Præmitto ſecundò. Per limbum & ſinum Abrahæ intelligi ſecundùm S. Gregorium lib. 13. moral cap. 16. *Locum ipſius inferni, in quo juſtorum animæ ſinè tormento tenebantur; grave tamen tædium illis fuit poſt ſolutionem carnis, adhuc ſpeciem non videre Creatoris.* S. Thomas cenſet SS. Antiquos Patres in limbo dolorem habuiſſe ex dilatione ſperatæ gloriæ. Dicit enim in 3. parte, Quæſt. 52. art. 2, ad 2dum. *Alius dolor eſt de dilatione ſperatæ gloriæ, ſecundùm illud Proverb. 13. Spes, quæ differtur, affligit animam: quem quidem dolorem patiebantur SS. Patres in inferno.*

271. Præmitto tertiò. Per Cælum Empyreum intelligi locum deſtinatum à DEO, in quo DEUS manifeſtat ſe videndum Beatis, & manifeſtaturus eſt per totam æternitatem. Locus hic non eſt de eſſentia Beatitudinis, nec ad rationem Beatitudinis requiſitus, ità ut beatitudo eſſentialis non habeatur, niſi quis ſit in Cælo Empyreo. Anima enim Chriſti à primo inſtanti ſuæ creationis, & Incarnationis VERBI Divini, fuit eſſentialiter Beata, vidit enim intuitivè DEUM, licèt tunc non fuerit in Cælo Empyreo. Sancti etiam Angeli Cuſtodes noſtri *vident faciem Patris*, ſúntque eſſentialiter Beati, etiamſi non ſint in Cælo Empyreo, ſed nobis adſint præſentes in terris. Cælum Empyreum, ùt docet Richardus in 4tum Diſtinct. 45. art. 1. Quæſtione 4. *Quamvis in nullo augeat animarum beatarum eſſentialem delectationem, auget tamen delectationem accidentalem, in quantum illæ locum illum plùs quàm alium diligunt, præſentia autem reì dilectæ aliquam cauſat delectationem.*

His præmiſſis, præſentis paragraphi Quæſitum procedit de altera Providentia, in qua mors Beatæ Virginis DEIparæ præveniſſet Paſſionem & mortem Chriſti Filii ſui; & inquiruntur ſequentia. Primò. An Beatæ Virginis anima in tali Providentia deſcendiſſet poſt mortem ad limbum Patrum, in ſinum Abrahæ, ibique manſiſſet ad mortem & Reſurrectionem Chriſti. Secundò. An in dicta providentia & ſuppoſitione, anima Beatæ Virginis ſtatim poſt ſeparationem ſui à corpore, habuiſſet Beatitudinem eſſentialem, ſeu viſionem intuitivam DEI, & amorem ejus fruitivum? Tertiò. An in hac ipſa ſuppoſitione

tione Beata Virgo post suam mortem immediatè statim ingressa fuisset in Cælum, idque an fuisset ingressa in Cælum secundùm animam, an certè simul & secundùm animam, & secundùm corpus?

Circa hæc variæ sunt Theologorum sententiæ. Aliqui, ut Alensis, Scotus, Abulensis censent, quòd Beata Virgo, si prior mortua fuisset, quàm Christus, decendisset ad limbum in sinum Abrahæ, ibique mansisset ad Christi passionem & mortem. Pro eadem opinione citatur S. Thomas in 3. parte quæst. 27. art. 1. ad 3tium, qui tamen locò citatò solùm asserit, quòd Beata Virgo non fuit liberata à reatu, quo tota natura obnoxia tenebatur, ut scilicet non intraret in paradisum, nisi per Christi hostiam. Sicut & de SS. Patribus dicitur, qui fuerant ante Christum. Sunt verò diversa, non intrare in paradisum, & descendere ad limbum. Alii censent cum Gerson, & Bernardino de Busto, & aliis, quòd Beata Virgo in tali suppositione non descendisset ad limbum. Ex his Theologis aliqui putant, quòd Beatæ Virginis mortuæ anima mansisset in terris, Angelis comitata. Alii putant, quòd ivisset in paradisum terrestrem, ibique mansisset ad mortem Christi. Alii existimant, quòd in aliquo Cælo, non tamen in Cælo Empyreo expectasset mortem, Resurrectionem, & Ascensionem Christi. Non desunt etiam, qui putant, quòd in dicta suppositione Beatà Virgo non expectata morte Christi, assumpta fuisset in Cælum Empyreum. Authores pro unaquaque opinione videri possunt apud Joannem Marin Tractat. 17. de Incarnatione Disp. ultima,

272. Dicendum est, quòd Anima B. Virginis in suppositione, in qua mortua fuisset ante Christi Passionem & mortem, non descendisset in limbum, seu sinum Abrahæ, fuisset statim essentialiter Beata. Et licèt non habuisset Januas Cæli sibi clausas, non fuisset tamen assumpta in Cælum Empyreum, sed mansisset in terris cum Christo suo Filio.

Prima pars probatur. Tum quia descensus animæ puri hominis in limbum, est pæna peccati: est enim pæna damni, vel cum ea conjungitur. Idem descensus secundùm S. Gregorium, *dicit grave tædium ex eo, quòd anima carne soluta non videat faciem Creatoris.* Secundùm S. Thomam, *dicit dolorem ex dilatione speratæ gloriæ.* Atqui anima Beatæ Virginis non deberet subjacere ulli pænæ, quæ purè pæna esset, & quæ esset cum diminutione perfectionis sibi aliàs debitæ, quæ item impediret potentiarum intentionalium conjunctionem cum summo bono. Cùm enim anima Sanctissimæ Virginis fuisset immunis ab omni prorsus culpa sive actuali, sive originali, non debuit quoque subesse ulli pænæ. Eadem anima non deberet pati grave illud tædium ex carentia visionis DEI, nec dolorem ex dilatione speratæ gloriæ. Hic enim dolor & tædium non convenit Matri DEI, quæ sinè dolore peperit Salvatorem, ac in vita mortali superabundabat gaudiô. Ergo. Tum quia Sancti Angeli, qui perseverârunt in gratia, nec in ullum unquam prolapsi sunt peccatum, post terminum viæ suæ, ad nullum carcerem sunt detrusi, nec per ullum tempus passi sunt dolorem ex carentia visionis intuitivæ DEI, & ex dilatione speratæ gloriæ. Ergo nec Regina Angelorum, quæ non solùm in nullum prolapsa est peccatum, sed etiam & meritis, & gratiâ longè excedit quoscunque Sanctos Angelos, in facta suppositione, deberet damnari ad infernalem limbi carcerem, ad pænam damni, & dolorem sustinendum ex dilatione debitæ sibi gloriæ. Tum quia, si Beata Virgo ex aliqua ratione deberet descendere in limbum, in suppositione suæ mortis prævenientis mortem Christi, deberet descendere ratione universalis legis statuentis, ut omnes ante Christum morientes descendant in sinum Abrahæ. Sed ratione talis legis non deberet descendere. Quia tali lege non deberet comprehendi Beatissima. Legibûs enim generalibûs pænalibûs, quæ feruntur occasione peccati, seu propter peccatum, non debet teneri Beatissima juxta illam Regulam Tridentini Sess. 5. *Beatissima Virgo non venit in locutiones generales, dum de peccatis agitur.* Et juxta protestationem Divi Augustini Cap. 35. de natura & gratia, ubi protestatur: *Excepta Beatâ Virgine, de qua, dum de peccatis agimus, nullam prorsus volo haberi mentionem.* Atqui lex statuens, ut morientes in gratia

 ante

ante Christum descendant in limbum, & in sinum Abrahæ, est lex generalis pœnalis lata occasione peccati, seu propter peccatum Adæ transfusum in posteros, non tamen in Beatam Virginem. Ergo hac lege non deberet teneri Beatissima. Confirmatur. Lex generalis statuens, ut omnes ante Christi Passionem & mortem morientes in gratia, descenderent in sinum Abrahæ, in suppositione mortis B. Virginis ante Passionem & mortem Christi, posset sic fieri, ut non comprehenderet Beatam Virginem, seu cum exceptione B. Virginis, quemadmodum cum ipsius exceptione tot aliæ leges latæ sunt, deceret etiam, ut in dicta suppositione lex illa cum dicta exceptione ferretur. Deceret, inquam, & DEUM ferentem legem, summè beneficum in Matrem Filii sui, & ipsam Virginem DEIparam. Ergo in suppositione prædicta sic lex præfata lata fuisset, ut non comprehenderet Beatam Virginem, adeoque Beata Virgo in suppositione facta, non descendisset in limbũ Patrum, & in sinũ Abrahæ.

273. Secunda pars assertionis, Quòd Beata Virgo, si mortua fuisset ante Christi Passionem, fuisset statim essentialiter Beata, seu haberet visionem intuitivam DEI, probatur. Tum quia anima hominis, qui statum viatoris finit, nec habet obstaculum, sive impedimentum, videt statim intuitivè DEUM, & est essentialiter beata; non cadit enim in DEI pietatem, negare illi visionem intuitivam & Beatitudinem essentialem, ad quam est creata; & cùm Beatitudo essentialis sit corona, sit præmium, sit merces condicta finitâ pugnâ, & obtentâ Victoriâ, positis & finitis obsequiis, & meritis, perfecto labore, ex quadam æquitate debet retribui à justissimo Remuneratore, dum hujus retributionis nullum est obstaculum, nullum impedimentum. Atqui, si B. Virgo mortua fuisset ante Christi mortem & Passionem, finivisset statum viatoris, hic enim status morte finitur, & à statu viatoris fit trãsitus ad alium statũ nimirum ad statum consistentis in termino. Non habuisset etiam B. Virgo obstaculum & impedimentum, propter quod deberet differri retributio beatitudinis essentialis. Quia neque habuisset obstaculum ex peccatis & reatu pœnæ temporalis sustinendæ, cùm nulli peccato unquam obnoxia esset, neque habuisset obstaculum in lege DEI, qua statuit, ut nullus hominum ante Passionem Christi esset essentialiter Beatus; quam legem insinuat Apostolus ad Hebr. 11. *Juxta fidem defuncti sunt omnes, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes.* Hæc enim lex, siquidem, utpote pœnalis, non comprehenderet Beatam Virginem, non esset respectu illius obstaculum & impedimentum, quò minùs statim post mortem esset essentialiter Beata. Tum quia Beata Virgo pro illa suppositione, etiamsi Beatitudinem essentialem deberet habere ex meritis Passionis & mortis Christi, tamen non deberet illam consequi nonnisi post physicè existentia, & duratione præcedentia merita Passionis & mortis Christi; sicut Patres antiqui habebant quascunque gratias ex meritis Passionis & mortis Christi, quamvis gratias illas acceperint bene ante physicam & realem existentiam talium meritorum, imò & ipsa Virgo omnes gratias copiosissimè sibi collatas habuit ex meritis Passionis & mortis Christi, quamvis plurimæ illarum tempore præcesserint Incarnationem Filii DEI, merita Passionis, & mortis ipsius. Atqui in dicta suppositione Beata Virgo Beatitudinem essentialem acciperet ex meritis Passionis & mortis Christi, quamvis merita hujusmodi posteriùs tempore & duratione existerent. Hoc enim & Christum Filium ejus deceret, ut Matri suæ Beatitudinem essentialem mereretur per merita Passionis & mortis suæ posteriùs tempore & duratione existentia, per qualia merita meruit eidem primam ejus sanctificationem, pluresque alias gratias. Et Matrem DEI pariter deceret, illique gloriosius esset, ex Filii sui meritis physicè posteriùs quò ad durationem existentibus, in casu mortis suæ præcedentis mortem Filii, accipere Beatitudinem essentialem, immediatè post ipsam suam mortem. Sicut eidem gloriosum est, ex meritis ejusdem Filii accepisse primam sui sanctificationem, aliasque plures gratias, antequam dicta merita actualiter physicè existerent. Ergo. Tum quia decuit, ut Mater Filii DEI per privilegium speciale in primo instanti creationis suæ animæ, ejúsque

que infusionis & unionis cum corpore, acciperet & haberet gratiam sanctificantem, per quam ejus Conceptio immaculata esset. Ergo decuit, ut eadem Mater Filii DEI in primo statim instanti separationis animæ suæ à corpore, haberet Beatitudinem essentialem, adeoque Beata Virgo, si mortua fuisset, antequam Christus pateretur, & moreretur, habuisset immediatè statim à morte sua Beatitudinem essentialem.

274. Tertia pars nostræ assertionis, quòd in dicta suppositione Beata Virgo non habuisset sibi clausas Januas Cæli, probatur. Tum quia si in dicta suppositione ob aliquam rationem Januæ Cæli clausæ essent Beatæ Virgini, clausæ essent ratione legis, qua DEUS statuit, ut Januæ Cæli nulli paterent ante mortem Christi, seu quousque morte & Passione Christi non reserarentur. Sed ob hanc rationem Januæ Cæli non essent clausæ Beatæ Virgini. Quia hæc lex non fuit taliter lata, ut etiam Beatam Virginem comprehenderet. Hujusmodi enim leges pænales generales ità feruntur, ut non comprehendant Beatam Virginem, ut patet inductione tot legum pænalium. Legis illius generalis in omnes mulieres latæ Gen. 3. *In dolore paries.* Legis itèm illius: *in pulverem reverteris.* Legis etiam de rebellione appetitûs sensitivi appetitui rationali, & de fomite peccati. Legis de descensione ad limbum Patrum omnium sanctè morientium, ante Passionem & mortem Christi. Legis de non videndo intuitivè DEO ab animabus morientium ante Passionem & mortem Christi, & sic de cæteris. Quæ omnes leges taliter latæ sunt, ut illis Virgo Beata non teneretur. Ità ut de Virgine DEIpara intelligi debeat, quod ad Esther dictum fuerat ab Assuero legem generalem à se latam explicante: Esther 15. *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Tum quia secundùm Principium, quo utitur Eximius Doctor P. Suarez: *Nullum gratiæ beneficium, alicui puræ creaturæ collatum, negari debet Virgini Beatæ.* Sed habere patentes Cæli januas ante Passionem & mortem Christi, est beneficium gratiæ quibusdam puris Creaturis, nempe Sanctis Angelis collatum. Ergo hocipsum beneficium, in suppositione nostræ assertionis, deberet Beatæ Virgini non negari, adeoque, si Beata Virgo mortua fuisset ante Christi Passionem & mortem, patentes habuisset Cæli januas. Tum quia lex generalis maximè pænalis à Rege lata, nisi in lege expressè ponatur etiam ipsa Regina & Regis Mater, non extendit se ad tales Personas. Hinc si Rex lege prohibeat, nè quisquam ad Regiam, vel Regis conclave admittatur, non addendo expressè, nè admittatur etiam ipsa Regina, & Regis Mater, non obstante tali lege, ad Regiam, & Regis conclave admitti debent Regina & Regis Mater. Hæ enim Personæ, cùm in æstimatione morali, sint moraliter eædem cum Rege, lex illas non intelligit, verùm Personas in æstimatione morali à Rege diversas. Sed Beata Virgo est Regina omnium creaturarum, & Mater Regis. *Quia est Mater Christi, Filii DEI, qui est Rex Virtutum, Rex gloriæ, Rex fortis & potens in prælio.* Ergo Beatæ Virgini ad Regiam ac Aulam Cælestem debuit patere semper aditus, non obstante lege generali de mortalibus in Cælum non admittendis ante Christi ingressum in Cælum; cùm in hac lege non ponatur expressè, quòd non debeat admitti etiam ipsa Cæli Regina, & Mater DEI. Adeoque, si Beata Virgo mortua fuisset ante Christi Passionem & mortem, habuisset Cæli januas sibi patentes. Confirmatur. Portarum Cæli custodia demandata est SS. Angelis, juxta illud Psalm. 23. *Attollite portas Principes,* sed non est sentiendum taliter hanc ipsis fuisse demandatam, ut suammet Reginam ab ingressu Cæli excluderent, nec ei januas aperirent, cùm id excellentiæ & dignitati ipsius Reginæ, ac suæ subjectioni repugnet. Ergo. Tum quia Beata Virgo in suppositione facta statim post mortem vidisset intuitivè DEUM. Ergo etiam in eadem suppositione habuisset patentes portas Cæli Empyrei. Cui enim concederetur plus, & aliquid principale, censeri debet, quòd concederetur & minus, ac aliquid minus principale; maximè si par ratio sit concedendi utrumque. Sed videre intuitivè DEUM, est quid plus & principale, quia est Beatitudo & gloria essentialis; admitti ad Cælum Empyreum, est quid mi-

 nus,

nus, nec ità principale; hæc enim admissio auget solùm gloriam accidentalem; & est par ratio Virgini DEIparæ concedendi utrumque, nimirum dignitas & excellentia Virginis DEIparæ; & favor ac amor DEI Filii ergà Matrem. Ergo si in casu mortis Beatæ Virginis ante Passionem & mortem Christi, vidisset intuitivè DEUM Virgo Beata, habuisset patentes Cæli januas, ut posset statim adire Cælum Empyreum.

275. Quarta tandem pars, Quòd anima B. Virginis in suppositione mortis ipsius prævenientis mortem & Passionem Christi, etiamsi habuisset patentes Cæli januas, non fuisset tamen assumpta in Cælum, sed mansisset in terris cum Christo suo Filio. Hæc inquam pars probatur. Tum quia supposita essentiali Beatitudine animæ Beatæ Virginis, præter illam id potiùs concedendum est, quod magis auget gloriam illius accidentalem. Sed in factâ suppositione mortis Beatæ Virginis, ante Passionem & mortem Christi, supposita essentiali Beatitudine Animæ Beatæ Virginis, magis auget gloriam accidentalem Virginis, manere eam in terris cum Christo, quàm ingredi patentes Cæli Empyrei januas, nec dum Christo existente in Cælis. Ergo. Major constat. Id enim Beatæ Virgini concedendum est, quòd ipsi magis est gloriosum, & ab ipsâ præeligibile. Quod autem magis auget gloriam accidentalem, supposita gloria essentiali, est magis gloriosum Virgini, ab eáque præeligibile. Minor probatur. Manere in terris cum Christo animam Beatæ Virginis, magis auget gloriam accidentalem; & ex ratione omnibus Beatis communi, & ex ratione speciali. Auget gloriam ex ratione communi. Quia, ut ait Idiota in Psal. 15. *Felicitas Beatorum complebitur in visione per fruitionem Humanitatis Christi.* Et ut censet S. Cyprianus Ser. de Ascens. Domini. *Omne desiderium Christus præsens implevit.* Auget etiam gloriam accidentalem ex ratione speciali, manere animam Beatæ Virginis in terris cum Christo. Quia illam auget ex ratione Maternitatis DEI. Ex hac enim præcipuum & speciale gaudium est Matri Beatissimæ, frui præsentiâ Christi Filii sui, ejúsque Humanitatis. Si enim *B. Virginis, dum adhuc viveret, anima à Filio suo Christo ejúsque corpore nequibat avelli*, ut ait D. Bernardus Serm. de 12. Stellis; *ibique magis erat, ubi amabat; quàm ubi animabat*; tanta quoque fuit vis amoris jam vitâ functæ erga suum Filium, ut etiam tunc anima Virginis Beatæ non posset avelli à Filii sui humanitate, tantúsque vicissim fuisset amor Filii erga Matrem, ut animam ipsius etiam post mortem, vellet sibi suæque humanitati esse præsentem. Tum quia Parentum perfectè amantium Filios est, quòd majorem felicitatem optent Filiis, quàm sibi ipsis; quòd de se minùs soliciti, præcipuam curam habeant de felicitate Filiorum. Talis amor fuit Matris Filiorum Zebedæi in eosdem Filios, postulantis à Christo: *Dic, ut hi duo Filii sedeant in Regno tuo, unus à dextris, alter à sinistris.* Quòd velint videre suos Filios in summa felicitate, quòd nolint se sine ipsis esse felices. Velint ipsos sibi præferri. Imò & amici tanto feruntur amore in amicos, ut velint eos sibi præferri, & supra se excellere eos, quos amant. Talis fuit amor Jonathæ erga David, expressus illis verbis 1. Reg. 23. *Tu regnabis super Israel, & ego ero tibi secundus.* Atqui Beata Virgo perfectè amabat Christum suum Filium, idque tanta perfectione, ut amori illius, quo ipsa suum amabat Filium, nullus alius amor esset similis. Ergo Beatæ Virginis amor talis erat erga Christum suum Filium, ut ejus humanitatem vellet priùs, quàm se felicem esse, ut priùs Christum in Cælos ascendere vellet, quàm se assumi, ut nollet in Cælum ascendere, nisi innixa super dilectum suum, ut in sua assumptione vellet assistere à dextris Regis Christi Filii sui, adeoque Beata Virgo in suppositione mortis suæ prævenientis mortem Christi, noluisset Cælum ingredi, antequàm Christus illud ingrederetur; huicque desiderio, DEO Virginis Filio annuente, Virgo Beata, ejúsque anima mansisset in terris cum Christo, quousque is non ascenderet in Cælum.

## Proponuntur Objectiones.

276. Objicitur primò & probatur, quòd Beata Virgo in suppositione mortis

tis suæ prævenientis Mortem Christi, descendisset in limbum Patrum. Tum quia, si quæ ratio esset, propter quam in dicta suppositione non descendisset in limbum, esset hæc, quia Beata Virgo non peccavit in Adam. Sed hæc ratio non evincit. Etiamsi enim B. Virgo non peccaverit in Adam; habuit tamen debitum peccandi. Sed tali debitô suppositô, Anima Beatæ Virginis deberet descendere ad limbum; debitum enim peccandi infert reatum & debitum descendendi in limbum. Ergo. Tum quia, ut arguit Eximius Doctor Tomô 2. Disp. 3. Sect. 5. ad finem. Descensio in limbum non est pœna, nec indecens, aut incongrua Beatæ Virgini. Licet enim sit quædam dilatio Beatitudinis, tamen illa nonnisi hujus dilatio est quædam pœna, quæ minuit sanctitatem, aut perfectionem Amicitiæ Divinæ, aut quæ est indecens & incongrua. Sed descensio ad limbum, non est dilatio beatitudinis, minuens sanctitatem, aut perfectionem Amicitiæ Divinæ, nec est indecens, aut incongrua, quia non est incongruum, quòd Anima Beatæ Virginis expectet patienter Animam Christi, nec velit beari, donec illa passiones suas finiat. Ergo.

277. Objicitur secundò, & probatur, quòd Beata Virgo in dicta suppositione non habuisset sibi patentes januas cœli. Tum Authoritate. Joan. 3. dicitur: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Quem Scripturæ locum ità interpretantur Patres; quòd nullus ascensurus erat in cœlum ante Christum, qui de cœlo descendit. Et Michææ 2. *Ascendit pandens iter ante eos.* Et Innocentius III. Cap. *Majores* de Baptismo dicit: *Non perveniebatur ad Regnum Cœlorum, quod usque ad Mortem Christi clausum & obseratum erat.* Ergo. Tum quia Beatam Virginem habuisse patentes cœli janùas, minuit excellentiam Christi, ad quam spectat, ut Christus sit primogenitus mortuorum, ut ipse nobis panderet iter ad cœlum; ut aperiret portas, per quas homines ingrederentur in cœlum, & ne Beata Virgo ipsi Christo aperiret cœlum. Atqui si Beata Virgo in suppositione mortis suæ ante mortem Christi haberet portas sibi patentes in cœlum, Christus non esset primogenitus mortuorum; quia non primus in cœlum perveniret ad vitam æternam. Non Christus panderet nobis iter in cœlum, sed Beata Virgo, quæ prima in cœlum perveniret; imò ipsi Christo Beata Virgo cœlum aperiret. Ergo.

## Respondetur Objectionibus.

278. Primæ Objectionis Nego Sequelam. Primæ Probationis causalis Majoris videtur certa, iis potissimùm, qui censent certum esse, quòd Beata Virgo deberet intuitivè videre DEUM, suppositô, quòd non peccaverit in Adam. Quia tamen non hæc unica ratio assertionis nostræ, sed afferuntur aliæ, potissimùm illa, quòd lex de non videndo intuitivè DEO ab hominibus, ante Mortem & Passionem Christi non fuit lata cum extensione etiam ad Beatam Virginem. Ideò omissa Causali Majoris, quòd hæc non sit adæquata, Neganda est Minor. Probationem ulteriorem Distinguo. Etiamsi Beata Virgo non peccaverit in Adam, habuit tamen debitum proximum peccandi in Adam. Nego Majorem. Habuit tamen debitum remotum peccandi, remotum, inquam, remotè. Concedo Majorem, & Minorem Distinguo. Sed suppositô debitô remotô peccandi, Anima Beatæ Virginis in suppositione præsenti deberet descendere in limbum. Nego Minorem. Sed suppositô debitô proximô peccandi, Anima Beatæ Virginis deberet descendere in limbum. Omitto hanc partem distinctæ Minoris, & Nego Consequentiam. Illam Propositionem, quæ ulteriùs additur: *Debitum peccandi infert debitum, & reatum descendendi in limbum*; Aut simpliciter Nego, aut Distinguo. Debitum peccandi in Adam, infert debitum proximum descendendi in limbum, ac etiam infert actualem descensionem. Nego. Infert debitum nonnisi remotum descendendi in limbum, & cum quo solo debito Beata Virgo non descendisset in limbum. Concedo, & Dico. Sicut ex debito remoto peccandi non infertur Beatam Virginem, quæ tale habuit debitum, defacto peccâsse in Adam, ità

ex debito remoto deſcendendi ad limbum, non infertur, quòd Beata Virgo in ſuppoſitione Aſſertionis deſcendiſſet actu in limbum. Quia tale debitum remotum peccandi non infert, quòd debeat dari lex univerſalis de deſcenſione in limbum,& quòd tali lege debeat comprehendi etiam Beata Virgo. Adverto, cùm debitum deſcendendi in ſinum Abrahæ proveniat à lege pœnali, de hujuſmodi deſcenſione, & lex pœnalis non feratur propter debitum peccandi, non ſecutô peccatô, ideò ex debito peccandi, eóque remoto non infertur debitum deſcendendi in limbum, nec infertur, quòd Beata Virgo in ſuppoſitione ſuæ mortis ante mortem Chriſti deſcendiſſet in limbum.

279. Secundæ Probationis Nego Antecedens, & Dico. Cùm limbus Patrum fuerit quidam carcer, in quo detinebantur Animæ morientium Juſtorum uſque ad mortem Chriſti, cùm fuerit quædam captivitas Animarum Sanctarum, juxta illud de eductis Patribus ex limbo intellectum: *Captivam duxit captivitatem.* Cùm deſcenſio in limbum, fuerit conjuncta cum carentia viſionis intuitivæ DEI, occaſione peccati, vel propter peccatum: Ideò deſcenſio prædicta, pœna eſſet propriè dicta. Probationem ulteriorem ſimpliciter Nego, & Dico. Dilationem beatitudinis, dum non eſt obſtaculum & impedimentum, maximè dilationem, quæ causâ, vel occaſione peccati ſecuta eſt, eſſe pœnam propriè talem, eámque pœnam damni. Diſtingui etiam poteſt ulterior probatio. Dilatio beatitudinis, illa nonniſi eſt quædam pœna, quæ minuit ſanctitatem, aut perfectionem, aut impedit conſecutionem finis ultimi ratione ſui. Concedo Probationem. Illa nonniſi dilatio beatitudinis eſt pœna; quæ minuit ſanctitatem, aut perfectionem, ità ut à ratione pœnæ excludi debeat dilatio beatitudinis cum impeditione conſecutionis finis ultimi. Nego. Aliàs pœna purgatorii, quæ ità eſt dilatio beatitudinis, ut non minuat ſanctitatem & perfectionem, non eſt propriè pœna. Alteram pariter hujus Probationis partem Nego. Quòd deſcenſio in limbum non eſſet indecens & incongrua Beatæ Virgini. Certè eſt indecens Reginæ mundi, & Matri DEI, eam ad carcerem damnari, illíque includi, in captivitatem duci, à Conſpectu DEI, ejúſque ſui Filii arceri. Atqui id totum fieret per deſcenſionem Beatæ Virginis in limbum. Ergo. Ad poſtremum Dico. Eſſe incongruum, quòd Anima Beatæ Virginis expectet patienter Animam Chriſti, ex lege id præſcribente, & quòd nolit beari; voluntate legi ſe conformante. Quidquid ſit de eo, an ſit congruum, expectare ex propria libertate & determinatione, Animam Chriſti, ut hæc finiat ſuas paſſiones, & nolle beari beatitudine aliqua accidentali, ut dictum eſt Num. 275. Circa hanc Probationem.

Adverto primò. Licèt non ſit incongruum Animæ Beatæ Virginis expectare extra limbum Animam Chriſti, ut hæc ſuas finiat paſſiones, & eandem Animam Beatæ Virginis nolle beari beatitudine aliqua accidentali; tamen eſt incongruum, Animam Beatæ Virginis in limbo, utpote in carcere expectare Animam Chriſti, & nolle beari beatitudine eſſentiali. Cùm præſertim ſuppoſita beatitudine eſſentiali, manendo in terris cum Chriſto ſuo Filio poſſet expectare Animam Chriſti, ut finiat ſuas paſſiones.

Adverto ſecundò. Magis congruum eſſe Animæ Beatæ Virginis non deſcendere ad limbum, ut expectet Animam Chriſti, quia magis congruum eſt Beatæ Virgini, ipſam non teneri, nec includi in lege de deſcenſione ad limbum.

Adverto tertiò. Patrem Suarez diffidere Sententiæ de deſcenſione Animæ Beatæ Virginis in limbum, in ſuppoſitione, quòd mors ipſius præcederet mortem Chriſti, & ex hac deſcenſione obſervat aliqua ſecutura incommoda. Ideòque Sect. 5. Diſp. 3. his concludit. DEUM ſapienter providiſſe, nè ſimilis eventus accideret, & ut omnia incommoda ceſſarent.

280. Secundæ Objectionis Aſſumptum Nego. Ad Probationem primam Dico. Omnes adductas Authoritates intelligendas eſſe de præſenti providentia, & pro ſuppoſitione mortis Beatæ Virginis Paſſionem & Mortem Chriſti conſequentis, quòd nemo defacto ante Chriſtum in cœlum aſcenderit. Quòd Chri-

Christus ascenderit pandens iter aliis hominibus. Quòd secundùm præsentem providentiam non perveniebatur in regnum cœlorum; quòd usque ad Mortem Christi clausum & obseratum erat. Non sunt verò intelligendæ dictæ Authoritates cùm extensione ad alteram illam providentiam, & suppositionem, in qua Beatæ Virginis Mors eveniret ante Passionem & Mortem Christi. Possunt etiam eædem Authoritates intelligi de causativitate meritorum Passionis, & Mortis Christi, eo sensu: Quòd independenter à meritis Christi nemo ascenderit, vel ascensurus erat in cœlum. Quòd Christus ascenderit in cœlum, meritis Passionis & *Mortis suæ pandens nobis iter.* Quòd independenter à meritis Christi non perveniebatur in cœlum; sed hoc Morte & Passione Christi fuerit nobis reseratum & apertum. Tandem dici potest: Has Authoritates accipiendas esse cum exceptione Beatæ Virginis per ordinem ad aliam providentiam. Authoritates enim universales de peccatis, vel pœnis peccatorum debent accipi in sensu accommodo cum exceptione Beatæ Virginis.

281. Secundæ Probationis Nego Antecedens. Ulterioris Probationis Nego Minorem, & Dico: Christum per hoc esse primogenitum mortuorum; quòd ex meritis Christi habeant Beati, & habituri sunt; quòd peccatis & morti Animæ non subjaceant, DEOque sint victuri in æternum. Quòd, quicunque homines in cœlum veniant, meritò Christi eò perveniant. Quòd Christus suis meritis pandat nobis in cœlum iter. Non verò per hoc est primogenitus mortuorum; quòd in omni suppositione deberet ipse primus tempore in cœlum pervenire. Per hoc item, quòd Christus sua propria potestate, potestate Filii DEI naturalis surrexerit à mortuis, & in cœlum ascenderit. Alii verò à Christo potestatem accipiant, ut Filii DEI adoptivi nominentur, & sint, & quòd hæreditatis cœlestis participes efficiantur. Cùm ergo Beata Virgo in dicta suppositione ex merito Passionis & Mortis Christi haberet patentes cœli januas, Christus esset primogenitus mortuorum: Ipse panderet nobis iter ad cœlum, non Beata Virgo. Multò minùs hæc Christo aperiret Cœlum. Non enim is aperit cœlum, qui ante alios prior tempore ingreditur in Cœlum; sed potiùs is aperit, cui Jure Filiationis DEI Naturalis debetur Cœlum, & ex cujus merito patet aliis aditus in Cœlum. Cùm ergo Christo Domino ex Jure Filiationis DEI Naturalis deberetur Cœlum; nec ex merito cujusquam illud adiret, sed potiùs per merita ipsius, sive aliis puris hominibus, sive ipsi Beatæ Virgini aditus pateret in Cœlum. Christus omnibus, ipsi verò Christo nemo Cœlum aperuit.

Et hic jam Tractatui de DEO Homine, Ejusque Gloriosissima Virgine Matre, terminum pono. Quæcunque dicta sunt de tam præcellenti Objecto, non satis ad dignitatem Ejusdem, utinam conformiter Doctrinæ Ecclesiæ, & Patrum, cedant

## Ad VERBI Incarnati Maximam Gloriam, Admirabilis & Pretiosissimæ DEI Parentis Immaculatè conceptæ Virginis Honorem,

## &

## Sanctorum Tutelarium debitam Venerationem.

# INDEX
## Præsentis Disputationis
## De Admirabili & Pretiosissima DEI Matre Virgine MARIA.



Pro-

# A. M. D. G.
# &
## B. V. M. I. C.
### Honorem.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0019891

